




ELEMENTA PATHOLOGIÆ UNIVERSÆ

AUCTORE

D. ADAMO NIETZKI.



EBRODUNI IN HELVETIA

MDCCLXVI.

HIPPOCRATES

LIB. DE ARTE.

—— Τῆς (γὰρ) αὐτῆς ξυνέσιός ἐστιν, ἧσπερ τὸ εἰδέναι τῶν νούσων τὰ αἴτια, καὶ τὸ θεραπεύειν αὐτὰς ἐπίστασθαι. i. e. ejuſdem prudentiæ, cujus eſt cognoſcere morborum cauſſas, etiam eſt noſſe morbos ſanare.

REVERENDISSIMO AC PERILLUSTRI

DOMINO

CONR. FRIDERICO DE KLEIST

SACR. REG. MAI. IN BOR. A CONS. SANCTIORIBUS ECCLESIÆ CATHEDRAL. BRANDENB. DECANO PROCERUM PROVINC. LEGATO PRIMARIO ORDINIS S. JOANNIS HIEROSOLYMITANI EQUITI DOMINO HÆREDITAR. IN STAVENOV ETC.

PATRONO OPTIMO MAXIMO.

Non levi animadversione dignus profecto mihi viderer, si eam occasionem, quæ mihi nunc suboritur votis meis accommodatissima, prætermitterem sine publica honoris erga TE *testificatione. Jus enim habes*, REVERENDISSIME AC PERILLUSTRIS DOMINE, *hoc officii genus nunc a me postulandi; quod nisi explerem, me a conditione hominis liberalis discessisse putarem, mihique ipsi non satisfacerem. Libellus enim iste, quem nunc*

in lucem emitto, sibi præposito NOMINE TUO *superbire audet, haud immemor primæ suæ originis, quam adhortationibus* TUIS *debet, quibus me ex eo jam tempore, quo studiorum caussa in hac Musarum sede commoratus es, una cum aliis amicis, (quorum memoria nobis erit numquam non honorifica) adiisti, ne mea deficeret opera, in doctrinis medicis reducendis ad notiones distinctas, illisque redigendis in ordinem cum ratione magis convenientem. Ne vero ejusdem rei studium tunc temporis a me inchoatum mox languescere videretur: me quoque ad dogmata medica aliis coram tradenda permovisti, eaque proponentem* IPSE *audivisti, tamquam cognitionis rerum naturalium cupidissimus; talique modo conatibus meis præclara addidisti incitamenta. En primam originem libelli, nunc prodeuntis in lucem, ac* PERILLUSTRI NOMINI TUO *a me inscripti! Nam cui ille magis consecrari potuisset, quam* TIBI, PATRONE OPTIME MAXIME *qui,* TE *hortatore, ad existentiam pervenit. Atque hoc eo lubentius a me nunc perficitur, qu*

longius jam eſt illud tempus, ex quo geſtit animus NOMINI TUO *erigere monumentum. Neque vero nunc, qua fide, qua cura, qua aſſiduitate uti ſoleas in muneribus obeundis, prædicabo; neque alias virtutes* TUAS, *gravitatem, conſtantiam, æquitatem, integritatem, modeſtiam, animi magnitudinem, miramque facilitatem ac humanitatem laudabo. Quamvis enim magna iſta ſint, ſummiſque laudibus digniſſima,* TE*que non minus admirabilem, quam jucundum acceptumque omnibus efficiant; præterquam iis, qui, quoniam virtute ſua non ſatis confidere poſſunt, invidere ſolent alienæ: eorum tamen laudes hujus loci anguſtiæ non comprehendunt. Sed illa huic loco magis reſpondebit ac conſilio meo accommodatiſſima erit laus, quæ a ſingulari* TUO, *neque ſatis prædicando omnium litterarum amore proficiſcitur. Præclara enim eſt illa varii generis litterarum cognitio, qua* IPSE *polles, quam adeo augere conaris, ut nullum tempus melius collocari poſſe exiſtimes, quam quod in ſtudiis conſumitur. Quod* TIBI *eo glorioſius eſt, quo rarius deprehen-*

dantur oboriri tam præstantia exempla inter homines TIBI *similis status. Quantum vero illud est, quod quidem puto maximum; si eos etiam, quotquot operam suam navant studiis, ac eniti in iisdem conantur præ aliis, tam liberaliter, tamque humaniter tractas, ut satis intelligant, se rem hic ita habere, ut fieri solet inter amicos veri nominis; quorum numero me quoque a* TE *adscriptum esse, valdopere gaudeo. Quam præclara, quam laudabilis hæc jam in* TE *est cogitandi ratio!. Verissimum enim illud est atque rei ipsius naturæ convenientissimum, quod jam de hominum dignitate judicas: eam scilicet non divitiis, quibus sæpe turpissimi ac stultissimi abundant, neque honorum titulis, qui sæpe a divitiis, sæpe a genere, sæpe a machinationibus proficiscuntur, sed ingenio, doctrina, animoque metiendam potius esse. Serva mihi hunc animum,* PATRONE OPTIME MAXIME, *idque de me etiam atque etiam persuasum habeas velim, me nihil intermissurum esse, quo efficere possim, ut* TIBI *ea amicitia ac benevolentia dignior esse videar, qua*

me hactenus tam liberaliter es prosequutus. Accipe igitur benevole libellum præsentem, quem PERILLUSTRI NOMINI TUO *inscriptum consecratumque esse volui, tamquam publicum, illudque verissimum meæ erga* TE *reverentiæ testimonium! Nec dubito,* PATRONE OPTIME MAXIME, *futurum esse, ut id quoque a* TE *obtineam; tot speciminibus singularis* TUAE *erga me benevolentiæ jam perceptis,* TIBI*que etiam aliunde cognita animi mei indole. Habeas me etiam in posterum, uti hucusque fecisti, commendatissimum eidem benevolentiæ* TUAE *singulari, qua mihi nihil gloriosius, nihil exoptatius erit; existimesque, fore, ut numquam in me desideretur studium sibi magis promerendi has benevoli animi* TUI, PATRONE OPTIME MAXIME, *erga me testificationes! Quod jam reliquum erit,* DEUM T. O. M. *ex animo precor, ut ille in* TE *largiter conferat, quæ ad vitam humanam quam maxime felicem requiruntur,* TE*que ita omni felicitatis genere exornatissimum,* UNA CUM PERILLUSTRI FAMILIA TUA, *per longam adhuc annorum seriem quam clementissime con-*

ſervet! Vive itaque felix! vive diu! gentis TUAE *ac ſocietatis humanæ verum decus ac ornamentum! Quo animo erga* TE, PATRONE OPTIME MAXIME, *numquam non perſeverabit.*

PERILLUTRIS NOMINIS TUI

Scr. Halæ ad Salam
Cal. Maii CIↃ IↃCCLXVI.

ſtudioſiſſimus cultor
ADAMUS NIETZKI.



PRAEFATIO.

Qui nunc quidem in lucem prodit libellus, L. B. elementa Pathologiæ univerſæ in ſe comprehendens, ille jam ante complures annos exſtiterat manu ſcriptus, qui abhinc etiam in compluriun manibus verſatur. Primam ejus conficiendi occaſionem mihi dederunt amici, a me petentes, ut eorum omnium, quæ ad Pathologiam ſyſtematicam pertinent, elementa conciperem, conceptaque ipſis explicarem; ratione ubivis habita veræ utilitatis quæ inde rediret ad Medicinam practicam. Satisfacturus itaque his votis amicorum commiſſum mihi laborem in me ſuſcepi, eumque abſolvere curavi. Placuit etiam pluribus aliis, ſtudio medico deditis, eadem adumbrata ratio tradendi Pathologiam; quam ideo illis explicandi quotannis mihi data erat occaſio.

Etſi vero non ita alienum erat a conſilio meo,

publici tandem juris facere hæc elementa Pathologiæ universæ: neque tamen hoc prius facere apud me constitui, quam eo tempore, quo mihi plus otii superesset, ad emendandas magis ac poliendas hasce lucubrationes. Sed venit tempus, quod mihil necessitatem imposuisse videtur citius edendi librum, quam opinatus eram. Nam primum auditores mei summo cum studio instabant atque urgebant, ut ipsis tædium illud demerem, quod perciperent ex describendis exemplis libri; eumque igitur typis excudendum committerem. Quibus postulationibus eo magis dandum erat, quo sæpius contingere soleat, ut in ejusmodi descriptionibus exemplorum vitia oboriantur, erroribus varii generis ansam suppeditantia. Deinde etiam a viris doctissimis per litteras aliquoties monitus eram, ut elementa Pathologiæ universæ a me adumbrata, quorum exempla descripta perlustrandi copiam se habuisse mihi significabant, quam primum ederem, putaremque æquum fore ac honestum, ne ejusmodi liber, qui & discentibus Medicinam, & facientibus eam, ita utilis esse

poſſit, quam quis alius, tamdiu luci ſubtrahatur, ac plagiis adeo pateat; prout fieri plerumque ſolet cum eruditorum in academiis degentium lucubrationibus, quæ typis nondum excuſæ ſunt, ſed modo oberrant in exemplis deſcriptis. Nolui igitur, neque etiam potui amplius reſiſtere his admonitionibus fautorum ac amicorum. Cepi ergo conſilium elementa iſta Pathologiæ univerſæ edendi; quamvis hic labor in tempus perquam incommodum mihi incidiſſe videretur. Nam, ut ingenue fatear, per omne illud tempus, quo occupatus eram in edendo libro hocce pathologico, negotia mea practica adeo increverant, ut mihi neceſſitatem imponerent hunc laborem inceptum ſæpius relinquendi per integros menſes. Nunc totus tandem typis excuſus in lucem prodit, auctior in locis permultis, in aliis brevior, quam fuit in exemplo primum ſcripto; in aliis denique parum mutatus: prouti nimirum mihi licuerat per alias occupationes meas ejuſmodi emendationes ſuſcipere, quæ mihi e re præſente eſſe videbantur.

Sed jam dicendum erit de ipſa tractatione opuſ-

culi hujus pathologici, cujus conſpectus ſub fine præfationis apparebit. Priuſquam vero id a me perficiatur, neceſſe fore judico, ut de eo fine antea L. B. ſatis certum faciam, quem ſibi præfixum habui circa opuſculi præſentis confectionem. Nam ita conſtabit de principio, ex quo elementa iſta Pathologiæ univerſæ dijudicari debeant.

Nunc vero ibidem propoſitum mihi erat, omnia momenta doctrinæ pathologicæ breviter ac diſtincte tradere, quæ ſufficerent ad morborum talem cognitionem ſibi comparandam, qualis ea foret, qua facile effici poſſit, ut ſatis perſpectum habeatur, quid ad morbi eſſentiam ac naturam pertineat; in quo unus ab alio differat; a quibus cauſſis ille proveniat; per quæ ſigna dignoſcatur; tandemque rebus ita comparatis inveniantur principia, ad artem ſanandi intelligendam neceſſaria. Ut itaque compendium iſtud pathologicum, quia nec adeo prolixum eſt, nec ita mancum, finibus eorum bene reſpondere videatur, qui ad Pathologiam diſcendam prius accedunt; recte intellectis omnibus doctrinæ hujus principiis congruo ordi-

ne inter ſe collocatis, in eodem ſtudii genere ulterius progreſſuri. Atque ad hos potiſſimum uſus, ut in principio præfationis jam indicavi, a me deſtinata ſunt hæc Pathologiæ univerſæ elementa; utpote quæ etiam frequentantibus ſcholas meas hactenus explicavi quotannis. Sed ne illis quidem, qui jam in exercitio artis ſalutaris verſantur, ingratum fore puto idem opuſculum. Licet enim eruditorum hominum res non agatur in elementis diſciplinarum; iis tamen placere ſolet, ſi videant, ea omnia doctrinæ, quam profitentur, momenta propoſita facili ad intelligendum ordine contineri in libro mediocris molis. Quod jam præſtare ita conatus ſum.

Per totam nempe opuſculi hujus tractationem ea in genere primum locum tenere juſſi, a quorum cognitione ſubſequentium cognitio dependet; generalibus ubique præmiſſis ſpecialibus. Quibus id efficitur, ut nexus veritatis cum ſuo principio, a quo illa dependet, facilius intelligatur, & argumenti tractatio brevior fieri poſſit. Nam omnibus in diſciplina aliqua inter ſe ita confuſis,

ut difficulter intelligatur, quid primum ſit, quid ſecundum: illius certa cognitio, ſi etiam ſperari poſſit, difficulter tamen obtinebitur. Quod ſi etiam negligatur in doctrina morborum ſpecialibus generalia præmittere: tunc illa præter neceſſitatem prolixior fiet; tot odioſis repetitionibus ad ſe admiſſis.

Neque vero congruum ſibi ordinem ſolum vindicant diſciplinæ ad ſui faciliorem intelligentiam, ſed hic etiam opus eſt veritate principiorum cognoſcendi. Quare mearum quoque partium fore duxi, ne hoc quoque ſtudium in opuſculo præſente deſiderari videatur. Obſervationes, quæ principem fere locum in Pathologia tenent, e ſcriptis atque aliis relationibus auctorum probatæ fidei collegi, iiſdem meas addidi, ſingulas tam inter ſe, quam etiam cum aliis veritatibus certis probe contuli, in conſcribendis hiſtoriis morborum accuratus eſſe ſtudui; principio ſimilitudinis decenter ubivis obſervato. Judicia inde deduxi, hæc iterum inter ſe comparavi, eoque modo principia ſtabilire curavi, ad doctrinam morborum neceſſa-

ria. Quibus porro adjeci accuratas morborum definitiones, quæ omnino vim habere poterunt principiorum cognoſcendi in Pathologia; ſi eorum hic habeatur ratio, quæ, ut Philoſophi dicunt, ad notionis realitatem requiruntur. Quod non ſolum obſervaſſe, ſed etiam rationem ſimul habuiſſe brevitatis ac perſpicuitatis in definiendo mihi videor; ratus, definitiones breves ac ſatis perſpicuas eſſe debere in diſciplinis, dum earum principia ſunt, memoriæ commendanda. Ubi vero deprehenditur, me in vocabulis quibuſdam definitis a ſignificatu, inter quos aut plures Medicos recepto, alienum factum eſſe: hoc inter alia vel ideo neceſſe fore mihi videbatur, ut omnis ambiguitas evitaretur; cui nullum locum in ſyſtemate concedere licet. Ratione vero eorum principiorum, quæ ex aliis diſciplinis, præcipue Phyſiologia, petuntur ad cognoſcendas propoſitiones pathologicas: tunc ea ſolum hic admiſi, quæ ſatis certa ſunt, atque argumentis congruis comprobata; ea vero conſulto omiſi, quæ dubia ſunt, magiſque ad hypotheſes referenda. Malui enim in

ſimplici potius acquieſcere obſervatione, quam dogmata pathologica hypotheſibus inquinare; iis maxime, quarum translationes ad morborum ſanationes factæ nocumento eſſe poſſent. Nec dubito, quin in eadem re mecum conſentiant Medici probatæ fidei.

Ad ipſas denique propoſitionum pathologicarum demonſtrationes quod attinet, earum plenas enuntiationes verbis exprimere prohibuit iuſtituti ratio; ſiquidem exiguæ molis hunc librum oportebat eſſe, ea tamen omnia in ſe comprehendere, quæ ad elementa Pathologiæ univerſæ requiruntur. Hinc aliter fieri non poterat quam ut defectus iſte apparens per indicationem brevem principii, a quo demonſtratio proficiſcitur, propoſitioni demonſtrandæ adjunctam, ſuppleretur (quo etiam nomine habendæ erunt paragraphorum citationes) reſervata ad prælectiones uberiore evolutione demonſtrationum. Quilibet vero legentium hæc elementa Pathologiæ univerſæ fuſiores propoſitionum demonſtrationes ſimili ratione inveniet; eoque facilius, quo magis ille polleat iis ſtudiis,

quæ ad Pathologiæ fontes ac ſubſidia referri ſolent, ac commemorantur eo loco tractationis, ubi de Pathologia in genere differitur.

Quibus jam omnibus convenienter inſtruxi argumentorum tractandorum ordinem, quem conſpectus præfationi ſubnexus exhibet. De cujus vero ratione dicendum nunc erit. In omni ſyſtemate veri nominis, in quo diſciplina quædam pertractatur, id effici ſolet, ut de illius indole ac principiis ſtatim ſub initio conſtet. Nam hoc modo intelligere licebit, utrumne eis in tractatione ipſa ab auctore fatisfiat. Neceſſe itaque mihi eſſe videbatur, in ipſo quaſi limine ſyſtematis pathologici agere generatim de Pathologia, ejus vera conditione ac principiis, de morbo, de hujus cauſſis & ſignis. Atque hæc etiam momenta expedire curavi in prolegomenis; hic æque, ac in aliis opuſculi hujus locis ratione eorum modo habita, quæ veram utilitatem ſpondent. Sequitur jam tractatio ipſa morborum, & quidem primo ſimplicium; quia eorum cognitio, ut jam præcepit GALENUS, neceſſaria eſt ad morbos compo-

ſitos recte intelligendos. Factum hoc a me eſt in libro primo. Videtur quidem hæc theoria morborum ſimplicium ibidem contenta perquam tenuis eſſe ac jejuna, ſed vix dici poteſt, quantum illa conferat ad morborum compoſitorum cognitionem ſolidam, immo profundam. Dum hoc modo optime diſcimus nexum introſpicere, qui morborum cauſſas proximas ac remotas intercedit, illorumque magnitudinem intelligere; facta nimirum morbi cujuſdam compoſiti certæ ſpeciei reſolutione in morbos ſimplices, e quibus ille conſtat. Quibus præmiſſis, jam progredior ad morborum compoſitorum conſiderationem, quam in libro ſecundo ita exhibendam curavi, ut eorum ſymptomata, cauſſas remotas, harumque nexum cum cauſſis proximis, una cum ſignis pathognomicis & prognoſticis ſufficientibus exponerem. Quibus peractis ad librum quartum venio, in quo, præmiſſa morborum complicatorum doctrina generali, notiores tantum febrium complicatarum ſpecies proponuntur; fuſiore hujus argumenti tractatione in aliud tempus reſervata. Quia vero ſuis

locis opufculi hujus dictum erat, opus etiam effe, ut in Pathologia de morte agatur: volui itaque huic argumento feparatum locum deftinare. Unde liber quartus de morte. Indicantur ibidem principia quædam generalia, quorum accurata applicatione ad cafus obvios in morbis figna mortis prognoftica facile invenire licebit.

Atque hæc jam erant, L. B. quæ tibi fignificanda effe putavi in præfatione; iifdem infuper accedente ea fide, fore mihi non mediocri incitamento ad artem falutarem in pofterum quoque magis colendam, fi judicio tuo præfentes conatus meos probari intellexerim. Scr. Halæ ad Salam Cal. Maii CIↃ IↃCCLXVI.



CONSPECTUS ELEMENTORUM PATHOLOGIAE UNIVERSÆ.

PROLEGOMENA PATHOLOGIÆ.

LIBER PRIMUS.

DE MORBIS SIMPLICIBUS.

SECTIO PRIMA.

DE MORBIS SOLIDORUM SIMPLICIBUS.

SECTIO SECUNDA.

SECTIO TERTIA.

DE PARTIUM FLEXILIUM INTEGRUM QUID EFFICIENTIUM MORBIS INSTAR SIMPLICIUM CONSIDERANDIS.

LIBER SECUNDUS.

DE MORBIS COMPOSITIS.

LIBER TERTIUS.

DE MORBIS COMPLICATIS.

LIBER QUARTUS.

DE MORTE.

PROLE-



PROLEGOMENA PATHOLOGIÆ.

CAPUT I.
DE PATHOLOGIA IN GENERE.

§. I.

Pathologia eſt pars medicinæ theoreticæ, quæ agit de morbis.

Vera atque antiqua hæc jam eſt regula Logicorum, qua præcipitur, ut omnis definitio conſtare debeat ex genere proximo & ſpecifica differentia. Quod quando fit, major tunc definitionibus perfectio attribui ſolet. Quare etiam eidem regulæ conformem fieri voluimus definitionem in §. propoſitam. Tantum vero abeſt, ut ideo prorſus rejiciendæ ſint definitiones, quod in iisdem loco generis proximi ſummum ponitur, ut potius ibi laudem mereantur quam maxime, ubi earum uſus extra ſyſtematis limites requiritur, modo non deficiant aliæ definitionum veri nominis conditiones.

Hinc etiam licebit *Pathologiam* definire per *scientiam morborum.* Fusius hæc omnia explicabuntur in prælectionibus. Sed & de specifica differentia definitionis constat. Peculiaris nimirum ille status internus corporis humani vivi est, diversusque a sanitate, qui præsente morbo obtinet, quem sibi accurate considerandum sumit Pathologia. Ut itaque id, circa quod doctrina ista versatur, rite intelligi possit, distincta jam opus erit morbi notione.

§. II.

Morbus est dissensus functionum corporis humani respectu suæ conservationis.

Præter id, quod hæc morbi definitio cum usu loquendi conveniat, ea simul ad notiones fœcundas referri posse videtur. Quod congruis argumentis evictum dabitur in prælectionibus.

§. III.

Circa quæ versatur Pathologia, ea possibilia sunt per essentiam & naturam corporis humani (§§. I & II.)

§. IV.

In Pathologia ea tantum tradere competit, quorum complexus dissensum functionum corporis humani ratione conservationis suæ constituit; multis aliis postpositis, quæ æque fieri possunt per corpus humanum. Et sic Pathologia notionibus perfectionis, imperfectionis & finis primarii, tamquam notionibus directricibus, utitur (§§. I & II.)

§. V.

Pathologiæ asserta rite sunt demonstranda (§. I.)

Quo in negotio, præter alia demonſtrandi principia, hic multum juvare poterit philoſophia mechanica; utpote quæ corporum naturalium mutationes ex illorum ſtructura, textura & mixtione deducere conatur.

§. VI.

In Pathologia ratio ſufficiens reddenda eſt, cur morbi actum conſequantur. Cauſſæ adeoque morborum efficientes ſufficientes eruendæ erunt (§. antec.)

§. VII.

In Pathologia non æque cauſſæ morborum poſſibiles, ſed actuales potius evolvendæ ſunt (§. antec.)

§. VIII.

Ergo concauſſæ actuales morborum, & quidem omnes probe indagandæ erunt (§. ant.)

§. IX.

Quæcumque a morbis dependent, illa quoque tradere oportet in Pathologia. Hinc omnes effectus morborum eruendi erunt, iique minimi, ſive præſentes, ſive præteriti, ſive futuri (§§. VI. VII & VIII.)

§. X.

In Pathologia tradenda ſunt ea, unde colligere licet, morbum vel adfuiſſe, vel adeſſe, vel futurum eſſe. Hinc ſigna morborum evolvenda ſunt (§. IX.)

§. XI.

Quæcumque ex omnimoda ſubjecti determinatione faciunt ad cognitionem ſtatus morboſi, ea inſerviunt Pathologiæ (§§. VI. VII. VIII. IX. X.).

§. XII.

Prout materia doctrinæ pathologicæ ad eamdem rationem redit, quam erga ſe habere ſolent genus & ſpecies: Pathologia tunc erit modo *generalis*, modo *ſpecialis*.

§. XIII.

Datur Pathologia individui, quæ quamvis doceri nequeat, ad eamdem tamen eruendam in caſu obvio principia ſufficient in Pathologia generali & ſpeciali ſtabilita (§. XI.).

§. XIV.

Hiſtoria morbi eſt complexus illarum determinationum ſubjecti morbo obnoxii, quæ faciunt ad cognitionem morbi.

§. XV.

Hiſtoria morbi ſubjecti abſtracti dici poterit, cujus ſubjectum genus vel ſpecies eſt. Eam vero hiſtoriam morbi, in qua loco ſubjecti deprehenditur individuum quoddam, haud immerito vocare licebit *hiſtoriam morbi ſubjecti concreti.*

§. XVI.

Pathologia poſtulat hiſtorias morborum; & quidem Pathologia generalis & ſpecialis hiſtoriam

morbi ſubjecti abſtracti; Pathologia vero individui hiſtoriam morbi ſubjecti concreti (§. VI - XV.).

§. XVI.

Hiſtoria morbi requirit enarrationes determinationum, de quibus conſtare poterit, eaſdem eſſe vel cauſſas, vel effectus, vel ſigna morbi (§§. VII. X & XIV.).

§. XVIII.

Differt ideo hiſtoria morbi ab hiſtoria individui morboſi, qua talis (§. XIV.).

§. XIX.

Ad fontes Pathologiæ pertinent

I. Phyſica ad corpus humanum applicata, ſeu Phyſiologia ſenſu generaliſſimo ſumpta.

II. Phyſiologia prout ſenſu medicorum accipitur.

III. Chimia.

IV. Matheſis ad corpus humanum applicata.

V. Ea pars Phyſices, quæ naturam illorum corporum, præter corpora animalia, ſcrutatur, quæ quomodocumque concurrunt ad cognitionem morborum.

VI. Ontologia, Coſmologia, Pſychologia.

VII. Obſervationes pathologicæ ſecundum præcepta logica conceptæ.

§. XX.

Studia autem ſubſidiaria Pathologiæ erunt

I. Logica, tam in ſpecie talis, quam etiam probabilium.

II. Physica.
III. Historia naturalis.
IV. Mathesis.
V. Collectiones casuum pathologicorum accurate consignatorum.

§. XXI.

Pathologia methodo, quam dicere solent scientificam, tradenda est (§. V.).

§. XXII.

Supposita Physica ad corpus humanum applicata, seu Physiologia sensu generalissimo sumpta, licet definitiones morborum reales condere, atque inde illorum caussas & signa eruere. Sed & alia via patet, ex signis nempe morborum conficere definitiones nominales, atque deinde ad illorum caussas & reliquos effectus progredi. Prior modus majus compendium doctrinæ suppeditat, quam posterior, eidemque idcirco magis præferendus.

Quid ibi vero faciendum sit via brevi ad Pathologiæ cognitionem systematicam contendenti, ubi nimirum defectus quidam principiorum Physiologiæ maxime generalis deprehenduntur, de eo jam explicatius differetur in prælectionibus.

§. XXIII.

In systemate pathologico Pathologia generalis specialem præcedere debet (§§. XII & XXI.).

§. XXIV.

Perinde adeoque erit, utrum singula Pathologiæ generalis dogmata, quæ doctrinam patholo-

gicam ſpecialem antecedere debent, peculiarem tractationis partem conſtituant, ſive in peculiari libello comprehendantur; vel dogmatibus Pathologiæ ſpecialis, in certa capita diſtributis, generalia ibi præmittantur, ubi illorum uſus quam maxime neceſſarius eſſe videtur (§. ant.).

§. XXV.

In quocumque capite Pathologiæ agendum erit de eſſentialibus, cauſſis, effectibus & ſignis morbi (§§. VI-X.).

§. XXVI.

Faciendum eſt tractationis initium a morbis ſimplicibus, & deinde progrediendum ad compoſitos (§. XXI.).

§. XXVII.

Diſcens Pathologiam ſibi de fontibus & ſubſidiis Pathologiæ proſpiciat; definitiones & hiſtorias morborum memoriæ probe mandet, ut non niſi rationali Pathologia imbutus, ægros accedat obſervator ſtrenuus, ab omni præconcepta opinione liber. Et ſic in exemplari vivo hiſtorias morborum repetat, ſingula ad lapidem Lydium revocet, definitiones morborum abſtrahere diſcat, atque hoc modo ſibi habitum ad dignoſcendos morbos acquirat.

CAPUT II.
DE MORBO IN GENERE.

§. XXVIII.

DE morbo nihil antea judicare licet, nisi prius constiterit, in quo conservatio corporis humani consistat. Et sic in notione morbi detegenda, notio sanitatis vicem directricis sustinet (§. II.).

§. XXIX.

Corpus humanum constat ex partibus solidis & fluidis, quarum singulæ morbis subjiciuntur. Pro ratione igitur morbi, inhærentis partibus vel fluidis, vel solidis, ille referri poterit ad *morbos partium* modo *fluidarum*, modo *solidarum*. Unde jam cognocitur, quid in genere per *morbum* tam *solidorum*, quam *fluidorum*, intellectum esse velint Pathologi.

§. XXX.

Considerari potest in corpore ægro vel unam modo functionem in eodem, vel plures simul dissentire. In casu priore *morbus* dici poterit *simplex*, *compositus* vero in casu posteriore.

§. XXXI.

In morbo composito functiones dissentientes vel determinantur inter se, vel minus. Si prius, functiones dissentientes determinatæ se ita habebunt, ratione determinantium functionum dissentientium, ut desinant determinari ab illis, vel non desinant.

§. XXXII.

Morbus idiopathicus eſt morbus, qui non determinatur per alium. *Morbus ſymptomaticus*, ſive *ſymptoma* eſt morbus, qui determinatur per alium.

Congruis argumentis in prælectionibus commonſtrabitur, quod genuino fundamento innitatur definitio per univerſam Pathologiam utiliſſima.

§. XXXIII.

Morbus ſymptomaticus determinatur vel a ſuo morbo idiopathico, vel ab alio ſymptomatico, vel ab utriſque ſimul (§. ant.).

§. XXXIV.

Morbus idiopathicus cum ſuis ſymptomatibus morbus compoſitus eſt (§§. XXX & XXXII.).

§. XXXV.

Morbus ſymptomaticus, qui deſinit determinari a ſuo idiopathico, nec ab alio morbo determinatur, jam in idiopathicum degenerat. Atque hoc valet, ſive prior morbus idiopathicus ſimul exiſtat, ſive deſinat (§. XXXII.).

§. XXXVI.

Ceſſante morbo idiopathico, ceſſant quoque ejuſdem ſymptomata (§. XXXII.).

§. XXXVII.

Morbus complicatus eſt morbus compoſitus ex duobus aut pluribus idiopathicis.

§. XXXVIII.

Omnes morbi idiopathici, nec non ſymptomatici, per ſe ſpectati, ſunt morbi ſimplices (§§. XXX & XXXII.).

§. XXXIX.

Morbi compoſiti ex ſimplicibus componuntur, nec rite intelliguntur, nondum cognitis ſimplicibus (§. XXX.).

§. XL.

Optima methodus tractandi Pathologiam requirit, ut morbi ſimplices præmittantur compoſitis (§. XXVI.).

§. XLI.

Morbus ſimplex ſolus in corpore humano numquam exiſtere poteſt (§. XXX.).

§. XLII.

Omnis morbus in ſubjecto concreto erit morbus compoſitus (§ antec.).

§. XLIII.

Ex phyſiologicis conſtat, unam functionem, quæ ſenſibus manifeſto patet, ex pluribus aliis functionibus magis ſimplicibus eſſe compoſitam. Docetur ibidem, partes corporis humani eo magis ſimilares eſſe, quo minores ſint, e. g. fibræ & fibrillæ. Quod ſi igitur in Pathologia pragmatica non niſi utiles ſubtilitates admittendæ ſint: neceſſe tunc omnino eſſe videtur, ut propoſitioni (§. XXXIX.) ſatisfacturus, ortamque hic ſimul colliſionem re-

movere conaturus, de morbis ſimpliciſſimis in generalioribus tractet, & deinde a morbis minus compoſitis ad morbos magis compoſitos progrediatur. Ad morbos vero complicatos quod attinet, ob illorum ingentem multitudinem & varietatem compendii quidem limites non ſufficiunt, a Pathologo tamen logico facile pernoſcuntur, qui aliud morborum compoſitorum genus probe perſpexit. Sed dicetur quoque ſuo loco de neceſſariis vel frequentibus circa quosdam morbos complicationibus; præmiſſis antea principiis congruis, quæ ad hanc doctrinam, diſtincte intelligendam, generatim requiruntur.

§. XLIV.

Morbus dicitur *ſolvi*, qui definit inexiſtere corpori.

§. XLV.

Solutiones morborum contingunt vel ſine ſuppetiis medicinæ practicæ, vel iisdem accedentibus. Atque pro hac diverſitate diverſæ quoque erunt ſolutiones morborum. Priores dici poterunt *naturales*; poſteriores vero *artificiales*, ſive *therapeuticæ*.

§. XLVI.

Morbi quidam naturaliter & celeriter decurrunt, & ſtatim ſtipantur eminente periculo vitæ ægri. *Morbus acutus* eſt morbus, qui celeriter decurrit, ſtatim ſtipatus eminente periculo vitæ ægrotantis. *Morbus chronicus* opponitur acuto.

§. XLVII.

Obſervantur interdum morbi chronici extraordinariæ durationis in corpore; atque tum *inveterati* ſeu *habituales* eſſe dicuntur.

§. XLVIII.

Morbus recens vocatur, qui ordinarium ſuum decurſum nondum abſolvit.

§. XLIX.

Morbus hæreditarius eſt morbus, cujus concauſſa eſt diſpoſitio quædam corporis ad morbum a parentibus in prognatos tranſlata. *Diſpoſitio* vero *corporis ad morbum* eſt ille ſtatus corporis internus, per quem determinatur morbus quidam ſub conditione aliarum cauſſarum accedentium.

§. L.

Ad ſolutionem morbi requiritur ceſſatio morbi idiopathici, qui morbum ſolutum conſtituebat (§§. XXXII & XLIV.).

§. LI.

Solutiones morborum naturales in Pathologia, therapeuticæ autem in Therapia tractandæ ſunt (§§. XXV & XLV.).

§. LII.

Morbos finiri vel vita adhuc ſuperſtite, vel cum hujus interitu, experientia teſtatur. In caſu adeoque primo æger vel ſanus fit, vel in alium morbum incidit. En fundamentum diviſionis circa ſolutiones morborum!

§. LIII.

Mors eſt ſolutio morbi (§§. XLIV & LII.), ſed omnium peſſima.

§. LIV.

In Pathologia de morte quoque agendum erit (§. ant.)

§. LV.

Morbus lethalis eſt morbus, qui non niſi per mortem ſolvitur.

§. LVI.

Si morbi ſolutio naturalis per mortem contingit, morbus tum fit lethalis, vel ob privationem remediorum; vel ob eorumdem vires non ſufficientes in caſu obvio; vel ob cauſſas morbi ita comparatas, ut nullo plane modo ſuperari poſſint (§. ant.)

§. LVII.

Omnis morbus inveteratus eſt morbus chronicus (§§. XLVI & XLVII.).

§. LVIII.

Qui morbum quemdam hæreditarium eſſe probare contendit: illum oſtendere oportet, conditionem corporis in ſubjecto quodam, quamdiu hoc vixerit, talem fuiſſe, qualem diſpoſitio ad quemdam morbum requirit (§. XLIX.).

§. LIX.

Ab ignorantia aliarum cauſſarum morbi efficientium ſufficientium non licet concludere, illum eſſe hæreditarium. Sed falſum quoque eſt, a cauſſis quibusdam morbi efficientibus ſufficientibus, præter cauſſas hæreditatis, conjicere, morbum non eſſe hæreditarium.

§. LX.

Morbus salutaris est morbus, cujus solutio remedium est alterius morbi simul existentis in corpore, hac tamen lege, ut status posterior inde enatus, non sit periculosior priore.

§. LXI.

Quomodocunque determinatus esse poterit ille morbus, cujus simul existentia supponitur in casu morbi salutaris (§. ant.).

§. LXII.

Morbus major est morbus, in quo major dissensus functionum corporis respectu hujus conservationis adest. *Morbus* contra *minor* appellatur, in quo minor dissensus functionum corporis respectu hujus conservationis adest. Æstimatur porro *initium morbi* ex ejus ortu, seu ex symptomatibus conspicuis, quibus morbus idiopathicus quidam stipatur. *Incrementum morbi* fieri dicitur, quando morbus major fit. *Morbus* porro *in statu* esse vocatur, quando post sui incrementum in uno gradu perseverat. *Decrementum* denique seu *declinatio morbi* exinde dijudicatur, quando ille minor fit.

§. LXIII.

Morbus salutaris non est major illo morbo cui remedium affert (§§. LX & LXII.).

§. LXIV.

Morbus typicus, ſeu *regularis* eſt morbus, in cujus phænomenis idem ſemper ordo apparet. *Morbus* vero *atypicus*, ſeu *irregularis* dicitur, quem typico, ſive regulari opponere licet.

§. LXV.

Omnis morbus, per ſe ſpectatus, typicus eſt (§§. II & LXIV.).

§. LXVI.

Omnis morbus complicatus, ſi tamquam unus conſideratur, typicus quoque ſit, oportebit (§. ant.)

§. LXVII.

Morbus irregularis dici nequit, niſi habita ratione ad noſtram cognitionem. Et ſic morbus vel ob ignoratas complicationes; vel alias cauſſas accedentes; vel priores deficientes; vel effectus non obſervabiles, irregularis eſſe apparet (§. ant.).

§. LXVIII.

Si in morbo complicato ſingulorum typi inter ſe collidunt, tum neceſſe eſt, ut exceptiones adſint, atque hæ ad typum morbi complicati referantur (§§. XXXVII & LXIV.).

§. LXIX.

Qui typum morbi complicati dijudicare velit, ille ſingulorum morborum typum, eorum col-

lisiones, & inde pendentes exceptiones probe pernoscere debet (§. ant.).

§. LXX.

Id, quod irregulare morbo inesse dicitur, sequentem notionem directricem præbet: morbum medico non esse satis cognitum, hinc inquirendum esse, an adsit complicatio morborum? an adsit nova causa? an prior deficiat? an quidam effectus adsint occulti?

§. LXXI.

Morbus periodicus est morbus, qui stato quodam tempore, vel quoad suum initium, vel suos paroxysmos recurrit. E contrario *morbus erraticus*, seu *vagus* dicitur, quem periodico opponere licet.

§. LXXII.

Paroxysmus vero consistit in morbi exacerbatione; atque hæc adesse putatur, quando morbus major fit.

§. LXXIII.

Ordo respectu temporis in morbis periodicis considerandus erit (§. LXXI.).

§. LXXIV.

Qui itaque morbi periodici rationem sufficientem reddere vult: illum ostendere oportet, cur ille hoc potius, quam alio tempore recurrat, vel quod idem est, cur caussa morbi periodici efficiens sufficiens hoc potius tempore, quam alio existat (§. ant.).

§. LXXV.

§. LXXV.

Ex morbo periodico erraticus fieri poteſt (§§. LXXI & LXXIV.).

Mutationis hujus, quam frequenter fieri, experientia docet, cauſſæ ſuo loco ſatis innoteſcent.

§. LXXVI.

Fieri poteſt, ut, quod ex uno corpore exhalat, idem ad aliud corpus humanum transeat. Obſervatur porro, nonnullorum morborum hanc indolem eſſe, ut illis obnoxiorum corpora materiam excernant, cujus inſinuatione, aliorum corporibus facta, in his quoque ſimilis morbus (ſed neglecta præſervatione) oriatur. Pertinent hic exempla febris petechialis, luis venereæ, ſcabiei, pluriumque aliorum morborum. E contraria parte obſervantur etiam complures morbi, ubi exhalantes ex ægris materiæ ita non nocent, aliorum corporibus importatæ, ut in his morbum illi ſimilem producant, quem in ægrotante deprehendere licuit, unde hujus materiæ facta erat egreſſio.

De varietate modorum, quibus hæc materia alterius corpori inſinuari poſſit, deinceps convenientiore loco conſtabit. Nam noſtra nunc modo refert, fundamentum ponere definitionum, in §. ſequente proponendarum.

§. LXXVII.

Indolis ad §. antec. deſcriptæ materia *miaſma*, ſive *contagium* dici ſolet, ſive etiam *materia maligna.* Sed *morbi maligni* nomine venit ille, cui vis contagii competit; ſive in quo materia adeſt, cujus trans-

latione ad aliud ſubjectum, in hoc quoque ſimilis morbus producitur. *Morbus benignus* maligno opponitur. Quod vero ad *morbum contagioſum* attinet, per illum in ſpecie intelligitur morbus malignus eminentioris gradus.

Conſenſus harum notionum cum uſu loquendi evincetur in prælectionibus, ſimulque commonſtrabitur modus, easdem rite applicandi.

§. LXXVIII.

Morbus malignus eſſe poterit modo chronicus, modo acutus (§§. XLVI & LXXVII.).

§. LXXIX.

Materia morbi contagioſi & majoris, & citioris efficaciæ ſit, oportet (§. LXXVII.).

§. LXXX.

Morbus malignus ſemper eſſe debet morbus fluidorum; morbus vero benignus eſt morbus modo ſolidorum, modo fluidorum (§§. XXIX & LXXVII)

§. LXXXI.

Qui itaque morborum malignitatem determinare audeat, illum cognoſcere oportebit mixtionem fluidorum corporis humani, nec non mutationes, quæ materiæ huic malignæ, in atmoſphæra oberranti, accidere poſſunt (LXXVII & LXXX.).

Quæ hic de morbis malignis prædicantur, illa inſtar notionum directricium habenda ſunt. Quibus jam ſi acceſſuræ ſint de eodem morborum genere accuratæ obſervationes; nullum du-

bium erit, quin malignorum natura hoc modo penitius introſpiciatur, illorumque doctrina certiſſimis principiis innitatur. Quo facto, licebit tunc etiam morborum malignorum definitiones reales veri nominis conficere. Cujus rei documenta ſuo loco proſtabunt.

§. LXXXII.

Si multitudinem ægrotantium, qui in certo quodam loco ut domi degunt, reſpicis, atque hi morbo ejusdem ſpeciei decumbere a te obſervantur; tunc tibi ad id attendendum erit, an morbus, hominibus ex hac ſocietate abortus, frequenter, vel raro iisdem accidere ſoleat, ideoque vel pro ordinario, vel extraordinario quodam malo, quod ipſis contigit, haberi debeat. Caſu jam priore oborto, *morbus* adeſſe dicitur *endemicus*, ſive *endemius*; ſin autem caſus poſterior evenerit, *morbus* tunc vocari debet *epidemicus* vel *epidemius*.

§. LXXXIII.

Morbi endemici & epidemici benigni, maligni acuti, chronici eſſe poſſunt (§§. XLVII. LXXVII. & LXXXII.).

§. LXXXIV.

Deprehenditur non numquam morbus unius ſpeciei in omnibus, vel ſaltem plerisque hominibus, qui, ampliſſimam quaſi ſocietatem conſtituentes, in certo quodam loco vivunt; quæcumque etiam alia ejusdem morbi relatio fuerit. Ejusmodi *morbus pandemius*, ſive *pandemicus* dici, eidemque *ſporadicus* opponi ſolet.

§. LXXXV.

Morbus pandemius æque, ac ſporadicus mox malignus, mox benignus eſſe poterit; itidemque vel acutus, vel chronicus (§§. XLVI. LXXVII & LXXXIV.).

§. LXXXVI.

Pro ratione differente, licebit etiam de morbo pandemio prædicare, quod ille ſimul eſſe poſſit vel endemius, vel epidemius (§§. LXXXII & LXXXIV.).

§. LXXXVII.

Nullum eſt dubium, quin ex morbo ſporadico contagioſo mox fieri poſſit morbus pandemius (§§. LXXIX & LXXXIV.).

§. LXXXVIII.

Per eſſentiam & naturam corporis humani fieri poteſt, ut in eodem morbi oriantur (§. III.). Pro ratione adeoque diverſa, quæ in illius compoſitione obtinet; obtinebunt tunc quoque morbi diverſi, primam quaſi rationem ſui agnoſcentes in hac potius, quam alia corporis humani compoſitione.

§. LXXXIX.

Dantur morbi ætatum & ſexus (§. antec.).

§. XC.

Probe attentis ad decurſum vitæ humanæ obſervare licebit, hominem, niſi ſtatus corporis ſui extraordinarie mutetur, a nativitate ſua quoad

volumen & robur corporis creſcere; in hoc ſtatu per aliquod tempus perdurare; tandem decreſcere.

Ætates diverſæ a Pathologis referuntur ad rationes dividendi morbos. Neque carent utilitate ſua, quæ inde proficiſcuntur diviſiones morborum; data imprimis opera, ut certiore alio indicio, quam numero annorum, de vera ætatis conditione conſtet. Quapropter operæ pretium fore judicavimus, in §. ſequente notiones aliquas exponere, easdemque firmiſſimo fundamento, quod modo poſuimus, ſuperſtruere.

§. XCI.

Ætas creſcens dicitur pars decurſus vitæ ab hujus initio uſque ad illud tempus, quo corpus quoad ſuum volumen & robur augeri deſinit. *Ætas conſiſtens* eſt pars decurſus vitæ a fine ætatis creſcentis uſque ad illud tempus, quo corpus quoad ſuum volumen & robur imminui incipit. *Ætas decreſcens* eſt pars decurſus vitæ a fine ætatis conſiſtentis uſque ad mortem.

Ulterius adhuc dividi ſolent iſtæ ætates, ita, ut inde jam proveniant nomina ætatis infantilis, puerilis, juvenilis, virilis, ſenilis denique. Quid his vocabulis indicetur, mox innoteſcet. *Ætas* nimirum *infantilis* eſt pars vitæ creſcentis a nativitate hominis uſque ad illud tempus, quo fonticulus coit. Quod ordinario fit circa annum ſeptimum. *Ætas puerilis* dicitur pars ætatis creſcentis a fine ætatis infantilis uſque ad illud tempus, quo in utroque ſexu circa genitalia capilli emittuntur, vox gravior fit, & ſexus amabilis fluxum menſtruum experitur. Solet id fieri

circa annum decimum quartum, vel paulo post. Ad *ætatem juvenilem* refertur pars ætatis crescentis a fine ætatis puerilis usque ad consistentem. Plerumque id fieri observatur in sexu potiore ab anno decimo quarto usque ad annum trigesimum; in sexu vero sequiore ab anno decimo quarto usque ad annum vigesimum primum. *Ætas* vero *virilis* erit ætas consistens sexus potioris, eo usque durans, donec externus habitus corporis obrigescere & membra immobilia fieri incipiant. Ordinario id contingere solet intra annum trigesimum & sexagesimum. *Ætas* tandem *senilis* æstimatur ex inchoante ætate decrescente, ubi corpus magis magisque rigidum fit, illiusque continuatione usque ad obitum hominis. Ex singulis hisce notionibus haud obscure apparet, contineri in iisdem certiores notas, ad ætatem corporis dijudicandam, quam quæ ab annorum numero depromuntur. Quis enim ignorat, quod aliquis ob vitæ genus, vel alias caussas admissas, citius senescat, qui ob exiguum annorum numerum ad ætatem vix incipientem virilem referendus foret. A quibus fallaciis te vero immunem reddent propositæ rationes in æstimandis ætatibus corporis humani. Videtur etiam natura hoc ipsum principium Pathologo digitis quasi commonstrare.

§. XCII.

Dantur itaque morbi infantum, puerorum, virginum, juvenum, virorum, maritorum & maritarum, tandemque senum (§§. LXXXIX & XCI.)

§. XCIII.

Neque minus ex §. LXXXVIII. colligere licebit, quod etiam dentur morbi hominum, certo vitæ

generi addictorum. Quorſum pertinent exempla opificum, militum, pluriumque aliorum.

§. XCIV.

Simili porro ratione ex §. LXXXVIII. conſicitur, dari morbos temperamentorum; nec non ſubjectorum, quibus ſtructura corporis vel a nativitate, vel deinde a cauſſis aliis vitiata eſt. Exemplo hominis, uno tantum brachio inſtructi, & ſic in lucem editi, vel qui alio modo unius vel alterius membri jacturam fecit.

§. XCV.

Morbus recidivans, ſive *recidivus* eſt morbus, qui poſt ſui quidem ſolutionem factam, ſanitate tamen nondum in integrum reſtituta, iterum redit.

§. XCVI.

Morbi recidivi notio requirit, ut in ægro priſtinæ ſpeciei morbus prius plane intereat, antequam denuo revertatur; relictis interea prioris exiſtentiæ ſuæ effectibus in corpore (§§. XLIV & anteced.).

§. XCVII.

Tametſi plures adhuc aliæ, præter expoſitas, morborum diviſiones in ſcholis Pathologorum proferri ſolent; ab illis tamen conſulto abſtinebimus, quia partim facile intelliguntur, auditis modo verbis; partim non tanti habendæ ſunt, ut inde vera quædam utilitas ad ipſam doctrinam pathologicam redeat. Hinc contenti hactenus explica-

catis morborum notionibus, indeque deductis principiis quibusdam generalioribus, eodem animo in id solum intento, quod verum usum pollicetur, ad novum argumentum jam progredimur.

CAPUT III.
DE
CAUSSIS MORBORUM IN GENERE.

§. XCVIII.

Caussa morbi est id, quod rationem morbi in se continet. *Caussa morbi efficiens* dicitur id, cujus actio est ratio existentiæ morbi. Si hæc ratio fuerit sufficiens, tunc etiam *caussa morbi efficiens* erit *sufficiens*,

§. XCIX.

Ex §. antecedente jam sequitur, necesse esse, ut inquirentem in caussas morbi efficientes sufficientes demonstrare oporteat, in illo contineri rationem sufficientem, quod pro caussa morbi habetur, cur morbus existentiam sui consequatur.

§. C.

Similiter ex eodem §. XCVIII. liquet, caussam efficientem sufficientem morbi semper esse ens quoddam in concreto; rationem vero sufficientem morbi ens aliquod in abstracto.

§. CI.

Conſtabit ſuo loco, multoties fieri, ut ad unius morbi in caſu obvio productionem plures cauſſæ concurrant. Quod quando fit, *morbi* tum *concauſſas* adeſſe dicimus, easque *efficientes.*

§. CII.

Quod ſi tibi in ſerie cauſſarum morbi efficientium contingere videatur, ut morbus inde productus & effectus ſit, & ſimul vim habeat cauſſæ efficientis ratione morbi alterius; atque hic iterum in cauſſam efficientem degeneret novi morbi; tunc facile animum tuum ſubibit notio differentiæ illius, quæ intercedit inter *cauſſas morborum efficientes* tam *proximas*, quam *remotas.*

§. CIII.

Cauſſæ morborum latere putantur vel in corporibus, quibus materia certarum qualitatum aſſignatur, vel in rebus aliis, ad corporum indolem non pertinentibus, ſive immaterialibus. Ratione hujus momenti *cauſſæ morborum* dividuntur in *materiales* & *immateriales.*

§. CIV.

Cauſſæ morborum ſunt vel partes eſſentiales corporis humani, vel minus. Si prius, tunc erunt vel ſolidæ, organiſatæ cum reliquis partibus, ad organiſationem totius corporis pertinentibus, connexæ, vel fluidæ intra ſyſtema arterioſum & venoſum contentæ, atque in motu progreſſivo conſtitutæ. Si poſterius, erunt vel producta

ab actione corporis humani, vel non. Si fuerint producta ab actione corporis humani; erunt vel contenta adhuc in eodem, vel magis non continebuntur ibidem. *Caussa* morbi *interna* est vel pars corporis humani essentialis, vel productum ab actione corporis, sed in eodem adhuc contentum. *Caussa* vero morbi *externa* erit, quæ neque ad partes essentiales corporis humani, neque ad ejus productum, in eodem contentum, referri poterit,

Harum notionum consensus cum usu loquendi in prælectionibus probabitur. Sed ibidem quoque indicabuntur simul rationes, cur hic omittantur multa alia vocabula; quibus plerique Pathologi in distinguendis morborum caussis uti solent. Talia exempli loco sunt, caussæ procatarcticæ, prœgumenæ, continentes, prædisponentes, occasionales, & id genus plura.

§. CV.

Si pars quædam essentialis corporis humani caussam morbi internam constituit; sequitur, ut huic ipsi parti inhæreat morbus, qui rationem sufficientem habebit morbi, ab hac caussa dependentis (§. II.).

§. CVI.

Caussa morbi symptomatici erit pars quædam essentialis corporis humani (§§. XXXII. & ant.)

§. CVII.

Caussa morbi idiopathici non erit pars quædam essentialis corporis humani (§. XXXII & CV.).

§. CVIII.

Caussa morbi interna semper quærenda erit in corpore (§. CIV.).

§. CIX.

Quia vero caussa morbi externa & in corpore, & extra illud esse potest, illam ergo quærere oportebit modo in corpore, modo extra corpus humanum (§. CIV.).

§. CX.

Si caussa quædam morbi externa, corpori inexistens ita mutatur, ut inde novum productum oriatur; hoc productum quatenus est mutatum a corpore, spectari debet ut caussa interna, quatenus vero non est mutatum, ut caussa externa (§. CIV.).

§. CXI.

Actio in distans appellari solet, quæ sine contactu corporum fieri posse concipitur.

§. CXII.

Caussa externa morbi materialis in distans agendo morbum producere nequit (§. CXI.).

§. CXIII.

Qui itaque ostendere contendit, corpus quoddam esse caussam morbi externam; illum oportet commonstrare, istud corpus partem corporis humani contigisse, in qua morbus producitur; quocumque etiam modo contactus iste factus sit (§. anteced.).

§. CXIV.

Qui morbum a caussa externa immateriali profectum esse ostendere conatur; illius erit, præ-

ſentiam ejusmodi entis immaterialis, ut ſpiritus; hujusque talem determinationem evincere, quæ morbi rationem ſufficientem ſuppeditare poſſit (§§. XCIX & CIII.).

§. CXV.

Ad propoſitionem antecedentem demonſtrandam requiritur, ut evincatur, quod contradictorium ſit, morbum in caſu obvio a cauſſa materiali eſſe profectum; quod ſpiritui in genere competat potentia motum in corpore producendi. Unde colligere licet, quam difficulter hæc probari poſſint, quum imprimis rerum materialium effectus ſæpius abſtruſiſſimi ſint!

§. CXVI.

Si anima cauſſa morbi foret, illa non niſi externa erit (§. CIV.), & quidem corpori inexiſtens. Quamvis igitur præſentia animæ in dubium vocari nequeat; hic tamen non deficiet illa difficultas, quæ ad §. anteced. exponitur.

§. CXVII.

Si ea jam conſideras, quæ in ſcriptis auctorum de magia & incantationibus, tamquam cauſſis morborum poſſibilibus, traduntur, hæc omnia eo redeunt, ut cauſſæ horum morborum concipiantur eſſe vel materiales externæ, in diſtans agentes; vel immateriales, quæ neque Deus, neque anima ægrotantis ſunt, ſed aliud ſpirituum genus. Ad primum quod attinet; illud repugnat propoſi-

tioni §. CXII. Sed neque alterum deſtituitur difficultate demonſtrandi (§. CXV.).

§. CXVIII.

Quamvis etiam cauſſæ morborum immateriales exiſterent; ex illarum tamen indagatione Pathologus medicus non adeo inſignem uſum perciperet. Sed ſecus ſe habet cum indagatione cauſſarum morbi materialium.

§. CXIX.

Hinc anima, ceu cauſſa morbi, non adeo ſollicite conſideranda erit (§. anteced.). Unde ſimul patet, quam parum commodi ſperandum ſit Pathologo ex ſyſtematibus explicandi commercium animæ & corporis.

§. CXX.

Omnis cauſſa morbi in corpus agens, eſt cauſſa efficiens ſufficiens morbi, per eamdem poſſibilis. Poſita ergo ejusmodi cauſſa, poni quoque debet morbus (§. XCVIII.).

§. CXXI.

Omnis igitur cauſſa morbi proxima efficiens erit cauſſa efficiens ſufficiens morbi (§. CII.).

§. CXXII,

Quare etiam omnis concauſſa morbi efficiens proxima erit cauſſa efficiens ſufficiens morbi, per eamdem poſſibilis (§§. CI. & ant.).

§. CXXIII.

Omnis caussa proxima morbi, quæ est pars essentialis corporis humani, non nisi morbum symptomaticum producit. Sed omnis caussa proxima morbi, quæ non est pars essentialis corporis humani, non nisi morbum idiopathicum parit (§§. CVI. & CVII.).

§. CXXIV.

Caussa morbi, quæ non est pars essentialis corporis humani, caussa morbi symptomatici proxima esse nequit, quamvis remota (§§. CII & ant.).

§. CXXV.

Duæ vel plures concaussæ proximæ morbi, quæ non sunt partes essentiales corporis humani, eumdem morbum idiopathicum producere possunt. Atque hoc quando contingit, tum quælibet concaussa erit caussa efficiens sufficiens morbi; vel quod idem est, quælibet concaussa per se sufficeret, ad morbum huncce producendum (§§. CXXII & CXXIII.).

§. CXXVI.

Si duæ vel plures concaussæ morbi proximæ, quæ non sunt partes corporis humani essentiales, eumdem morbum idiopathicum producunt; iste morbus major erit morbo idiopathico, qui tantum modo ab una caussa dependeret (§. CXXII.).

§. CXXVII.

Duæ vel plures concaussæ morbi, sive illæ fuerint internæ, sive externæ, sive ex utrisque

compoſitæ, adeoque mixtæ, cauſſæ remotæ unius morbi ſymptomatici eſſe poſſunt. Atque idem valet, ſive hæ concauſſæ remotæ unum modo morbum idiopathicum producant, ſive plures (§. CII.).

§. CXXVIII.

Duæ vel plures concauſſæ, quæ partes corporis humani eſſentiales ſunt, cauſſæ proximæ ejusdem morbi ſymptomatici eſſe poſſunt. Et ſi hoc contingit, tunc quælibet earum erit cauſſa ſufficiens, ad ſymptoma hocce producendum (§. CXXII.).

§. CXXIX.

Duæ vel plures concauſſæ, quæ partes corporis humani eſſentiales ſunt, cauſſæ remotæ ejusdem morbi ſymptomatici eſſe poſſunt (§. CII.).

§. CXXX.

Si morbus quidam concauſſas duas habuerit, unam ſcilicet, quæ pars eſt corporis humani eſſentialis; alteram vero, quæ talis non eſt, ejusmodi morbus erit, reſpectu prioris cauſſæ, morbus ſymptomaticus; reſpectu autem poſterioris, morbus idiopathicus (§§. CXXIII & CXXIV.).

§. CXXXI.

Quando ex morbo ſymptomatico idiopathicus fit, tum neceſſe eſt, ut priore cauſſa proxima, quæ pars erat corporis humani eſſentialis, jam extincta, ille incipiat habere cauſſam proximam,

quæ non eſt pars eſſentialis corporis humani, adeoque vel cauſſa quædam externa, vel productum corporis humani (§§. CXXIII & CXXIV.).

§. CXXXII.

Morbus complicatus duas vel plures concauſſas proximas, quæ non ſunt partes corporis humani eſſentiales, habeat neceſſe eſt, & quarum quælibet diverſum morbum idiopathicum producit. Quo ſimul pluralitas concauſſarum circa quemlibet morbum idiopathicum diverſum in complicatione non excluditur (§§. XXXVII & CXXIII.).

§. CXXXIII.

Omnis morbus cauſſam aliquam ſibi præſentem requirit; quamvis cauſſarum viciſſitudines fieri poſſint (§. XCVIII.).

§. CXXXIV.

Morbo ſublato, ejus cauſſa numquam ſuperſtes eſſe poteſt; & morbi cauſſa ſublata, morbus etiam tollitur, qui per eamdem erat poſſibilis (§. anteced.).

§. CXXXV.

Omnis diſpoſitio ad morbum morbus erit qui cum aliis cauſſis ſimul accedentibus rationem ſufficientem in ſe continebit, cur alius morbus ad actum deveniat (§. XLIX.).

§. CXXXVI.

Morbi maligni & benigni oriuntur a cauſſa modo interna, modo externa (§§. LXXVII & CIV.)

§. CXXXVII

§. CXXXVII.

Morbi maligni ſupponunt corruptam mixtionem fluidorum (§. LXXXI.)

§. CXXXVIII.

Si morbus malignus a cauſſa externa oritur: particulae, quae corpus ingrediuntur, mixtionem depravare debent (§. anteced.)

§. CXXXIX.

Morbi benigni fluidorum in malignos degenerare poſſunt (§§. LXXX & CXXXVII.)

§. CXL.

Morbi endemici & epidemici a cauſſa tam interna, quam externa oriuntur. Atque idem quoque de morbo pandemio & ſporadico praedicare licebit (§§. LXXXII. LXXXIV & CIV.)

§. CXLI.

Circulus cauſſarum internarum morbi eſt ille ſtatus internus corporis humani, cujus cauſſae non niſi internae ſunt, a ſe invicem dependentes; vel eſt ille ſtatus internus corporis humani, ubi in morbo compoſito non datur ſimplex, qui non determinetur ab alio.

§. CXLII.

Circulus cauſſarum internarum morbi nullam contradictionem involvit (§. anteced.)

§. CXLIII.

Si de morbo periodico probari poteſt, eumdem non exiſtere ob cauſſam quamdam externam: tunc neceſſe erit, ut ille exiſtat ob circulum cauſſarum internarum morbi (§§. LXXIV & CXLI.)

§. CXLIV.

Cauſſæ morbi externæ & internæ, quæ productum quoddam corporis humani ſunt, circulum cauſſarum internarum morbi mutare poſſunt (§. CXLI.)

§. CXLV.

Hinc neceſſe erit, ut ex morbo periodico erraticus fiat (§. anteced.)

§. CXLVI.

Morbi ætatum, nec non illorum hominum, qui ſingulari vitæ genere gaudent, aut quibus jam a nativitate, vel deinceps ex aliis cauſſis externis ſtructura corporis vitiata eſt, erunt vel diſpoſitiones ad morbos, vel morbi quidam peculiares; ad quos producendos concurrebant diſpoſitiones morborum.

§. CXLVII.

Non datur corpus humanum vivum, quod per eminentiam ſanum eſſe dici poſſet (§. anteced.)

§. CXLVIII.

Sæpius experientia docuit, rerum ſex non naturalium incongruo uſu admiſſo, varios in corpore

humano morbos ſuboriri. Hinc non immerito res iſtæ ad cauſſas morborum a Medicis referuntur. Quod jam longo abhinc tempore factum eſt, & quidem ita, ut putaretur, in hoc numero ſexenario omnes morborum cauſſas poſſibiles contineri. Pertinent vero ad res ſex non naturales aer, cibus & potus, motus & quies, ſomnus & vigiliæ, excreta & retenta, tandemque pathemata animi.

§. CXLIX.

Exponendum jam erit, ad quod cauſſarum genus commode reduci poſſint res ſex non naturales, quibus morbos efficiendi potentia quædam attribuitur. Ne hic vero vocabula quædam ambiguitati anſam præbere videantur, conveniet eadem definitione prius explicare. Ad *cibum* nempe & *potum* referuntur quæcumque ſolida & fluida aſſumpta, quæ conficiendo chylo & nutritioni corporis inſerviunt. *Motus* vero hic non alius intelligitur, quam voluntarius. Atque huic jam opponitur *quies*, quæ ideo motus voluntarii abſentia erit. *Excreta* hoc loco dicuntur contenta intra corpus humanum, quatenus vero extra illud ejiciuntur. *Retenta* vero erunt, quæ extra corpus humanum non ejiciuntur.

§. CL.

Aer, quatenus ſuperficiem corporis ambit, ſi eſt cauſſa morbi, erit externa; quatenus in mixtione fluidorum continetur, interna erit, & quidem pars eſſentialis corporis humani; quatenus vero faucibus, oeſophago, ventriculo, inteſtinis, pul-

monibus ineſt, ibique mutatur, vel ſi ex mixtione fluidorum ſecedit (ubi aer factitius dicitur), pro corporis humani producto, adeoque etiam cauſſa interna morbi haberi poterit (§. CIV.)

§. CLI.

Si cibus & potus cauſſæ morborum fiunt: quatenus corpori ingeruntur, erunt morborum cauſſæ externæ; ad internas vero referri poterunt, quando jam mutantur actione corporis (§. CIV.)

§. CLII.

Reliqua, quæ in corpus feruntur per tubum cibarium, ſi non mutantur, eſſe poterunt cauſſæ morborum externæ; internæ vero, ſi mutantur (§. CIV.)

§. CLIII.

Motus & quies rationem ſufficientem morbi conſtituere poſſunt; cauſſa vero efficiens ſufficiens erit pars corporis humani, & anima cauſſa apparens remota (§§. C. & CII.)

§. CLIV.

Si ſomnus & vigiliæ ab arbitrio animæ pendent, atque ad morborum cauſſas referri poſſunt; tunc de illis idem quoque valebit, quod jam in §. anteced. de motu & quiete præceptum erat.

§. CLV.

Si ad morborum cauſſas excreta pertinent; illa non niſi cauſſæ externæ dici poterunt. Quod

ſi vero de retentis prædicare liceat, quod illa ſint vel partes eſſentiales corporis humani, vel hujus producta, ſimulque habeant vim morbos producendi; illa tunc morborum cauſis internis accenſenda erunt. Quandoquidem vero contingit, ut retenta neque ad partes eſſentiales corporis humani, neque ad ejus producta reduci poſſint. Quæ ideo ad morborum cauſas externas ſpectabunt (§. CIV.).

§. CLVI.

Si pathemata animi rationem ſufficientem morbi in ſe continerent, anima tunc foret morbi producti cauſa, eaque externa (§. CXVI.).

§. CLVII.

Ex eo, quod pathema aliquod animi admiſſum eſt, Pathologo ad illam mutationem tuto colligere licebit, quæ ordinario in corpore tunc ſubſequi ſolet; niſi aliæ cauſæ adfuerint, hanc mutationem impedientes (§. CXX.).

§. CLVIII.

Tantum vero abeſt, ut ſub numero rerum ſex non-naturalium omnes, quæ exiſtere poſſunt, morborum cauſæ comprehendantur, ut potius aliæ adhuc dentur, quas ibidem referre non licebit. Loco exempli inter alia hic pertinebunt illa corpora naturalia, quæ, quamvis a numero illo ſenario rerum non-naturalium aliena ſint; morbos tamen in corpore humano producere poſſunt; id docente experientia, fidiſſima illa veritatis magiſtra. De iſta cauſarum multitudine & varietate in con-

citandis morbis infra ex obſervationibus conſtabit quam luculentiſſime.

§. CLIX.

Dantur cauſſæ morborum, quæ in ſenſus nec Medici, nec ægri, nec adſtantium cadunt. Cujus rei exemplum præbent complures caſus inopinati, quos inter homines accidiſſe experientia docuit. Quando quis ſcilicet bona valetudine gaudens e domo egreditur, mox vero apoplecticus in platea fit; deficientibus cauſſis manifeſtis, quas æger ſive domi, ſive foras admiſiſſet. Vel ſi quis bene valere atque animo hilari eſſe videtur, mox epulis accumbens inter jocos amicorum tantopere convellitur, ut de ſella ſubito in terram procidat, triſtiſſimo præſentium ſpectaculo! Hujus loci quoque forent exempla hyſtericarum, quibus non numquam caſus præter omnem expectationem oboriri ſolent, admiratione digniſſimi.

§. CLX.

Quoniam a Pathologo in genere requiritur, ut rationem reddat ſufficientem, cur morbi ad exiſtentiam veniant; illumque ideo oporteat cauſſas morborum efficientes ſufficientes, pro conditione caſus oborti, invenire (§. VI.): nemo non videt, omnem ipſi operam dandam eſſe, ut ſibi etiam proſpiciat de illis ſubſidiis, quæ multum facere poſſunt ad citiorem inventionem ejuſmodi cauſſarum abſconditarum morbi. Quibus ſubſidiis annumerari imprimis merentur.

I. Phyſica ad corpus humanum applicata, decenſque earum rerum naturalium cognitio, quæ in nexum aliquem cum corpore humano veniunt.

II. Multiplices obſervationes circa ordinarium in corpore humano.

III. Accurata collectio ſignorum morbi & cauſſæ morbi.

§. CLXI.

Unde jam patet, neceſſe eſſe, ut hic omnibus numeris abſoluta ſit cognitio hiſtorica ſubjecti morboſi, ad hiſtoriam morbi contexendam (§. XVI.).

§. CLXII.

Prolatis hucuſque præcipuis momentis, quæ ad morborum cauſſas, harumque diviſiones & mutuas ad ſe relationes ſpectabant, id adhuc reſtare videtur, ut hic quoque de harum cauſſarum modo agendi, ſive virium conditionibus ſimul agatur. Verum enim vero quum id ſine multiplicium obſervationum ope perfici nequeat; conſultum fore judicavimus, hanc doctrinam ad ea capita reſervare, in quibus de morborum generibus & ſpeciebus ſermo erit.



CAPUT IV.

DE MORBORUM HORUMQUE CAUSSARUM SIGNIS IN GENERE.

§. CLXIII.

Omne id, quod in corpore humano deprehenditur, ex quo tibi colligere licebit, morbum vel adesse, vel adfuisse, vel futurum esse, *signum morbi* appellatur. Unde vero conficitur ad caussam morbi sive præsentem, sive præteritam, sive futuram, id necessario *signum caussæ morbi* erit. Quod tandem per signum in genere indicatur, *signatum* dici solet. Quare jam patet, signorum morbi hujusque caussæ non aliud signatum fore, quam morbum ipsum & hujus caussam.

§. CLXIV.

Signum in genere dicitur *naturale* esse, cujus significatus ratio sita est in ipsa rei essentia & natura. Cui jam opponitur *signum artificiale*, utpote cujus significatus nullam aliam rationem agnoscit, præter arbitrium entis cujusdam intelligentis.

§. CLXV.

Signa morborum horumque caussarum, quæ in Pathologia indicare convenit, non nisi signa naturalia erunt (§§. III. X & anteced.).

§. CLXVI.

Signa morbi probe diſtinguenda ſunt a ſignis cauſſæ morbi (§. XXV.).

§. CLXVII.

Signum morbi, cujus ſignatum præſens eſt, dicitur eſſe *domonſtrativum*, ſive *diagnoſticum*, ſive ſimpliciter *ſignum pathognomicum*. *Signum* vero *prognoſticum morbi* vocatur, cujus ſignatum futurum eſt. Tandem *ſignum morbi recordativum*, ſive *memoriale*, ſive *rememorativum*, *ſive anamneſticum* illud vocatur, cujus ſignatum præteritum eſt.

§. CLXVIII.

Signum commune morbi, vel *cauſſæ morbi* illud erit, quod pluribus morbis, vel pluribus cauſſis morborum competit. *Signum* vero *proprium morbi*, vel *cauſſæ morbi* illud dicendum erit, quod certo ſolum morbo, vel certæ cauſſæ morbi competit. Signum proprium morbi appellari etiam ſolet ſimpliciter *ſignum pathognomonicum*.

§. CLXIX.

Signum ſufficiens morbi, vel *cauſſæ morbi* eſt ſignum, cujus ope certum morbum, vel certam morbi cauſſam ab aliis diſtinguere licet. E contraria parte *ſignum inſufficiens morbi*, vel *cauſſæ morbi* dicitur, cujus beneficio mihi non licebit certum morbum, aut ejus cauſſam certam ab aliis diſcernere.

§. CLXX.

Si quædam per rerum naturam vel coexiſtunt, vel ſe invicem ſequuntur, eorum unum alterius ſignum eſt.

§. CLXXI.

Propoſitio ontologica ad §. anteced. enuntiata applicari quoque poterit ad ſigna cauſſarum morbi & ſigna morborum; exemplo pathematis animi, quod ſignum eſſe poterit morbi, qui cum eo coexiſtere, vel illud ſequi obſervatur.

§. CLXXII.

Si etiam quædam a communibus cauſſis dependent, eorum unum alterius ſignum eſſe poterit.

§. CLXXIII.

Ne hoc quidem principium ontologicum, quod in §. anteced. continetur, uſu caret in evolvendis morborum horumque cauſſarum ſignis.

§. CLXXIV.

Cauſſæ efficientes ſufficientes morbi & effectus perceptibiles ſunt ſigna morbi (§. CLXIII.). Si cauſſa; illa erit vel externa, vel interna. Si effectus; ille erit vel morbus ſymptomaticus, vel productum corporis humani, ibidem ob morbum ortum. Atque hoc ſi factum fuerit; tunc ejuſmodi productum erit vel retentum, vel excretum.

§. CLXXV.

Signum caussæ efficientis sufficientis morbi esse poterit morbus ipse cum caussa remotiore (§. CLXIII.),

§ CLXXVI.

Signum commune cujusdam morbi, vel caussæ morbi est signum insufficiens (§§. CLXVIII & CLXIX.).

§. CLXXVII.

Si quis morbus signa habeat communia, quorum aliud cum hoc, aliud cum alio morbo commune est; atque hæc signa communia in hoc tantum, nec in quocumque alio morbo simul existant: necesse tunc erit, ut signa hæc communia simul sumpta fiant signa sufficientia, ad hunc potius, quam alium morbum dignoscendum. Id quod etiam de caussis morbi valebit (§§. CLXVIII & CLXIX.).

§. CLXXVIII.

Omne signum proprium morbi, vel caussæ morbi erit signum sufficiens (§§. CLXVIII. & CLXIX.).

§. CLXXIX.

In Pathologia pragmatica non nisi signa morbi, vel ejus caussæ sufficientia eruenda sunt (§. CLXIX.).

§. CLXXX.

Quando igitur signa communia morbi, vel caussæ morbi sufficientibus æquivalent (§. CLXXVII):

inutile tunc foret, in ſigna propria inquirere (§. anteced.).

§. CLXXXI.

Morbus ſymptomaticus, qui deprehenditur, ſignum morbi alterius eſt, qui prioris rationem ſufficientem in ſe continet (§§. XXXIII & CLXXIV.).

§. CLXXXII.

Cauſſa morbi externa & productum corporis humani, in eodem adhuc contentum, ſigna morbi idiopathici ſuppeditare poterunt (§§. CLXIII & CLXXIV.).

§. CLXXXIII.

In Pathologia tradenda veniunt ſigna pathognomica, prognoſtica, anamneſtica (§§. X & CLXVII.).

Curabimus id æque, atque omne aliud efficere, quod modo Pathologia pragmatica, ad compendium collata, poſtulare videtur; ubi partim ad uſum, qui inde ad medicinam practicam redit, partim vero ad brevitatem reſpicitur.

Prolegomenorum Pathologiæ

FINIS.

LIBER PRIMUS
DE
MORBIS SIMPLICIBUS.

SECTIO PRIMA
DE
MORBIS SOLIDORUM SIMPLICIBUS.

CAPUT I.
DE
MORBIS SOLIDORUM SIMPLICIBUS IN GENERE.

§. I.

ELementum partis ſolidæ corporis humani dicitur particula minima mixti, ex quo partes organicæ componuntur.

§. II.

Elementa ſolidorum corporis humani inter ſe cohærent ob motum inteſtinum partium miſcibilium, ex quibus conſtant.

§. III.

Cauſſæ cohæſionis elementorum erunt elementa ad ſe invicem relata; rationem autem ſufficientem conſtituet motus inteſtinus cujuslibet elementi, quatenus idem cauſſa eſt (§. ant.).

§. IV.

Poſita certa mixtione ſolidorum corporis humani, ponuntur quoque certi cohæſionis gradus, per eamdem mixtionem poſſibiles (§. II.).

§. V.

Cornu cervi ſicciſſimum, aut aliud os ejuſdem conditionis, ante ſui calcinationem plenariam multum aquæ demittit.

§. VI.

In elementis ſolidorum aqua immixta eſt (§. anteced.).

§. VII.

Oſſa in machina Papiniana, affuſa iiſdem aqua, in gelatinam abeunt, quæ refrigerata ſiccitatem aliquam præ ſe fert, flexilis apparet, magiſque exſiccata, dura & friabilis fit. Gypſum calcinatum friabile cum certa aquæ quantitate in lapideum concrementum tranſit. Si vero aquæ proportio modum exceſſerit, gypſum fit fluidum.

§. VIII.

Certa aquæ proportio reſpectu reliquorum miſcibilium in elementorum partium ſolidarum mixtione neceſſaria erit, ne ſint friabiles & fluidæ.

Adeoque inter hos limites diverſæ aquæ quantitates poſſibiles erunt (§. anteced.).

§. IX.

Quare quantitates cohæſionum in elementis, ab eorum mixtione pendentes, ſe habebunt in ratione inverſa quantitatum aquæ (§. anteced.).

§. X.

Poſſibilis eſt major, vel minor quantitas aquæ immixtæ elementis ſolidorum, quam quæ ad ſanam eorumdem cohæſionem requiritur [§. VIII.].

§. XI.

Siccitas elementorum in ſolidis corporis humani eſt minor aquæ quantitas, quæ in illorum mixtione, tamen ſine friabilitate, continetur, quam quæ neceſſaria eſt ad ſanitatem.

§. XII.

Humiditas elementorum in ſolidis corporis humani eſt major quantitas aquæ, quæ in illorum mixtione, ſed ſine fluiditate, continetur, quam quæ ad ſanitatem requiritur.

§, XIII.

Siccitas & humiditas elementorum partium ſolidarum morbi ſunt [§§, XI & XII.].

§. XIV.

Morbi elementares partium ſolidarum corporis humani poſſibiles ſunt [§. anteced.].

§. XV.

Cauſſa ſiccitatis & humiditatis elementorum proxima eſt fluidum corporis humani nutriens, qua tale; & mixtio hujus fluidi erit ratio ſufficiens dictorum morborum [§. X.].

§. XVI.

Poſſibilis erit elementorum in ſolidis corpori humani cohæſio vel major, vel minor illa, qua ad ſtatum ſanitatis requiritur.

§. XVII.

Rigiditas majoris gradus cohæſione elemento rum in parte ſolida abſolvitur, quam cum ſani tate convenit.

§. XVIII.

Rigiditas ſolidorum erit morbus [§. anteced.]

§. XIX.

Rigiditatis ſolidorum cauſſa proxima ad ipſ elementa in ſolidis redit, quatenus mixta in hoc ce caſu [§. IX.].

§. XX.

Debilitas ſolidorum eſt cohæſio elementoru partium ſolidarum corporis humani ſana mino

§. XXI.

Debilitas ſolidorum eſt morbus [§. anteced.

§. XXI

§. XXII.

Caussa debilitatis proxima erunt elementa, quatenus mixta in hocce casu. Hinc duplici modo ista caussa concipi poterit. Vel aquæ major defectus in elementis hic aderit, quam qui in rigiditate obtinet; vel aqua ibidem multo magis abundabit, quam opus est ad sanitatem. Nam in utroque casu elementa partium solidarum corporis humani minorem inter se habebunt cohæsionem (§. X.).

§. XXIII.

Simili etiam ratione fieri potest, ut cohæsio inter elementa partis solidæ corporis humani plenarie tollatur.

§. XXIV.

Solutio continui est cohæsionis elementorum partis solidæ corporis humani plenaria sublatio.

§. XXV.

Solutio continui est morbus, cujus caussa esse poterit tam interna, quam externa; prout sequentia docebunt.

§. XXVI.

Putrefactio partium solidarum est solutio continui, quæ fit per putrefactionem elementorum; sive quæ tali motu intestino in elementis perficitur, qualis in massis putrescentibus adest.

§. XXVII.

Caussa putrefactionis proxima esse potest materia putrescens parti solidæ contigua, ut motum suum putrefactorium ibidem concitare possit. Atque hæc materia erit vel productum corporis

humani, vel corpus aliquod, quod agit ut caussa externa.

§. XXVIII.

Ambustio partium solidarum est solutio continui, per motum igneum in elementis facta.

§. XXIX.

Caussa ambustionis est omne corpus, in motu igneo constitutum, quod partes solidas contingit.

§. XXX.

Arrosio partium solidarum est solutio continui, quae ibidem a salibus, ad elementorum mixtionem non pertinentibus, perficitur.

§. XXXI.

Caussa proxima arrosionis latebit in salibus, ratione elementorum vim menstruam habentibus, illisque contiguis; sive illi agant ut caussa externa, sive interna.

§. XXXII.

Datur adhuc alia species solutionis continui partium solidarum, quae non conjuncta est cum elementorum mutata mixtione. Cujus caussa esse potest tam externa, quam interna pro ratione partium.

§. XXXIII.

Fieri potest, ut partes solidae situm suum ita mutent, ut inde oriatur dissensus functionum corporis humani ratione conservationis suae.

§. XXXIV.

Dislocatio eſt talis partium ſolidarum ſitus, qui onnectitur cum diſſenſu functionum corporis hunani reſpectu conſervationis ſuæ.

§. XXXV.

Dislocatio itaque morbus erit [§. anteced.].

§. XXXVI.

Cauſſa dislocationis eſſe poteſt modo externa, nodo interna.

§. XXXVII.

Contingere poteſt, ut partes ſolidæ organicæ n corpore humano oriantur, quæ prorſus abeſſe eberent a ſtatu ſanitatis. Quibus jam ortis, oriur morbus partium ſolidarum, cum quibus organiſatione ſua connectuntur ejuſmodi partes abunantes. Ad cauſſam vero morbi hujus proximam uod attinet; illa ſita erit in parte ſolida organica, ex quibus modo dictæ partes ortæ ſunt.

§. XXXVIII.

Sed fieri etiam poteſt, ut quædam partes ſodæ in corpore humano deficiant, quarum præentiam requirebat ſanitas. Talis partium defectus norbus erit, cujus cauſſa tam interna, quam xterna eſſe poterit.

§. XXXIX.

Quandoquidem accidit, ut pars quædam ſoda citius & plus increſcat, quam opus eſt ad

ſanitatem. Aderit tunc morbus, qui pro ſu
cauſſa proxima fluidum nutriens agnoſcit, quod
nimium affluit ad partes iſtas augendas. Ob re
ſimilitudinem hic quoque ille caſus pertinebit
quando nimirum partes ſolidæ a varietate & co
pia materiarum, ibidem contentarum, ad juſto
majus volumen perducuntur. Oriuntur inde *tu*
morum nomina varia.

§. XL.

E contrario etiam fieri poterit, ut uni vel al
teri parti ſolidæ corporis humani illud augmen
tum deficiat, quod in ſtatu ſanitatis adeſſe deberet.
Ejuſmodi quid pro morbo habendum erit, cujus
cauſſa proxima ad omne id redibit, quod vaſorum
in iſtis partibus ſolidis permeabilitatem lædit.

§. XLI.

Morborum, qui ad partes ſolidas referri ſolent,
generibus hucuſque explicatis, ad ſpecies jam pro-
gredimur; id negotium ſequenti ordine expedituri.

CAPUT II.

DE MORBIS OSSIUM SIMPLICIBUS.

§. XLII.

DE rigiditate & debilitate oſſium idem valet, quod in §§. XVII. XIX. XX & XXII. in genere dictum eſt.

§. XLIII.

Fragilitas oſſis eſt illius debilitas, ob defectum quæ in elementis orta.

§. XLIV.

Mollities oſſis dicitur illa debilitas oſſis, quæ b abundantia aquæ in ejuſdem elementis dependet.

§. XLV.

De putrefactione, ambuſtione & arroſione oſſis dem quoque valebit, quod jam in §§. XXVI-XXXI. generatim propoſitum erat.

§. XLVI.

Caries oſſis dicitur putrefactio oſſis, ab illius ſuperficie externa incipiens.

§. XLVII.

Cauſſa cariei eſſe poteſt materia quæcumque putreſcens, contigua cum oſſis ſuperficie externa; ive illa ſpectetur ut cauſſa externa, ſive interna, xemplo fluidi extravaſati putreſcentis, vel paris ſolidæ cum fluido contento in putredinem uentis.

§. XLVIII.

Spina ventoſa appellatur putrefactio oſſis, incipiens ab ejuſdem ſuperficie interna.

§. XLIX.

Spinæ ventoſæ cauſſa ſita erit in materia quadam putrida, quæ ad ſuperficiem oſſis internam continetur.

§. L.

Spinæ ventosæ tres gradus numerari solent. *Primus* nimirum *gradus* tunc adesse dicitur, quando superficies externa ossis adhuc integra est. *Secundus* vero *gradus* æstimatur ex tumore ossis. *Tertius* denique *gradus* ex putrefactione ossis, quæ jam ad illius superficiem externam pervenit, dijudicatur.

§. LI.

Ex §§. XLIX. & L. haud difficulter colligere licebit, quo nimirum modo caussæ concipiendæ sint, a quibus hæc graduum diversitas in spina ventosa proveniat.

§. LII.

Fractura ossis est illius solutio continui, quæ sine elementorum ossis mutata mixtione contingit.

§. LIII.

Fissura est talis solutio continui in osse, quæ sine illius elementorum mixtione mutata ita fit, ut particulis ossis soluti adhuc attribui possit cohæsio quædam.

§. LIV.

Caussa fracturæ & fissuræ externa erit, instar vis cujusdam intensioris concipienda.

§. LV.

Pro ratione solutionis continui, quæ simul in partibus mollibus, flexilibus, ossibusque fractis

vel fiſſis ſuperſtratis, modo oboritur, modo non: *fracturæ* & *fiſſuræ* erunt modo *complicatæ*, modo *ſimplices*.

§. LVI.

Luxatio eſt dislocatio oſſis reſpectu ſuæ articulationis.

§. LVII.

Cauſſa luxationis eſſe poteſt externa, quæ vi quadam os cogit in ſitum incongruum. Neque vero cauſſæ internæ hic deficiunt. Ligamentis enim, quæ os in articulo continent, vel debilitatis, vel ſolutis; vel illorum uno debilitato, altero ad rigiditatem perducto; vel muſculorum motoriorum partium luxatarum actione ſupra modum intenſa; luxatio neceſſario eveniat, oportebit. Pertinent hic etiam capitis oſſis tumor, excreſcentiæ in articulorum locis, atque aliæ materiæ ibidem præſentes.

§. LVIII.

Luxationes dividi ſolent in *completas*, ſive *totales*, ſive *perfectas*, & *incompletas*, ſive *partiales*, ſive *imperfectas*. *Completæ* nimirum dicuntur *luxationes* eſſe, quando caput oſſis luxati ex acetabulo ſuo prorſus prolabitur. Quum e contrario in *luxationibus incompletis*, quas etiam *ſubluxationes*, ſive *diſtorſiones* vocare ſolent, pars aliqua capitis oſſis inter acetabulum ſuum adhuc hæreat.

§. LIX.

Gibbus dorſi eſt luxatio vertebrarum dorſi.

§. LX.

Quod ſi etiam os aliquod ita incurvatur, ut hæc incurvatio perfectioni corporis admodum contraria fiat; tunc morbus iſte ſpecies erit dislocationis.

§. LXI.

Gibbus pectoris eſt dislocatio oſſis ſterni, quæ conſiſtit in ejus incurvatione.

§. LXII.

Oſſis incurvati cauſſæ eſſe poterunt modo externæ, modo internæ, vi paulo majore agentes; concurrente imprimis oſſis incurvandi mollitie.

§. LXIII.

Superoſſatio eſt illa affectio oſſis, ubi pars ſibi ſimilis excreſcit, quæ abeſſe deberet in ſtatu ſanitatis.

§. LXIV.

Cauſſa ſuperoſſationis conſiſtit in copioſiori fluidi nutrientis affluxu, facto ad ea præſertim loca oſſis, ubi ſolutio continui exſtiterat.

§. XLV.

Fieri poteſt, ut oſſa vel majus, vel minus incrementum capiant, quam ad hominis ſtatum ſanitatis requiritur. Talis oſſium conditio morbus erit, de cujus cauſſa idem notari poterit, quod in §§. XXXIX & XL. docetur.

§. LXVI.

Rhachitis eſt morbus, cujus præſentia exinde cognoſcitur, quando in homine oſſa quædam magis, alia vero minus increviſſe, ſubluxata tandem & incurvata eſſe deprehenduntur.

§. LXVII.

Cauſſa rhachitidis proxima ad ea reducitur, quæ in §§. LVI. LVII. LVIII. LXII & LXV. proponuntur.

CAPUT III.

DE MORBIS SIMPLICIBUS CARTILAGINUM.

§. LXVIII.

De rigiditate & debilitate cartilaginum idem valet, quod dictum eſt in §§. XVII. XIX. XX & XXII,

§, LXIX.

Oſſificatio cartilaginis eſt illius tanta rigiditas, ut inflexilitati oſſium æquipolleat.

§. LXX.

Quæ de oſſium mollitie in §. XLIV. prædicantur, ea quoque de cartilaginum mollitie valebunt.

§. LXXI.

De ſolutione cartilaginum tam in genere, quam in ſpecie de illarum ambuſtione, arroſione, putrefactione, ſive hæc a parte interna, ſive a ſuperficie externa incipiat, nec non de earumdem ſolutione, quæ non a mixtionis vitio dependet, omnia quoque affirmare conveniet, quæ de eodem argumento ſupra jam expoſita erant (§§. XXIV - XXXII.).

§. LXXII.

De cartilaginum dislocatione in genere idem quoque tenendum erit, quod in §. XXXIII. præcipitur. Ad illius vero cauſſam quod attinet; hæc eſſe poterit vel externa violenta, vel interna, ut os dislocatum. Cui adhuc accedit, quod cartilago, quæ mobilis ſuſpenſa tenetur a ligamentis, ſitum ſuum mutare poſſit; ligamentis iſtis debilitate aut rigiditate affectis.

§. LXXIII.

De majori vel minori incremento cartilaginum hominis ſanitati contrario, conſtare quoque poterit ex §§. XXXIX & XL.

§. LXXIV.

Cartilaginum tumores ſui cauſſam admittunt modo vaſorum ſuorum nimias repletiones, ſive alias materias, ibidem abundantes.

§. LXXV.

Excrescentia cartilaginis eſt pars ejus abundans, quæ deficere deberet in ſtatu ſanitatis. Cujus morbi cauſſa liquida eſſe poterit ex §. XXXVII.

CAPUT IV.

DE MORBIS SIMPLICIBUS FIBRARUM PARTIUM FLEXILIUM NON CARTILAGINEARUM ET VASORUM IN GENERE.

§. LXXVI.

OMnes partes flexiles non cartilagineæ conſiderari poſſunt tamquam multitudo vel fibrarum, vel vaſorum. Sed vaſa ex fibris texta ſunt. Neceſſe igitur erit, ut prius de morbis fibrarum, quam vaſorum, agatur.

§. LXXVII.

De ſiccitate, humiditate, rigiditate & debilitate fibrarum idem quoque prædicare licebit, quod jam ſupra propoſitum erat (§§. XI. XXII.).

§ LXXVIII.

Neque minus de fibrarum ſolutione continui ejuſque ſingulis ſpeciebus idem etiam valebit, quod jam ſupra de eodem argumento dictum erat (§§. XXIV. XXXII.)

§. LXXIX.

Ruptio fibræ est solutio continui in fibra, quæ sine hujus mixtione mutata contingit.

§. LXXX.

Caussa ruptionis esse potest tam externa, quam interna, utraque vero tantæ efficaciæ, ut fibræ extendantur usque ad solutionem continui sui.

§. LXXXI.

Facultas fibræ sese magis extendendi & minus contrahendi, quam opus est ad sanitatem, morbus erit, cujus caussam fibra ipsa constituet, quatenus debilis est ob humiditatem (§§. XII & XXII.).

§. LXXXII.

Facultas fibræ sese magis contrahendi & minus extendendi, quam par foret ad sanitatem, morbus erit, cujus caussam fibra ipsa efficiet, quatenus rigida est (§§. XVII & XIX.).

§. LXXXIII.

Spasmus est contractio fibræ involuntaria vel major, vel plus perdurans, quam necessarium est ad sanitatem.

§. LXXXIV.

Caussam spasmi fibræ generatim ita tibi concipere poteris. Omnis fibra ex fibrillis constat, inter se cohærentibus. Ex pluribus fibris, quæ singulæ inter se quoque cohærent, efformantur

partes integræ, ut mufculi, membranæ. Quod fi itaque ad latitudinem fibrarum in punctis cohæfionis fuæ producatur extenfio perdurans: tum neceffario fubfequetur fpafmus. Quod etiam eveniet, una fibra facta rigidiore altera.

§. LXXXV.

Extenfio fibræ eft elongatio fibræ involuntaria vel major, vel plus perdurans, quam opus eft ad fanitatem.

§. LXXXVI.

Cauffa extenfionis fibræ eft vel interna, vel externa; quatenus elongatio fibræ contingit, vel ob preffionem ejus ad latera, vel tractionem fecundum ejus longitudinem.

§. LXXXVII.

Concretio fibrarum, quæ in ftatu fanitatis hominis cujufdam non concretæ effe deberent, morbus eft, ejufque cauffæ redibunt ad fibras ipfas, quatenus ad contactum valide coguntur.

§. LXXXVIII.

Quando etiam fibra tantam rigiditatem obtinet, ut cartilagini plane fimilis fiat; quod vero in certo fubjecto ratione fanitatis deficere deberet: ftatus ifte morbus erit, de cujus cauffa idem quoque fciendum eft, quod fupra de rigiditate dictum fuit, (§§. XVII. & XIX.).

§. LXXXIX.

De incremento fibrarum idem valet, quod §. XXXIX. in genere docet.

§. XC.

In textura vaſorum obſervantur fibræ longitudinales & orbiculares, ſive quæ in ſe redeunt. Jam de utroque genere fibrarum ea quoque valebunt, quæ nunc modo generaliter de fibris edicta ſunt.

§. XCI.

De vaſorum rigiditate, debilitate, facultatibus ſeſe plus contrahendi & minus dilatandi, itemque ſe minus contrahendi & magis dilatandi, quam requiritur ad ſtatum ſanitatis, idem tenendum eſt, quod modo de fibris diſputatum fuit (§§. LXXVII. LXXXII.).

§. XCII.

Conſtrictio vaſorum eſt ſpaſmus fibrarum orbicularium in vaſis.

§. XCIII.

Cauſſæ conſtrictionis vaſorum ſunt vel fibræ longitudinales, quatenus extenſæ, vel ipſæ fibræ orbiculares, quatenus rigidiores aliis (§. LXXXIV.).

§. XCIV.

Diſtenſio vaſorum eſt extenſio fibrarum orbicularium in vaſis.

§. XCV.

Cauſſa diſtenſionis vaſorum eſt contentum in vaſis, quatenus illorum parietes inde ab axe repelluntur, & quidem vi longe ſuperante reſiſtentiam vaſorum.

§. XCVI.

Collabeſcentia ſive *collapſio vaſorum* eſt defectus dilatationis vaſorum reſpectu ſanitatis, conjuncta tamen cum facultate ſeſe dilatandi.

§. XCVII.

Cauſſa collabeſcentiæ vaſorum eſt fluidum, ibidem contentum, quatenus non ſufficit ad illorum dilatationem, ſanitati congruam.

§. XCVIII.

De vaſorum ſolutione continui ejuſque omnibus ſpeciebus, quorſum etiam ruptio pertinet (§. LXXIX), idem valet, quod in antecedentibus modo dictum fuit (§. LXXVIII.). Ad cauſſam vero putrefactionis quod præcipue hoc loco attinet; illa vel in vaſe continebitur, vel extra illud exiſtet, ſuperficiem ejus externam contingens. In caſu priore aderit vel fluidum, vel productum corporis humani; in caſu autem poſteriore vel cauſſa externa, vel etiam productum corporis humani.

§. XCIX.

Obſtructio vaſis eſt abolitio cavitatis illius, a corpore non fluido ibidem hærente orta.

§. C.

Obſtructio vaſis morbus eſt, cujus cauſſa eſſe poterit productum corporis humani. Quod ſi etiam materia quædam vas ita intrare queat, ut illa a vi corporis humani non mutetur; tunc ejuſmodi materia erit cauſſa externa obſtructionis.

§. CI.

Compreſſio vaſorum eſt imminutio cavitatis ejuſdem, quæ fit a vi externa, parietes vaſis ad axim pellente.

§. CII.

Compreſſio vaſis morbus erit, qui a cauſſa efficitur modo externa, modo interna, exemplo producti aut partis cujuſdam eſſentialis corporis humani; ut clarius conſtabit ex §§. ſequentibus.

§. CIII.

Vas diſtenſum in vaſe alio ſibi contiguo, quod dislocari nequit, compreſſionem producere poterit.

§. CIV.

Fluidum vaſis, quod tunica vaſculoſa gaudet, quatenus diſtendit, erit cauſſa compreſſionis in vaſis tunicæ. Sed etiam vaſa ſub tunica communi vaſis majoris repentia ſi diſtenduntur, efficient cauſſam compreſſionis in vaſe majori.

§. CV

§. CV.

Vaſa, quæ reſpectu ſuperficiei externæ corporis ab oſſibus non teguntur, cauſſam compreſſionis admittunt partes ſuperjacentes, quatenus eædem diſtenduntur.

§. CVI.

Vas, quod viſceri cuidam diſtenſo contiguum eſt, nec ejus preſſionem ſubterfugit, hoc viſcus agnoſcit ut cauſſam compreſſionis ſuæ.

§. CVII.

Concreſcentia vaſis eſt abolitio cavitatis ejusdem, quæ tali cohæſione vel parietum inter ſe, vel cum materia obſtruente ſimilari abſolvitur, quali elementa ſolidorum gaudent.

§. CVIII.

Concreſcentia vaſorum morbus eſt, cujus cauſſa cum illa, a qua valida & perdurans vaſis constrictio & compreſſio efficitur, in eo caſu congruit, ubi vaſa ob contactum parietum concreverint. Quod ſi vero concreſcentia vaſorum materiam ſupponat obſtruentem, tum illius cauſſa erit hæc ipſa materia obſtruens, quatenus mixtum eſt ſimilare cum mixtione fibrarum (§§. XCIII. C & CII.).

§. CIX.

Si quæ vaſa tantam rigiditatem impetraverint, ut cartilaginea fierent contra ſanitatem hominis;

ſtatus iſte morbus erit, cujus cauſſam tibi intelli-gere licebit ex §. XIX.

§. CX.

De dislocatione vaſorum idem tenendum erit quod in §§. XXXIV-XXXVI. generatim indi-catum erat.

CAPUT V.
DE
MORBIS SIMPLICIBUS VASORUM IN SPECIE.

§. CXI.

Omnia vaſa corporis humani ſunt vel ſangui-nea, vel quæ fluidum ſecretum in ſe con-tinent.

§. CXII.

Vaſis ſanguineis, quatenus ſunt vaſa, com-petunt morbi omnes, qui de vaſis in genere in capite præcedente evicti ſunt. Quare nunc tan-tummodo agendum erit de morbis vaſorum ſan-guineorum, quatenus talia ſunt; ſubjunctis dein-ceps illis, quæ ad morbos vaſorum, fluidum ſe-cretum in ſe continentium, pertinebunt.

§. CXIII.

Quatenus vaſa ſanguinea tunicam vaſculoſam habent; eatenus cauſſa conſtrictionis in illis abſolvi poterit, vaſis quibusdam ad fibras orbiculares con-

tis, vel iis expanſis, vel in cartilaginem muta-
(§. XCIII.).

§. CXIV.

Diſtenſio vaſorum ſanguineorum vel ſanguinem, jus actio in illorum parietes admodum inſignis, vel aliam materiam obſtruentem pro ſui cauſſa noſcit (§. XCIV.).

§. CXV.

Vibratio vaſorum eſt eorumdem contractio & atatio ſucceſſiva.

§. CXVI.

Inflammatio eſt perquam vehemens vaſorum ſanineorum vibratio cum eorumdem diſtenſione. *ngræna* eſt ille gradus inflammationis, qui proxime tecedit plenariam vibrandi impotentiam vaſorum.

§. CXVII.

Inflammatio & gangræna ad morbos pertinent, cujus cauſſa ſanguis eſt, quatenus ille in ſis plus abundat, in eadem validiore & magis raurante vi agit, quam requirit ſanitas.

§. CXVIII.

Sphacelus eſt putrefactio vaſis ſanguinei, a ſanine ibidem putreſcente producta.

§. CXIX.

A materia lymphatico-ſeroſa, ſi in eadem ſaldus liber ſit, aut alius æque noxiæ indolis ibi-

dem ita generatur, ut inde ſuperficies externa va-
ſis ſanguinei contingatur, cauſſa arroſionis in vaſ
ſanguineo dependebit (§. XXX.).

§. CXX.

Cauſſa obſtructionis vaſorum ſanguineorum
eſſe poterit vel polypus, ſive concrementum fibro
ſum, vel materia reſorpta, quæ non facta e
miſcibilis ſanguini, vel novum mixtum iners, e
ſanguinis diacriſi ortum (§. XCIX.).

§. CXXI.

Si vas ſanguineum contiguum eſt vel alte
vaſi ſanguineo, vel non ſanguineo, utrisque tame
diſtenſis, ſed ſine dislocatione poſſibili, hæc vaſ
ad cauſſam compreſſionis ſuæ pertinebunt. Atqu
id ipſum quoque valet de utroque vaſorum gene
re in tunicis vaſorum ſanguineorum (§. CI.).

§. CXXII.

Concreſcentia vaſorum ſanguineorum mino
rum ob parietum contactum æque, ac materiam
obſtruentem ſimilarem contingere poteſt; cuju
cauſſa redibit ad cauſſam conſtrictionis, compre
ſionis & obſtructionis (§§. CVII & CVIII.).

§. CXXIII.

Vaſa ſanguinea maxima cartilaginea, imm
oſſea fieri poſſunt, ob maximam vim ſanguinis
quam patiuntur.

§. CXXIV.

Applicato digito tangente ad arteriam, hanc di-
ari deprehendere licet. Refertur jam iste motus
pulsus notionem. Erit itaque *pulsus* motus
astolicus arteriæ.

§. CXXV.

Pulsus celer est pulsus, in quo arteria post sui
ntractionem, sive systolen, quasi in instanti, di-
atur. E contrario *pulsus tardus* dicitur, quando
ost arteriæ systolen illus dilatatio valde successiva
oservatur.

§. CXXVI.

Pulsus frequens appellatur pulsus, qui intra da-
m aliquod tempus sæpius redit. E contraria
rte *pulsus rarus* vocatur ille, qui non ita sæpe
ter aliquod tempus datum redit.

§. CXXVII.

Pulsus magnus est pulsus, qui sub digito tan-
nte solito majus spatium secundum latitudinem
nplere videtur; sive, qui ex lato & longo com-
onitur. Dicitur vero *pulsus latus*, quando arteria
cundum sui latitudinem, & *longus*, si eadem se-
ndum sui altitudinem sub digito tangente mag-
m lineam describere videtur. Pulsui magno *par-
us* opponi solet.

§. CXXVIII.

Pulsus fortis est pulsus, cujus impetus tibi
signis esse videtur. Huic jam opponitur *debilis*.

§. CXXIX.

Pulsus durus est pulsus, qui notabili elasticitat in digitum tangentem agit. Pulsui duro opponitur *mollis*.

§. CXXX.

Pulsus inæqualis nuncupatur pulsus, qui pos inæqualia temporis intervalla redit. Quod si vero hocce intervallum redeuntis pulsus extraordinari protractum fuerit, *pulsus* tunc erit *intermittens*.

§. CXXXI.

Pulsus obscurus est pulsus, quem vix percipere licet.

§. CXXXII.

Definiti hucusque pulsus (§§. CXXV-CXXXI.) ad morbos pertinebunt, quorum cognitio maxima utilitatis erit in doctrina pathologica, illorumque caussa proxima tali modo concipienda, prout in §§. sequentibus declarabitur.

§. CXXXIII.

Caussa pulsus celeris erit sanguis, ad elasticitatem usque compressus. Caussa vero pulsus tardi referenda erit ad sanguinem, non ita compressum ad elasticitatem (§. CXXV.).

§. CXXXIV.

Pulsus frequens pro sui caussa agnoscet sanguinem, frequenti systole compressum. Quod

ro huic compressioni sanguinis opponitur, id rtinebit ad caussam pulsus rari (§. CXXVI.).

§. CXXXV.

Caussa pulsus magni ad sanguinem redit, ar-riam valdopere dilatantem. Caussa vero pulsus rvi erit sanguis, a quo arteria parum dilatatur . CXXVII.).

§. CXXXVI.

Pulsus fortis caussa referri poterit vel ad san-uinem, qui arteriæ validam vibrationem effice- potest, vel ad arteriam ipsam, non debilita-m. Ad pulsum vero debilem quod attinet, ille l cum debilitate vasis connexus erit, vel minus. casu priore pulsus debilis dependebit a sangui-e admodum exigue dilatante arteriam, hujusque bratione longe minore, quam opus foret ad sa-itatem. In casu autem posteriore pulsus debilis aussa erit sanguis, cujus vis longe minor est in ilatanda arteria, quam oporteret in statu sanita-s (§. CXXVIII.).

§. CXXXVII.

Pulsus duri caussa a sanguine, in vas valide gente, & arteria nimis resistente derivanda erit. Nimia autem mollities pulsus caussam agnoscit anguinem, arteriam parum dilatantem, hancque anguini parum resistentem (§. CXXIX.).

§. CXXXVIII.

Caussa inæqualitatis pulsus est sanguis, qua-enus in eodem puncto arteriæ in diversis tem-

pusculis diastoles differt ratione densitatis, vel raritatis, vel abundantiæ, vel defectus (§. CXXX.)

§. CXXXIX.

Pulsus obscuri caussa esse potest sanguis, qui minimam vim in vas exserit (§. CXXXI.).

§. CXL.

Aneurysma verum est tumor arteriæ sanguineæ in quodam loco.

§. CXLI.

Aneurysmatis veri caussa triplici modo concipi poterit. Sive enim vas in loco affecto maxime debilitatum erit, ut sanguis ad vasis loca debilia illud valdopere distendat. Sive vasa sanguinea in loco quodam tunicæ arteriæ aneurysmaticæ debilitantur, atque a sanguine haud parum distenduntur. Sive tandem sanguis, qui e vasis tunicarum arteriæ aneurysmaticæ egreditur, ibidemque interceptus illas distendit.

§. CXLII.

Aneurysma spurium est tumor in partibus cum arteria connexis, ob sanguinis ex illa exitum ortus. Unde jam satis liquida esse poterit morbi hujus caussa.

§. CXLIII.

Varices dicuntur tumores venarum sanguinearum.

§. CXLIV.

Varices cauſſam ſui agnoſcunt vas debilitatum & ſanguinem, illud diſtendentem.

§. CXLV.

Palpitatio cordis eſt pulſus cordis fortis.

§. CXLVI.

Anxietas præcordiorum, ſive *angor cordis* eſt diſtenſio cordis cum debilitate.

§. CXLVII.

Tremor cordis eſt pulſus cordis celer, debilis & frequens.

§. CXLVIII.

Palpitatio & tremor cordis, nec non anxietates præcordiorum numerum morborum ſubeunt, quorum cauſſa ad ea momenta redibit, quæ in §§. proxime ſequentibus exſtabunt.

§. CXLIX.

Cauſſa palpitationis cordis a ſanguine, ventriculos cordis cum impetu intrante, dependebit (§. CXLV.).

§. CL.

Corde debilitato, eoque diſtenſo a ſanguinis increſcentis copia, oritur anxietatum præcordiorum cauſſa (§. CXLVI.).

§. CLI.

Tremor cordis pro cauſſa habebit ſanguinem pluribus quidem vicibus, tamen celeriter & ſine magna vi in cor effuſum (§. CXLVII.).

§. CLII.

Fieri poterit, ut etiam cordis auriculæ debilitentur, nimium diſtendantur, illarumque actio ſupra gradum intendatur. Omnes iſtæ affectiones ad morbos auricularum pertinebunt.

§. CLIII.

Tremor auricularum cordis eſt earumdem actio debilis, celer & frequens.

§. CLIV.

Cauſſa debilitatis auricularum cordis cum fibræ debilitate in genere congruit (§. LXXVII.). Diſtenſionis vero auricularum cordis cauſſa ſita erit in ſanguine, ibidem adveniente, increſcente, tandemque auriculas diſtendente. Quod deinde ad auricularum actionem ſupra gradum attinet; tunc hujus cauſſa partim a fibris robuſtis auricularum, partim a ſanguine, has cum impetu accedente, atque ad magnam vibrationem cogente, dependebit.

§. CLV.

Cauſſa tremoris auricularum cordis poſita erit in illarum debilitate, ſanguinis copia, ibidem ſine impetu creſcente, auriculas ad agendum invitante, illisque tandem aliquoties nimium reſiſtente (§. CLIII.).

§. CLVI.

Si vaſa, in quibus fluidum ſecretum vehitur, ejusmodi relativa debilitate, reſpectu illorum vaſorum, quæ fluidum, unde ſecretio perficienda, in ſe continent, affecta fuerint, ut loco fluidi ſecreti ſecernendum admittant; talis tunc debilitas pro morbo reputanda erit, cujus cauſſam tibi ita jam concipies, prouti ſupra de debilitate generatim dictum erat (§. LXXVII.).

§. CLVII.

Similis adeoque conditionis morbus aderit in vaſis excretoriis, præſente in iisdem debilitate, modo deſcripta (§. anteced.). De cujus cauſſa idem quoque valebit, quod de debilitate in genere (§. LXXVII.).

§. CLVIII.

Vaſorum inhalantium talis debilitas, ut vel nimis cruda, vel plane nihil revehant, morbus erit, cujus cauſſa itidem intelligi poterit ex §. LXXVII.

§. CLIX.

Cauſſa obſtructionis vaſorum lymphatico - ſeroſorum eſſe poterit materia calcariæ indolis, ex præcipitatione orta; vel viſcida; vel globulus ſanguineus, qui per errorem loci ibidem intrat.

§. CLX.

Ad cauſſam obſtructionis vaſorum inhalantium & exhalantium non immerito referre licebit materiam inertem, orificia vaſorum regentem.

§. CLXI.

Arrosio vasorum, fluidum secretum in se continentium, admittit caussam, quæ sita erit in stagnante & fermentante humore, qui vasis istis inest (§.XXX.)

§. CLXII.

Inflammatio & sphacelus vasorum, in quibus fluidum secretum continetur, loco caussæ suæ agnoscent sanguinem erroneum, ibidemque putrescentem (§§. CXVI. CXVIII & CLVI.).



SECTIO SECUNDA.

DE

MORBIS FLUIDORUM SIMPLICIBUS TAM IN GENERE QUAM IN SPECIE.

§. CLXIII.

Circa morbos fluidorum evolvendos attendendum erit ad horum quantitatem; motum vel progreſſivum, vel inteſtinum, & tandem ad mixtionem. Huic enim fundamento innituntur generum & ſpecierum notiones, quibus partium fluidarum morbi indicantur.

§. CLXIV.

Plethora eſt major ſanguinis quantitas, quam cum ſanitate congruit.

§. CLXV.

Plethora morbus erit, cujus cauſſa ad victum plenum, valde nutrientem, & excretiones naturales nimium langueſcentes, redibit.

§. CLXVI.

Plethora dividi ſolet in ſimplicem & compoſitam, ſive complicatam; nec non ad vaſa & vires. Efficiendum jam erit, ut de horum vocabulorum ſignificatu conſtet. *Plethora* nimirum *ſimplex* vocatur, ubi ſanguis tantummodo quantitate excedit,

integris illius reliquis qualitatibus; *composita* vero appellatur, quando ſanguini abundanti aliæ ſimul qualitates vitioſæ adhærent. In *plethora* denique *ad vaſa*, hæc ſolum a ſanguine turgida fieri, ſupponuntur, abſentibus variis aliis moleſtiis; utpote quibus ſimul ſtipata eſſe putatur *plethora ad vires.*

§. CLXVII.

Præter ſanguinem alia quoque fluida, quæ ab illo ſecernuntur in corpore humano, ita abundare poterunt, ut illorum quantitas ſanitati fiat adverſa. Hæc fluidorum conditio morbus erit, cujus cauſſa in ſanguine, partibus oleoſis & gelatinæ tenuis ſimilibus abundante, atque ad vaſa ſecretoria decenter delato, nec non in excretionibus langueſcentibus conſiſtet..

§. CLXVIII.

Depletio vaſorum eſt nimius fluidi defectus, per vaſa vehendi.

§. CLXIX.

Depletio vaſorum morbus erit, cujus cauſſa latet in nimiis fluidi excretionibus.

§. CLXX.

Orgaſmus humorum eſt celerior fluidorum per vaſa motus, quam opus eſt ad ſanitatem.

§. CLXXI.

Orgaſmus humorum morbus erit, qui a vaſorum nimium forti frequentique actione in fluida,

horumque minima resistentia in vasa, tamquam a caussa sua proxima, proficiscitur.

§. CLXXII.

Sed fieri quoque potest, ut fluida tardius, quam requirit sanitas, per vasa vehantur. Talis fluidorum status morbus est, qui sui caussam agnoscit vasa, quatenus sunt debilia, quæ ideo actionem debilem in fluida exserunt; & fluida ipsa, quatenus vasis nimium resistunt.

§. CXLXIII.

Stasis est quies fluidi, per vas vehendi.

§. CLXXIV.

Stasis morbus est, cujus caussam quærere oportebit modo in vasis vel debilibus, vel rigidis, vel constrictis, vel compressis; modo etiam in fluido inerti ad transeundum per vasa sua.

§. CLXXV.

Congestio humorum est illorum in vasis quibusdam major, quam sanitati respondet, coacervatio.

§. CLXXVI.

Congestio humorum morbus erit, cujus caussa latebit modo in vasorum, congestionibus obnoxiorum, vel debilitate, vel obstructione; modo ad alia vasa restricta vel compressa redibit.

§. CLXXVII.

Putredo humorum eſt illorum mixtionis depravatio, facta a motu inteſtino.

§. CLXXVIII.

Putredo humorum morbus erit, qui præter materiarum putridæ indolis delationes, ad corpus ægrotantis aliunde factas, loco cauſſæ ſuæ admittit fluidorum ſtaſes. Tunc etiam humorum putrefactio intenſioris gradus erit, quando illorum nimiam rarefactionem ſimul deprehendere licebit.

§. CLXXIX.

Extravaſatio eſt egreſſio fluidi ex vaſe, quod in eodem vel contineri debuiſſet, vel quod majori in copia excernitur, quam opus eſt ad ſanitatem.

§. CLXXX.

Extravaſatio morbus erit, cujus cauſſa proficiſcitur vel a fluido ipſo modo arrodente vaſa, modo tantopere congeſto, ut illa ad ſui ruptionem perveniant, ſive etiam illorum orificia nimium diſtendantur; vel denique a vi externa, ſolutionem continui in vaſis producente.

§. CLXXXI.

Hæmorrhagia eſt extravaſatio ſanguinis.

§. CLXXXII.

De hæmorrhagiæ cauſſa proxima ſatis conſtare poterit ex §. CLXXX.

§. CLXXXIII.

§. CLXXXIII.

Sed fieri etiam poterit, ut fluidorum secretorum extravasationes oboriantur, quas non immerito ad morbos referre licebit, ab iisdem caussis in genere dependentes, quæ jam exstant in §. CLXXX.

§. CLXXXIV.

Humorum spissitudo, sive *nimia densitas*, est humorum consistentia, ab aquæ defectu ibidem oborta; sive est imminutus fluiditatis in massa humorum gradus.

§. CLXXXV.

Spissitudo humorum morbus erit, qui loco caussæ suæ habere potest partim nimis auctas fluidorum secretorum excretiones; partim vasa admodum debilia; partim etiam victum magis siccum, nimis crassum & acidum.

§. CLXXXVI.

Viscíditas humorum est illorum mixtio, quæ ad gelatinam consistentem proxime accedit.

§. CLXXXVII.

Morbi viscíditatis caussa proxima latebit in acido, quod a terra saturatur, & oleo, quod instar superdecompositionis accedit.

§. CLXXXVIII.

Tenuitas humorum est ea humorum consistentia, quæ a nimia quantitate aquæ, iisdem admixtæ, dependet; sive intensior fluiditatis gradus in humoribus.

§. CLXXXIX.

Tenuitatis humorum morbus pro ſui cauſſ agnoſcere poterit vel nimiam quantitatem aquoſorum, ad corpus admiſſorum, atque a vaſis abſorptorum; vel excretionum naturalium languorem; vel terræ, in fluidis contentæ, præcipitationem; vel denique eam vaſorum conditionem, ut illorum quædam modo conſtringantur, modo comprimantur.

§. CXC.

Acrimonia humorum eſt illorum talis mixtio, qualis obtinet in maſſa quadam ſalina, cui vis menſtrua competit.

§. CXCI.

Pro differente ſpecie ſalis expliciti atque inhærentis maſſæ humorum, horum *acrimonia* dividi ſolet modo in *acidam*, modo *ſalſam.*

§. CXCII.

Acrimonia morbus erit, cujus cauſſam proximam ita tibi concipere poteris. Acido nimirum ſuperfluo, ejus copioſo uſu ad maſſam humorum delato; vel factis modo partium terrearum, modo oleoſarum ſeceſſionibus a reliquis fluidorum miſcibilibus; orietur acrimonia acida. Quod vero acrimoniam ſalſam concernit, illa partim a præcipitationibus partium terrearum ex maſſa humorum, cum quibus vero acidum explicitum ſatis arcte unitur, dependebit; partim etiam a putredine produci poterit, unde ſales urinoſi generari poſſunt.

§. CXCIII.

Cacochymia, ſive *dyſcraſia humorum*, eſt mixtio fluidorum, relata ad eorumdem vel ſpiſſitudinem, vel viſciditatem, vel tenuitatem, vel acrimoniam. Notionem igitur cacochymiæ ad caſus obvios rite applicaturus, illam pro horum conditione ſpecialius determinare debebit. Solet denique cacochymiæ opponi *euchymia*.

§. CXCIV.

Cacochymiæ igitur cauſſæ proximæ conſtare poterunt ex §§. CLXXXV. CLXXXVII. CLXXXIX & CXCII.



SECTIO TERTIA

DE PARTIUM FLEXILIUM INTEGRUM QUID EFFICIENTIUM MORBIS INSTAR SIMPLICIUM CONSIDERANDIS.

CAPUT I.

DE PARTIUM FLEXILIUM INTEGRUM QUID CONSTITUENTIUM MORBIS SIMPLICIBUS IN GENERE.

§. CXCV.

Dolor est morbus, quem ad attentatam solutionem continui nervosi, sed adhuc communicantis cum organo communi sensorio, referre licebit.

§. CXCVI.

Quidquid igitur in continuo nervoso, quod adhuc cum organo sensorio communicat, solutionem producere poterit; id omne pertinebit ad caussam doloris proximam. Exempli loco hic valebunt extensiones, ambustiones, arrosiones, vires aliæ externæ, ad solvendum continuum sufficientes.

§. CXCVII.

Vulnus eſt ſolutio continui recens, cruenta.

§. CXCVIII.

Vulneri opponi ſolet *ulcus*; utpote quod ſolutio-e continui abſolvitur, in cujus cavo non ita ſan-uis, quam potius aliud materiæ genus contine-ır. Sed humor, qui cavo ulceris ineſt, vel acri-onia quadam gaudebit, vel minus. In caſu priore erit *ulcus compoſitum*, ſive *qualificatum*; in caſu item poſteriore *ſimplex*.

§. CXCIX.

Ulcus calloſum dicitur, cujus labia, ſeu margi-s, duritiem quamdam præ ſe ferunt.

§. CC.

Ulcus ſinuoſum appellatur, ad cujus latera ca-ates, ſeu ſpeluncæ, introrſum devergunt.

§. CCI.

Ulcus fiſtuloſum, ſeu *fiſtula*, eſt ulcus ſinuoſum, lloſum.

§. CCII.

Ulcerum in genere cauſſa proxima involvit om-id, quod modo ruptionem partium non ſangui-arum, ſive earumdem ſolutionem quacumque a ratione producere valet; modo efficit, ut par-us quidem ſanguineis ſolutis, aliud humoris ge-s loco ſanguinis ad cavum continui ſoluti con-at, aut ibidem generetur (§. CXCVIII.).

§. CCIII.

Ulcerum callosorum caussa ideo oritur, quia fluidum in vasis circa labia inspissatur; modo etiam fibræ ibidem rigidæ fiunt (§. CXCIX.).

§. CCIV.

Ulceris sinuosi caussa partim ad suppurationem, quæ in illius cavo ad latera introrsum magis obo-ritur; partim etiam ad materiam acrem redit, quæ ibidem arrosionem efficere valet (§. CC.).

§. CCV.

Fistularum vero caussam intelligere jam licebi ex §§. CCI. CCIII. & CCIV.

§. CCVI.

Tumores diversis respectibus a Medicis consi-derari solent, pro diversitate nimirum vel mate-riæ, a qua partes distenduntur; vel pro varietat modi, quo partes ipsæ distenduntur; vel tandem pro diversa ratione modi, quo materia distenden partes intra easdem continetur.

§. CCVII.

Abscessus, seu *apostema*, dicitur vel tumor, cuju materia distendens pus est, vel ulcus, in cuju cavo pus continetur. *Pus* vero appellatur mat-ria flavescentis coloris & spissioris consistentiæ.

§. CCVIII.

Caussa abscessus erit sanguis, quatenus ejus pa-tes tenuiores a venis revehuntur, crassioribus ve ad fermentandum relictis.

§. CCIX.

Tumor sanguineus dicitur tumor, cujus mate-
a, distendens partes, sanguis est. *Tumor lym-
patico-serosus* ille erit, qui pro sui materia, par-
s distendente, humorem lymphatico-serosum
gnoscit. Isti tumores lymphatico-serosi, si impri-
is majoris ambitus fuerint, dici etiam solent *hy-
opici*, sive *hydropes* in genere.

§. CCX.

Scirrhus est tumor durus, qui oritur a fluido
ispissato; eritque vel *sanguineus*, vel *lymphatico-
rosus*, secundum differentem speciem humoris
ispissati.

§. CCXI.

Caussas scirrhorum cognoscere licebit ex §§.
LXXXV. & CLXXXVII.

§. CCXII.

Cancer occultus, seu *noli me tangere*, est scirrhus
ymphatico-seroso-sanguineus, cujus materia di-
endens acredinem paulo majoris gradus conce-
it. *Cancer apertus*, sive *carcinoma*, vocatur ul-
us, ex cancro occulto natum.

§. CCXIII.

Caussæ cancri occulti patent ex §§. CLXXVIII.
XCII & CCXI. Caussa vero cancri aperti sita
rit in acrimoniæ, qua materia cancrosa prædita
st, tanto incremento, ut inde partis affectæ con-
inuum solvatur (§. ant.).

§. CCXIV.

Tuberculum, ſeu *phyma*, eſt tumor, cujus baſis ſecundum ſui diametrum longitudinem dimidii pollicis tranſverſi, habita nimirum ratione ægrotantis in caſu, haud excedit.

§. CCXV.

Puſtula, ſive *papula*, eſt tuberculum molle, atque apicem verſus elongatum. *Veſicula* eſt tuberculum perlucidum. *Furunculus* dicitur tuberculum gangrænoideum.

§. CCXVI.

Tuberculorum, puſtularum, veſicularum, nec non furunculorum cauſſæ proximæ conditio facili ratione ex ſuperioribus conſtare poterit (§§. CCIX, CCXIV & CCXV.).

§. CCXVII.

Tumores tunicati, ſive *ſaccati*, dicuntur, quorum materia diſtendens partes peculiari folliculo incluſa tenetur. Hi tumores ſunt vel *molles*, vel *duri*.

§. CCXVIII.

Cauſſa tumorum tunicatorum ad materiæ diſtendentis partes mixtionem ſimilarem cum membranis, in quibus hæret, redibit.

§. CCXIX.

Atonia, vel etiam *laxitas*, ſive *relaxatio*, dici communiter ſolet debilitas, relata ad partes flexiles, quæ totum quid conſtituunt.

§. CCXX.

Atoniæ igitur cauſſa proxima generatim intelligi poterit ex §. XXII.

CAPUT II.
DE
MORBIS CUTIS SIMPLICIBUS.

§. CCXXI.

E*Rryſipelas* eſt inflammatio cutis ad ſui ſuperficiem externam potiſſimum oborta. *Phlegmone* eſt tumor inflammatorius, ſeu inflammatio in cutis profundo magis reſidens. Utriuſque morbi cauſſa proxima intelligi poterit ex §§. CXVI & CXVII.

§. CCXXII.

Phimoſis, ſeu *paraphimoſis*, eſt tumor inflammatorius præputii. De cauſſa hujus quoque morbi conſtare poterit ex §§. CXVI & CXVII.

§. CCXXIII.

Bubo in genere dicitur tumor inflammatorius, vel ſcirrhus glandularum majorum ad cutim ſitarum. *In ſpecie* hoc nomine veniunt tumores inflammatorii, vel ſcirrhi glandularum inguinalium & ſubaxillarium. Bubonis cauſſa proxima apparebit ex §§. CXVI. CXVII. CCX & CCXI.

§. CCXXIV.

Prout bubones præ ſe ferunt indolem morbi modo maligni, mode benigni (§. LXXVII. Proleg.): dividi ſolent in *malignos*, ut ſunt bubones peſtilentiales & venerei, & in *benignos.*

§. CCXXV.

Scabies eſt congeries modo puſtularum, modo veſicularum prurientium in cute, ſed morbi chronici ſpeciem præ ſe ferentium.

§. CCXXVI.

Scabiem dividere ſolent in *ſiccam* & *humidam*; pro ratione nimirum vel minoris, vel majoris quantitatis materiæ, quæ intra illius puſtules, vel veſiculas continetur. Utraque porro dividitur in *benignam* & *malignam*, ſive *feram*. Prior ex gradu malignitatis admodum exiguo æſtimari debet; poſterior vero malignitatis gradum eminentiorem ſibi vindicabit.

§. CCXXVII.

De cauſſa ſcabiei proxima ſequentia notare conveniet. Fluidum lymphatico-ſeroſum corruptum, acre, ſtagnans in glandulis ſubcutaneis id efficere poterit, quod notio ſcabiei poſtulat (§, CCXXV.). Unde ſimul etiam colligere licebit cauſſam ſcabiei ſiccæ, humidæ, benignæ & malignæ (§. anteced.).

§. CCXXVIII.

Pſoriaſis eſt ſcabies ſicca, maligna vel ſcroti, vel perinæi, cujus cauſſa patebit ex §. anteced.

§. CCXXIX.

Impetigo eſt phlegmone connexa cum ſcabie. *Lepra*, ſive *elephantiaſis*, eſt impetigo univerſalis, eaque admodum eminentis malignitatis. Ad utriuſ-

que mali caussam proximam intelligendam facient §§. CCXXI & CCXXVII.

§. CCXXX.

Herpes, sive *serpigo*, est erysipelas, connexum cum scabie sicca, vel ulcusculis inde prognatis. *Zona* vero dicitur herpes circa regionem hypogastricam & vertebras lumbares. Uterque morbus ratione caussæ suæ proximæ cognosci poterit ex §§. CCXXI & CCXXVII.

§. CCXXXI.

Crusta lactea, sive *achor*, sive *tinea*, est vel scabies in cute capitis, vel sunt ulcera inde ibidem orta. Cujus caussa proxima tibi manifesta fieri poterit ex §§. CCII & CCXXVII.

§. CCXXXII.

Vari, sive *jonthi*, sunt tubercula subdura in facie. *Gutta rosacea* est erysipelas faciei, connexum cum varis. Utriusque mali caussa proxima conspicua esse poterit ex §§. CCXVI & CCXXI.

§. CCXXXIII.

Maculæ dicuntur colores cutis tam diversi ab illo colore, qui solitus esse solet homini cuidam sano, quam etiam distincti simul per spatia intermedia.

§. CCXXXIV.

Sanguis sugillatus esse dicitur, quando ille notabilis ambitus stasin sub cute concepit. *Vibices*

appellantur maculæ, ex ſanguine ſugillato obortæ. Cujus morbi cauſſa proxima patebit ex §. CLXXIV.

§. CCXXXV.

Anthrax, ſive *carbunculus*, eſt furunculus perquam malignus. In *ſpecie talis* eſſe dicitur *peſtilentialis*, ſeu qui cum peſte connexus eſt.

§. CCXXXVI.

Quiſque ſine dubio facile concedet, fieri poſſe, ut exterior habitus corporis relaxetur, ſive cutis fibræ debilitatem aliquam contrahant. Cujus rei cauſſam generatim intelligere licebit ex §. XXII.

§. CCXXXVII.

Sed e contraria parte fieri etiam poterit, ut in iiſdem locis (§ anteced.) ſuboriatur *ſpaſmus*, quem non inepta ratione *periphericum* dixeris, cui alias nomen *horroris*, ſive *horripilationis*, ſive *frigoris*, vel *tenſionis febrilis*, tribui ſolet. Hujus quidem ſpaſmi cauſſa generatim ex §. LXXXIV. tibi conſtare poterit: clarioris tamen intelligentiæ cauſſa hic ea momenta notari merentur, quibus depreheniſis, hunc quoque ſpaſmum deprehendere licebit. Quorſum nimirum pertinebunt frigus, externe ad cutim admiſſum; vaſorum cutis obſtructiones; eædemque obortæ in vaſis internis; nec non partium internarum diſtenſiones.

§. CCXXXVIII.

Jactis fundamentis (§§. CXXV. CXXVI & CCXXXVII.) ad febrem generatim definiendam, on incongruum esse videbitur, hoc loco jam proonere febris definitionem; utpote cujus usum seuentia multiplici nomine sibi vindicabunt. Est vero *febris* in genere spasmus periphericus cum pul-a, qui illum sequitur, celeri & frequente. Pro ifferentibus morbi qualitatibus, quas in febre derehendere licet, hæc jam in varias abibit divisioes; exemplo *febris chronicæ*, *acutæ*, *benignæ*, *magnæ.* Sed ex febris momentanea duratione, vel x uno tantum vel altero requisito ad notionem bris, *motuum*, sive *commotionum febrilium*, ræsentia æstimari solet.

§. CCXXXIX.

Variolæ dicuntur pustulæ malignæ suppurascens; & dividi solent in *benignas* & *malignas.* Prios admodum exiguæ malignitatis sunt, nullam brem acutam sibi comitem habent, hinc etiam *ronicæ* dici possent; posteriores vero malignitis gradum valde conspicuum admittunt, cum bre acuta connectuntur, ut ideo etiam nomine *bris variolosæ* insigniri soleant.

§. CCXL.

Morbilli sunt maculæ rubræ, paulo minores, alignæ. Eadem hic quoque divisionis ratio obere poterit, quæ in §. anteced. exposita erat.

§. CCXLI.

Maculæ scarlatinæ sunt maculæ paulo majores atque intensæ rubedinis. Quo etiam loco eadem divisio (§. CCXXXIX.) valebit.

§. CCXLII.

Purpuræ rubræ, seu *miliaris*, nomine veniunt pustulæ intense rubræ, milii magnitudinem haud excedentes. *Purpuræ urticatæ* vocabulo indicantur vesiculæ pallide rubentes, serpiginosæ. Præter eamdem dividendi rationem, quæ jam ex §. CCXXXIX. constat, hic adhuc annotandum erit, quod purpura rubra chronica dici etiam solea *scorbutica*.

§. CCXLIII.

Purpura alba est congeries vesicularum albarum malignarum, insidentium maculis rubris, connexa cum febre acuta.

§. CCLXIV.

Petechiæ sunt maculæ malignæ, minimæ, varios colores, excepto intense rubente, referentes, sed connexæ cum febre acuta.

§. CCXLV.

Exanthemata vocantur Medicis vel tubercula vel pustulæ, vel vesiculæ, vel maculæ, quæ in cutis superficie externa proveniunt.

§. CCXLVI.

Exanthematum caussa generatim ad monien sequentia redibit. Aderit nempe fluidum, idqu

iverſæ ſpeciei & mixtionis huc & illuc intra celuloſam cutis vel extravaſatum; vel in vaſculis cuaneis nimis coacervatum, atque ad ſtaſin perduſtum. A varia fluidi hujus conditione, præter xanthematum diviſionem in *maligna* & *benigna*, llorum quoque ſingularia phænomena, de quibus uo loco ex obſervationibus conſtabit, dependeunt.

§. CCXLVII.

Leucophlegmatia eſt levior quidam hydrops uniерſæ cutis; ſive hydrops univerſalis minoris gradus. *Anaſarca* vero dicitur hydrops univerſalis graior; ſive hydrops majoris gradus, ad univerſam utem obortus.

§. CCXLVIII.

De hydropis univerſalis cauſſa generatim ſeuentem in modum conſtare poterit. Obtinebunt ic ſcilicet modo vaſorum lymphatico-feroſorum itis debilitas, diſruptiones, obſtructiones in aliis, aliis conſtrictiones; modo graves obſtructiones, onſtrictiones, compreſſiones in vaſis viſcerum mphaticis obortæ; modo vaſorum ſanguineoim validæ conſtrictiones, compreſſiones, depleones; modo denique ipſius fluidi lymphaticoroſi ſpiſſitudo aut viſciditas. Jam pro differente rum cauſſarum vi, oritur hydrops univerſalis, quidem levior in uno caſu, gravior in alio; ıc modo leucophlegmatia, modo anaſarca.

§. CCXLIX.

Secundum differentiam locorum corporis, ubi imprimis hydrops maxime fit conſpicuus, & morbi gradum diverſum, peculiares ſpecies hydropis conſtituere ſolent. *Aſcites* nimirum vocatur hydrops abdominis. *Tympanites* vero audit hydrops abdominis maximi gradus. *Hydrocephalus externus* eſt hydrops cutis, caput obvolventis. *Oedema* dicitur hydrops membrorum. *Hydrocele* audit hydrops ſcroti.

§. CCL.

Quod de cauſſa hydropis univerſalis generatim in §. CCXLVIII. dictum eſt, id etiam ad hydropis ſpecies transferri poterit; habita nimirum ratione locorum peculiarium corporis humani, quæ huic vel illi cauſſæ præ reliquis patent.

§. CCLI.

Hernia, ſive *ramex*, dicitur tumor, qui ad illa potiſſimum loca ſuboritur, ubi poſſibilis eſt peritonæi extra abdomen egreſſio. Iſte tumor produci poterit vel a peritonæo, vel ab inteſtinis, vel ab omento. Quo in caſu *hernia vera*, ſeu *propria*, adeſſe exiſtimatur. Quod ſi vero ad eadem loca tumor ſubortus magis dependeat a materia longe alia, quam quæ in herniis veris obtinet; tunc *hernia impropria*, ſive *ſpuria*, adeſſe dicitur.

§. CCLII.

Proveniunt hic iterum, ob diverſitatem locorum affectorum, herniarum verarum differentes ſpecies.

Exom

Exomphalus nempe, ſeu *omphalocele*, ſeu *hernia* *mbilicalis* (κατ' ἐξοχὴν talis), dicitur hernia vera, d regionem umbilicalem oborta. *Bubonocele*, ſive *ernia inguinalis* (κατ' ἐξοχὴν talis), illa ſpecies erniæ propriæ erit, quæ in regione inguinali roducitur. *Oſcheocele*, ſeu *hernia ſcrotalis* κατ' ἐξοχὴν talis), eſt hernia vera, ad ſcrotum lata. *Hypogaſtrocele*, ſive *hernia abdominalis* κατ' ἐξοχὴν talis), illam ſpeciem herniæ veræ conituit, quæ inter regionem umbilicalem & inuinalem reſidet.

His modo definitis ſpeciebus herniæ propriæ plures aliæ adhuc ſubjungi ſolent, quæ a diverſitate partium prolapſarum, utpote ad herniam veram in caſu obvio efficiendam concurrentium, originem ſuam ducunt. Unde jam voces ſequentes proſtant: *enterocele*, *enteromphalus*, *epiplomphalus*, *epiplocele*, *entero-epiplomphalus*, *entero-epiplocele*. Efficietur in prælectionibus, ut non ſolum de horum vocabulorum ſignificatu, verum etiam de eo ſimul conſtet, quod partim perexiguæ utilitatis ſit hæc diviſio, partim hic admitti videantur notiones inanes.

§. CCLIII.

Herniæ veræ dicuntur eſſe *incarceratæ*, ſeu *captivæ*, quando impedimenta oboriuntur, quo minus partes prolapſæ priſtino ſitui ſuo reſtitui poſſint. Quorſum exempli loco pertinet partium prolapſarum cum locis procidentiæ concretio, vel illarum inflammatio. Hujuſmodi herniis opponi jam ſolent *herniæ liberæ*.

§. CCLIV.

Sed ufu fuo non carebit illa herniarum impropriarum in fpecies divifio, quæ fui ortum debet materiarum, tumores hic producentium, varietati. Notandæ hic igitur erunt fpecies fequentes. *Hydromphalus* eft illa herniæ fpuriæ umbilicalis fpecies, quæ a fluido lymphatico-ferofo dependet; five, quæ inftar hydropis, ad umbilicum nati, confiderari poteft. *Pneumatomphalus* dicitur illa herniæ impropriæ umbilicalis fpecies, quæ ab aëre diftendente formatur. *Sarcomphalus* audit illa herniæ fpuriæ umbilicalis fpecies, quæ pro fui origine excrefcentiam carneam agnofcit. *Hydrocele* appellatur illa herniæ impropriæ fcrotalis fpecies, quæ ab humore lymphatico-ferofo efficitur; vel quam tibi ad hydropem fcroti referre licebit. *Pneumatocele* vocatur ea herniæ impropriæ fcrotalis fpecies, cujus cauffa ad aërem diftendentem redire videtur. *Sarcocele* nuncupatur illa herniæ impropriæ fcrotalis fpecies, quæ ab excrefcentia quadam carnea producitur. *Cirfocele*, five *varicocele*, five *ramex varicofus*, illam fpeciem herniæ fpuriæ modo inguinalis, modo fcrotalis, conftituet, quæ a venis fpermaticis valdopere tumefactis proficifcitur.

§. CCLV.

Herniarum propriarum cauffa proxima fibi vindicat modo peritonæi relaxationem, five debilitatem; modo illius continui folutionem; modo etiam mufculorum abdominalium debilitatem. Quod vero ad hernias fpurias, illarumque fpecies

§. anteced.) ſpectat: ex definitionibus (§. m. citat.) illarum cauſſæ conditio tibi ſatis clare perſpicua fiet; ſi imprimis hic ea loca ſimul evolvantur, quæ ſupra jam proſtant, ob ſimilitudinem argumenti facile invenienda.

§. CCLVI.

Cachexia eſt complexus illarum affectionum cutis, quæ modo ad illius colores morboſos, modo ad ejuſdem relaxationem, ſive debilitatem referri ſolent. Opponitur jam cachexiæ *evexia*.

§. CCLVII.

Non poterit non ex §. anteced. intelligi, quid de cauſſa cachexiæ proxima ſentiendum, & e quibus locis ſuperioribus illius clarior cognitio petenda ſit.

CAPUT III.

DE MORBIS PARTIUM MUSCULARIUM SIMPLICIBUS.

§. CCLVIII.

OMnes partes muſculares, integrum quid in corpore humano conſtituentes, ut exempli gratia muſculi ſunt, vel membranæ, ſpaſmo corripi poſſunt (§. LXXXIII.); cujus ſpecies nunc jam definiendæ erunt. Singulæ vero notiones iſtæ non aliud fundamentum diviſionis ſuæ agnoſcunt,

quam locorum affectorum differentias; immo etiam varietatem situs, in quem partes a spasmo affectæ veniunt, vel in eodem perdurant, spasmo sæviente, quem ante ejus aggressum habebant. Quotquot denique spasmorum species numeraveris, de singulis ratione caussæ suæ proximæ idem quoque judicandum erit, quod jam prostat in §. LXXXIV.

§. CCLIX.

Arthritis est spasmus, qui in partibus muscularibus circa articulos oboritur; estque vel *fixa*, si in uno loco constanter perdurat, vel *vaga*, si ex uno loco in alium migrat.

§. CCLX.

Rheumatismus vero dicitur spasmus, qui in partium muscularium aliis potius locis, quam circa articulos, producitur. Simili ratione *rheumatismus* dividi poterit in *vagum & fixum*, ut arthritis.

§. CCLXI.

Chiragra est arthritis manuum. *Gonagra* est arthritis genuum. *Podagra* est arthritis pedum. *Malum ischiadicum* est arthritis ad coxas.

§. CCLXII.

Hemicrania est rheumatismus circa tempora. *Pleuritis spuria* est rheumatismus circa os sterni. *Spasmus paracelsi fixus* est rheumatismus circa regionem lumbarem. *Lumbago* est rheumatismus circa femora.

§. CCLXIII.

Tetanus eſt ſpaſmus, quo totum corpus ita corripitur, ut in ſitu erecto immotum perſiſtat. *Catalepſis* eſt ſpaſmus, quo corpus affectum in tali ſitu perſiſtit, quem ante illius adventum habebat.

§. CCLXIV.

Emproſthotonus eſt ſpaſmus, quo corpus correptum antrorſum incurvatur. *Opiſthotonus* eſt ſpaſmus, a quo corpus prehenſum retrorſum incurvatur. *Spaſmus cynicus* eſt ſpaſmus oris, quo angulus labiorum unius lateris verſus maxillam inferiorem abducitur. *Riſus ſardonius* eſt ſpaſmus oris, quo anguli labiorum a ſe invicem vel magis removentur, vel ad ſe propius adducuntur.

§. CCLXV.

Aſthma convulſivum, ſive *ſpaſticum*, eſt ſpaſmus muſculorum pectoris & laryngis. *Incubus* vero appellatur aſthma convulſivum, durante ſomno natum.

§. CCLXVI.

Contractura eſt ſpaſmus tendinum, præſertim ad loca articulorum.

§. CCLXVII.

Convulſio dicitur ſpaſmi in parte quadam muſculari continua reciprocatio. *Epilepſia*, ſeu *morbus comitialis*, eſt convulſio quædam univerſalis.

§. CCLXVIII.

Convulſionum cauſſa proxima cum illa conveniat, oportebit, quæ de ſpaſmo in genere valet (§. LXXXIV.); hic ſimul concurrente varietate actionis nervorum in partibus convulſis.

§. CCLXIX.

Fieri poterit, ut in partibus muſcularibus, quæcumque etiam maximi ambitus eſſe videantur, debilitas oboriatur; eaque diverſi gradus. Pro diverſitate hujus gradus æque, ac locorum affectorum, debilitatis ſpecies variæ effingi ſolent.

§. CCLXX.

Paralyſis, ſive *reſolutio nervorum*, eſt talis debilitas in partibus muſcularibus, ut illæ vel ſenſu, vel potentia motum exercendi, vel utriſque ſimul careant. Dividi ſolet *paralyſis* in *ſpuriam*, ſeu *ſcorbuticam*, & in *veram*. Prior tunc adeſſe judicatur, quando vel ſenſus ſolum, vel tantum potentia motum exercendi in partibus muſcularibus deficere obſervatur; poſterior vero ex utriuſque defectu, ibidem deprehenſo, colligitur.

§. CCLXXI.

Cauſſam paralyſis proximam reducere licebit ad ea loca, ubi generatim de debilitate ſermo erat (§§. XII. XX. XXII. LXXXI.); hic ſimul habita ratione actionis nervorum, in partibus paralyticis admodum impeditæ.

§. CCLXXII.

Hemiplexia, ſive *hemiplegia*, dicitur paralyſis n uno corporis latere. *Paraplexia*, ſive *paralegia*, eſt paralyſis in utroque corporis latere.

§. CCLXXIII.

Aſthma defectivum eſt paralyſis muſculorum pecoris & laryngis. Communiter etiam dici ſolet *aſthma humidum*, ob ſtertores inter reſpirandum hic ſæpius obſervatos, vel tuſſim frequentem, cuius ope mucus ejicitur; ad differentiam *aſthmatis ſicci*, ubi ejuſmodi quid deficere videtur, & de aſthmate ſpaſtico vulgo prædicari ſolet.

§. CCLXXIV.

Apoplexia eſt paralyſis vera, univerſalis. Atque in *ſanguineam* & *ſeroſam* dividi ſolet: prior nimirum ſanguinis, poſterior vero ſeri coacervationes, aut extravaſationes, encephalon verſus ſimul obortas, ſupponit.

§. CCLXXV.

Singularum harum paralyſis ſpecierum, quæ in §§. CCLXXII. CCLXXIII & CCLXXIV. definiuntur, cauſſæ proximæ conditio cum illa congruit, quæ jam de paralyſi in genere evicta eſt (§. CCLXXI.).

§. CCLXXVI.

Conſiderato illo fundamento, cui notiones ſpecierum ſpaſmi & paralyſis ſuperſtruuntur (§§. CCLVIII & CCLXIX.); facili tunc ratione con-

ſtabit, quod adhuc longe plures utriuſque morbi ſpecies, præter hactenus definitas, hic exſtare poſſent; adhibitis vocabulis quibuſdam peculiaribus, ad notiones iſtas exprimendas. Quoniam vero vocum augmenta, quæ in diſciplinis præter neceſſitatem fiunt, plus damni, quam utilitatis, afferre ſolent, hinc etiam conſultum fore judicavimus, a pluribus paralyſis & ſpaſmi ſpeciebus definiendis abſtinere; ad quas in caſu obvio deſignandas nomen genericum utriuſque morbi, relatum ad partem affectam, commode ſufficere poterit. Quare etiam definitæ modo ſpecies ſpaſmi & paralyſis omitti potuiſſent; niſi jam horum vocabulorum uſus in ſcholis Medicorum adeo invaluiſſet, ut illis hoc loco prætervifis, res maximi momenti deſiderari videretur.

§. CCLXXVII.

Atrophia in genere dicitur defectus nutritionis, in partibus muſcularibus præſertim conſpicuus. *Aridura* autem nomine venit atrophia, relata ad partes muſculares membrorum, circa illorum præcipue articulos.

§. CCLXXVIII.

Atrophiæ generatim morbus loco cauſſæ ſuæ proximæ habebit vel obſtructiones glandularum meſenterii; vel defectum fluidi, ad nutriendum apti; vel denique obſtructiones, conſtrictiones, compreſſiones, immo etiam concretiones vaſorum, fluidum nutriens ad partem atrophicam ferendum deſtinatorum. Hoc ultimum momentum præ reliquis in aridura locum habere ſolet.

§. CCLXXIX.

Explicatis itaque illis notionibus, quæ ad mor-os in ſpecie, deſignandos partium muſcularium, uatenus hæ totum aliquod faciunt, pertinebant; ultis aliis hic ſtudio omiſſis, quæ ut commu-ia ſe habent, atque ad capita antecedentia re-eunt, ad novi jam argumenti tractationem pro-redimur.

CAPUT IV.

DE CAVITATUM ET PARTIUM INTRA ILLAS CONTENTARUM MORBIS SIMPLICIBUS.

§. CCLXXX.

Fieri poteſt, ut cavitates corporis humani, omneſque in illis contentæ partes, morbis ſubjaceant hactenus pertractatis. Hoc igitur loco ea tantum proponenda erunt, quæ ad morbos harum partium in ſpecie pertinere videbuntur.

§. CCLXXXI.

Coryza eſt impedita, ſive difficilis excretio muci e naribus. *Gravedo* eſt incommoda repletio ſinuum frontalium, a muco facta. *Phlegmatorrhagia* eſt ſtillicidium muci e naribus.

§. CCLXXXII.

Caussa coryzæ proxima consistet vel in muci narium nimia viscidicate, vel in glandularum membranæ pituitariæ compressione, constrictione, obstructione. Caussa vero gravedinis latebit in muci nimia intra sinus frontales secretione, ejusque inspissatione. Caussa denique phlegmatorrhagiæ ad muci narium nimiam tenuitatem redibit.

§. CCLXXXIII.

Ozæna vocatur ulcus intra cavitates narium prognatum. De cujus caussa proxima tibi constare poterit ex §. CCII.

§. CCLXXXIV.

Angina spuria, sive *notha*, est inflammatio partium, intra fauces quidem contentarum, sed concurrentium ad deglutitionem & respirationem. Hujus quoque morbi caussam proximam tibi intelligere licebit ex §. CXVII.

§. CCLXXXV.

Branchus dicitur major excretio muci intra fauces & asperam arteriam, quam opus est in statu sanitatis.

§. CCLXXXVI.

Branchi caussa proxima ad partium, in hoc morbo affectarum, debilitatem redibit; vel in nimia sanguinis arteriosi, ad easdem partes affectas, congestione latebit, ita, ut ibidem auctiore muci secretione facta, ejus quoque copiosior excretio necessario proveniat.

§. CCLXXXVII.

Raucitas, ſive *raucedo*, eſt ſpaſmus tunicæ glandulosæ laryngis. Cujus cauſſam in genere cognoſcere poteris ex §. LXXXIV.

§. CCXXXVIII.

Sputum cruentum vocatur hæmorrhagia, relata vel ad infundibulum narium, vel partes alias, intra os contentas, ſed cum ejectione ſanguinis per os ſimul connexa. De cauſſa hujus morbi proxima in genere te jam edocebit §. CLXXXII.

§. CCLXXXIX.

Catarrhus ſuffocativus eſt pulmonum paralytica debilitas. Cujus cauſſam proximam tibi indicabit §. CCLXXI.

§. CCXC.

Tophi pulmonum ſunt ſcirrhi, in locis quibuſdam pulmonum nati. Cujus cauſſam proximam generatim introſpicere licebit ex §. CCXI.

§. CCXCI.

Phthiſis pulmonalis eſt ulcus in pulmonibus. *Vomica pulmonum* vero appellatur abſceſſus pulmonum. Utriuſque morbi cauſſa proxima patebit ex §§. CCII & CCVIII.

§. CCXCII.

Empyema in genere dicitur effuſio materiæ purulentæ in cavitatem quamcumque corporis humani. *In ſpecie* hoc nomen hodie plerumque tri-

bui ſolet puris evacuationi, in cavo thoracis factæ. Cujus cauſſa proxima ſupponit apertionem factam eſſe vel vomicæ pulmonum, vel abſceſſus in alia parte ſuborti, referenda ad thoracis cavitatem.

§. CCXCIII.

Hydatides pulmonum ſunt hydropes in locis quibuſdam pulmonum. *Hydrops pectoris* eſt hydrops, ad pleuram relatus. Horum morborum cauſſa proxima generatim apparebit ex §. CCXLVIII.

§. CCXCIV.

Dyſpnœæ vocabulum denotat in genere difficilem reſpirationem. Ad cujus cauſſam vero quod attinet, illa jam ad ſequentia momenta redibit. Adeſſe hic poterunt vel aſthmatis utrumque genus, immo etiam dolores modo in pleura, modo in muſculis ſuborti, quibus natura utitur ad thoracis dilatationem & coarctationem; vel pulmonum inflammatio, vomica, ulcus, hydatides, tophi, debilitas; vel empyema, hydrops pectoris; vel tandem diſtenſiones partium, diaphragmati vicinarum, nec non impeditæ actiones muſculorum abdominalium.

§. CCXCV.

Tuſſis nomen accepit exſpiratio vehemens ſonora, involuntaria, eſtque vel *humida*, quando cum ejectione materiæ cujuſdam ſtipata eſt; vel *ſicca*, ſi iſta ejectio deficere videtur.

§. CCXCVI.

Caussa tussis proxima in genere supponit omne , quod actionem in partibus, proxime inservienbus exspirationi, supra modum intendere valet.

§. CCXCVII.

Hæmoptysis est hæmorrhagia pulmonum, ubi ro sanguis per os ejicitur. De cujus caussa proma satis constabit ex §. CLXXXII.

§. CCXCVIII.

Singultus est convulsio diaphragmatis. Cujus ussa proxima liquida esse poterit ex §. CCLXVIII.

§. CCXCIX.

Cardialgia, sive *cardiogmus*, est spasmus caræ, seu orificii superioris ventriculi. Ne hujus uidem morbi caussa proxima obscura esse pote: ex §. LXXXIII.

§. CCC.

Soda est arrosio circa orificium ventriculi supeus, sive cardiam, oborta. Cujus caussa proxima l §. XXXI. redibit.

§. CCCI.

Ructus est explosio aëris, in ventriculo conti, per cardiam. Pro diversitate saporis, quem b ructibus organon gustus percipit, illi dividi lent vel in *nidorosos*, vel *acidos*, vel *amaros*, sic porro.

§. CCCII.

Ructuum ortus vel ſpaſmum, vel compreſſionem pylori, durante concoctione in ventriculo, aut præſentibus ibidem maſſis aliis fermentantibus, ſupponit.

§. CCCIII.

Anorexia eſt defectus famis. Cui ſimul ſi acceſſerit vehemens quædam eſculentorum averſatio, *nauſea* tunc adeſſe dicitur.

§. CCCIV.

Anorexiæ morbus non aliam ſui cauſſam proximam agnoſcere poterit, quam motum periſtalticum ventriculi admodum imminutum, vel etiam ſucci gaſtrici inertiam.

§. CCCV.

Addephagia vocatur longe major fames, quam quæ ſtatui ſanitatis reſpondet. *Orexis* vero *canina* erit addephagiæ ſummus gradus.

§. CCCVI.

Addephagiæ cauſſa proxima latebit modo in ventriculi motu periſtaltico admodum aucto; modo in ſucci gaſtrici acrimonia.

§. CCCVII.

Vomitus eſt tale ſuperpondium motus periſtaltici aſcendentis præ deſcendente in ventriculo, ut ejus contenta per os excernantur. Pro excretorum diverſitate, vomitus erit vel *bilioſus*, ſi bilis

iciatur; vel *acidus*, si materia quædam acida ex-ernatur; vel *cruentus*, si rejectiones sanguinis fiant, : sic porro. Quod amplius ad *vomitum cruentum* ectabit, haud incongrua ratione illum quoque efinire poteris per hæmorrhagiam ventriculi, ubi nguis extravasatus per os rejicitur; sive per hæ-norrhagiam, relatam ad ventriculum, sed simul onnexam cum vomitu.

§. CCCVIII.

Quando fibræ ventriculi vel ad sui extremitatem extram, vel ad superficiem mox superiorem, mox nferiorem, vel denique ad unum marginem aut pasmo afficiuntur, aut comprimuntur; vomitus unc erit necessarius. Qui etiam suborietur; fibris entriculi vel absolute, vel respective debilibus factis. Jnde jam satis constabit de conditione caussæ pro-imæ vomitus. Quod vero in specie ad vomitum ruentum attinet; ad illius caussam intelligendam nsuper accedere debent dicta in §. CLXXXII.

§. CCCIX.

Flatulentia est nimia intestinorum distensio, ab ëre facta. Cujus caussa proxima consistet vel in ebilitate intestinorum; vel in nimia copia aëris, uocumque modo delati ad tubum cibarium.

§. CCCX.

Diarrhœa est frequens scybalorum tenuium per num excretio. Cujus caussa proxima ad motus eristaltici intestinorum descendentis nimium au-mentum redibit, sub ratione vis inertiæ.

§. CCCXI.

Diarrhœæ ſpecies variæ a Medicis numerantur, fundamento ſequenti ſuperſtructæ. Solita ſcilicet miſcibilia ſcybalorum in iiſdem vel abundabunt, vel deficient, vel cruda iiſdem inerunt; vel etiam ſcybalis inſolita quædam admixta eſſe poterunt. Unde diarrhœæ ſpecies illæ notiſſimæ proveniunt, quarum definitiones §. ſequens in ſe jam continebit.

§. CCCXII.

Diarrhœa ſeroſa, ſive *ſeroſo-mucida*, ſive *mucida*, illa vocatur, ſi in ſcybalis mucus inteſtinalis abundaverit. *Diarrhœa bilioſa*, ſive *cholerica*, erit illa diarrhœæ ſpecies, quæ abundantia bilis admixtæ excrementis alvinis ſe præ reliquis diſtinguit. Dum e contraria parte bilis defectum in ſcybalis ſupponit *diarrhœa icterica*. *Diarrhœa cœliaca* illam diarrhœæ ſpeciem efficit, quando ſcybala cibos ſemicoctos in ſe continent. *Lienteria*, ſive *diarrhœa lienterica* appellatur, ſi ſcybalis cibi nihil plane ſoluti ineſſe obſervantur. *Diarrhœa colliquativa* nuncupatur illa diarrhœæ ſpecies, ubi ſcybala lympham copioſam ſibi admixtam in ſe continere deprehenduntur. *Fluxus* vero *hepaticus* illa diarrhœæ ſpecies erit, ubi ſcybala ſero ſubrubro abundare videntur.

§. CCCXIII.

Obſtructio alvi eſt deficiens excretio per alvum. Cujus morbi cauſſa proxima latebit in motu periſtaltico inteſtinorum deſcendente valdopere imminuto, reſpectu vis inertiæ.

§. CCCXIV.

§. CCCXIV.

Colica vocatur in genere dolor inteſtinorum. ujus cauſſam proximam ex §. CXCVI. intelligere poteris.

§. CCCXV.

Paſſio iliaca, ſive *miſerere mei*, eſt ea colicæ cies, ubi ſcybala verſus inteſtina tenuia & venculum regrediuntur.

§. CCCXVI.

Præter cauſſam doloris (§. CXCVI.), paſſio ca ſibi quoque vindicabit motum periſtalticum eſtinorum aſcendentem longe majorem deſcenıte (§. anteced.), una cum valvulæ coli deſtione.

§. CCCXVII.

Teneſmus eſt convulſio muſculorum ani. Cujus ıſſa proxima generatim conſtare poterit ex CCLXVIII.

§. CCCXVIII.

Procidentia ani dicitur inteſtini recti talis diſatio, ut illud promineat. Morbi hujus cauſſa ɔxima latebit in ligamentorum inteſtini recti detate, vel plenaria ſolutione.

§. CCCXIX.

Paralyſis ani eſt muſculorum inteſtini recti paſis. Cujus cauſam proximam generatim cogſcere licebit ex §. CCLXXI.

§. CCCXX.

Infarctus, five *inflatio hepatis*, vel *lienis*, ex tumore molli, in iſtis viſceribus deprehenſo, æſtimatur; ſive ex congeſtione humorum ibidem facta colligitur. Oboriri etiam poterunt in iſtis viſceribus hydatides.

§. CCCXXI.

Hepatis vel lienis infarctus pro ſui cauſſa proxima agnoſcet modo diſtenſionem coli & ventriculi; modo vaſorum in iſtis viſceribus obſtructionem; modo illorum in locis quibuſdam conſtrictionem; modo denique ipſorum viſcerum affectorum atoniam. Quod vero ad hepatis vel lienis hydatides attinet, harum quoque cauſſa proxima ex eodem principio derivanda erit, ex quo hydatidum ortus in pulmonibus ſupra explicatus erat (§. CCXCIII.)

§. CCCXXII.

Nephritis calculoſa in genere dicitur complexus morborum, ob calculi præſentiam in renibus obortorum. De cujus cauſſa & effectibus deinceps clarius conſtabit.

§. CCCXXIII.

Stranguria eſt dolorifica urinæ excretio, eaque guttatim contingens. *Dyſuria* vero audit dolorifica urinæ excretio, cum ingenti niſu & preſſione connexa. *Iſchuria* eſt ſuppreſſio urinæ, ſine ullo ad eamdem excernendam conatu.

§. CCCXXIV.

Stranguriæ caussa proxima ad sphincteris vesicæ ... nariæ spasmum, compressionem, exulceratio- ... n redibit, nec non urinæ acri sæpius tribuen- ... erit, unde collum vesicæ, vel urethra; tam- ... am loca admodum sensilia, valdopere affici pos- ... it. Dysuria sui caussam proximam admittit spas- ... um & compressionem circa fundum vesicæ. ... huriæ tandem caussa proxima latebit in urete- ... n obstructione, compressione, spasmo; nec non ... paralysi fibrarum orbicularium vesicæ, ejusque ... incteris spasmo.

§. CCCXXV.

Quandoquidem fieri solet, ut urina ad tantam ... antitatem excernatur, ut liquidorum in corpus ... minis delatorum copia longe magis superari vi- ... tur; atque urina ipsa, quæ excernitur, vel ... da, sive parum mutata, vel etiam lympha re- ... kta esse appareat; ejusque tandem excretio fre- ... ens esse simul observetur. Huic fundamento in- ... itur notio morbi illius singularis, quem dicere ... ent diabeten. Erit itaque *diabetes* copiosa & fre- ... ens urinæ vel crudæ, vel lymphaticæ excretio. ... pellatur etiam *hydrops ad matulam.* Hujus mor- ... caussa proxima latebit vel in nimia debilitate ... orum, urinam secernentium in renibus; vel in ... utione & obstructione vasorum lymphaticorum, ... æsertim in visceribus abdominalibus.

§. CCCXXVI.

Incontinentia urinæ eſt involuntaria urinæ excr tio. Cujus cauſa proxima eſſe poterit vel ſolutic vel paralytica debilitas ſphincteris veſicæ.

§. CCCXXVII.

Fluor albus eſt major muci ex utero ejuſq vagina, nec non labiis vulvæ excretio, quam r quirit ſtatus ſanitatis. Pro qualitate muci excret *fluor albus* erit vel *benignus*, vel *malignus*.

§. CCCXXVIII.

Fluoris albi cauſſa proxima redibit ad vaſoru in partibus, ab hoc morbo affectis, nimiam deb litatem, conſtrictionem, compreſſionem, imm etiam ſolutionem quamcumque. Ad cauſſam ve fluoris albi maligni in ſpecie intelligendam mu tum valebunt propoſita in §. CLXXVIII.

§. CCCXXIX.

Gonorrhœa vocatur involuntaria atque inco moda ſeminis & liquidi proſtatarum glandularu que urethræ in maribus excretio. Pro conditio liquidi hujus, quod e genitalibus marium excern tur, *gonorrhœa* dividi ſolet in *benignam* & *malignar*

§. CCCXXX.

Gonorrhœa pro ſui cauſſa agnoſcet partiun ab hoc morbo afflictarum, præcipue vaſorum ſpe maticorum debilitatem, ſpaſmum, ſolutionem. I cauſſa vero gonorrhœæ maligne ſpecialius conſt re poterit ex §. CLXXVIII.

§. CCCXXXI.

Impeditum justoque tardiorem humorum mo-
m progressivum per vasa ad morbos in genere
rtinere ex superioribus jam constat (CLXXII).
d hoc mali genus non solum in omnibus parti-
s, quas vasa adeunt, obtingere poterit, sed
iam morbi chronici speciem præ se ferre. Nul-
m igitur dubium erit, quin etiam morbus chro-
cus oboriri queat, qui in difficili progressu san-
iinis per viscera abdominalia consistit. Hujus jam
nditionis morbus in sexu potiore *malum hypo-
ondriacum*, sed *hystericum* insequiore appellatur.

§. CCCXXXII.

Mali hypochondriaci & hysterici caussa proxi-
a proficiscitur a vasorum sanguineorum, per vis-
era abdominis decurrentium, debilitate, deple-
one, constrictione, compressione, obstructione,
ndemque etiam a spissitudine sanguinis.

§. CCCXXXIII.

Hæmorrhoides in genere vocari poterunt morbi,
uos partim ad vasa hæmorrhoidalia, partim ad
uidum, in iisdem contentum, referre licebit.
rout vasa hæmorrhoidalia vel interna, vel externa
uerint, quæ hic magis afficiuntur, *hæmorrhoides*
uoque dividi solent in *internas* & *externas*. Sed
ic simul liquet, quod hæmorrhoidum species di-
ersæ possibiles sint; quarum præcipuas explica-
unt definitiones sequentes.

H 3

§. CCCXXXIV.

Hæmorrhoides fluentes generatim dici merentur extravaſationes fluidi in vaſis hæmorrhoidalibus contenti. *In ſpecie* tamen *hæmorrhoidum fluentium* nomen tribui ſolet extravaſationibus ſanguinis ex vaſis hæmorrhoidalibus; ſive hæmorrhagiæ, ad vaſa hæmorrhoidalia relatæ. Atque hujus indolis *hæmorrhoides internæ* vulgo putantur.

§. CCCXXXV.

Hæmorrhoides mucidæ, ſive *ſeroſæ*, ſeu *albæ*, ſunt extravaſationes ſeri e vaſis hæmorrhoidalibus. Hujus conditionis eſſe communiter habentur *hæmorrhoides externæ. Hæmorrhoides ſerpiginoſæ*, ſive *ſerpigo*, vel *ſudor hæmorrhoidalis*, erunt ſpecies hæmorrhoidum albarum, ſed prurientium.

§. CCCXXXVI.

Hæmorrhoides cæcæ nullam extravaſationem fluidi, in vaſis hæmorrhoidalibus contenti, ſed potius alium morbum ibidem ſupponunt. Tales vulgo eſſe judicantur *hæmorrhoides externæ. Hæmorrhoides turgentes* ſunt ſpecies hæmorrhoidum cæcarum, quatenus cum tumore ad fines vaſorum hæmorrhoidalium connexarum. *Hæmorrhoides tumentes*, *dolentes*, *furentes*, ſunt ſpecies hæmorrhoidum turgentium, quatenus earum tumor furunculus eſt.

§. CCCXXXVII.

De hæmorrhoidum in genere cauſſa proxima ex ſuperioribus ſatis conſtare poterit, ubi nimi-

um sermo erat de morbis vasorum & fluidorum. Quod vero ad hæmorrhoidum species definitas attinet, ne harum quidem causa proxima ignorari poterit, rite perpensis definitionibus singulis. Et hic hæmorrhoides fluentes congestionem fluidi ad vasa hæmorrhoidalia supponunt, ut illa inde vel disrumpantur, vel ad sui orificia nimis dilatentur. Hæmorrhoides vero cæcæ turgentes & tumentes requirunt fluidi congestionem, ad vasa hæmorrhoidalia ita factam, ut inde stasis ibidem oriatur. Serpiginis tandem hæmorrhoidalis conditio inter reliqua seri acredinem sibi simul vindicat.

§. CCCXXXVIII.

Fluxus menstrui sive *mensium*, vel etiam *catameniorum* nomen tribuitur hæmorrhagiæ uteri, quatenus periodicæ intra menstruum tempus. *Menses decolores* ex eo æstimari solent, quando sanguis, sub fluxu menstruo excretus, valde serosus esse videtur.

§. CCCXXXIX.

Hæmorrhagia uteri in specie talis vocari solet hæmorrhagia uteri admodum larga, neque periodica intra menstruum tempus.

§. CCCXL.

Fluxus lochialis, sive *lochiorum* nomen competit hæmorrhagiæ uteri, quæ post partum editum contingit.

§. CCCXLI.

Fluxus menſtrui & hæmorrhagiæ uteri in ſpecie talis cauſſa proxima latebit in ſanguine, ad uterum ita congeſto, ut illius vaſa modo ſolutionem patiantur, modo in ſuis orificiis valde dilatentur. Menſium vero decolorum cauſſa proxima vel ad ſanguinem ſeroſum, qui corpori ineſt, vel ad inſufficientem dilatationem vaſorum uteri redibit. Fluxus denique lochialis vaſorum uterinorum ſolutionem, ob placentam ab utero ſeparatam, pro ſui cauſa proxima agnoſcit.

§. CCCXLII.

Mictus cruentus, quem etiam *hæmorrhoides veſicæ* (ſed perperam) dicere ſolent, eſt hæmorrhagia ad partes, ſe-et excretioni urinæ dicatas, relata, atque ſub ipſa mictione conſpicua. Cujus cauſſa proxima ſita erit vel in ſanguinis ad eas partes, quæ huic morbo obtemperant, tanta congeſtione, ut vaſorum ibidem ruptio aut nimia dilatatio circa ſua orificia ſubſequatur; vel in arroſione a materia acri, aut læſione, a calculo iiſdem partibus inducta.

§. CCCXLIII.

Scorbutus eſt maſſæ ſanguineæ putredo, quæ quidem lente procedit, nihilo tamen minus diverſos ſui gradus reſpectu diverſorum plexuum vaſorum ſanguineorum admittit. De morbi hujus cauſſa proxima te generatim edocebunt dicta in §. CLXXVIII.

§. CCCXLIV.

Lues venerea, ſive *malum neapolitanum*, eſt putredo lenta, ad univerſam magis maſſam lymphatico-ſeroſam relata, ſimulque connexa cum fluore albo maligno, vel gonorrhœa maligna, nec non cum bubonibus, aut aliis ejuſdem farinæ incommodis, ad genitalia productis. De conditionibus cauſſæ proximæ luis venereæ ex ſuperioribus quoque generatim conſtare poterit (§§. CLXXVIII. CCXXIII. CCCXXVII. CCCXXVIII. CCCXXIX. & CCCXXX.

§. CCCXLV.

Icterus abſolvitur diffuſione bilis per totam maſſam humorum; eſtque vel *flavus*, vel *niger*; pro diverſitate coloris, quem bilis diffuſa partibus inducit.

§. CCCXLVI.

Icteri cauſſa proxima poſita erit in ductus choledochi, pororum biliariorum & hepatis compreſſionibus, conſtrictionibus, obſtructionibus.

§. CCCXLVII.

Catarrhi vocabulum *generatim* transferri ſolet ad morbos deſignandos, qui ſui ortum vitiis ſeri quibuſcumque debent; *ſpeciatim* vero hoc nomine venire ſolent gravedo, coryza, phlegmotorrhagia, branchus, raucitas, tuſſis feroſa. Unde jam e ſuperioribus cognoſcitur, quid de catarrhi cauſſa proxima ſentiendum ſit.

CAPUT V.

DE MORBIS SENSUUM EXTERNORUM SIMPLICIBUS.

§. CCCXLVIII.

SEnſus externi plurium morborum compote ſunt cum aliis partibus, totum quid efficienti bus, communium, atque hactenus pertractatorum

§. CCCXLIX.

Lipothymia, ſive *lipopſychia*, ſive *animi deli quium* vel *defectio* ex manifeſto defectu, qui præ ſertim circa functiones vitales & animales depre henditur, colligi ſolet. Ad *ſyncopen* vero refertu lipothymia eminentioris gradus.

§. CCCL.

Impedita nervorum actione in partibus, quarum ope actiones vitales & animales adminiſtrantur; li pothymia erit neceſſaria. Hinc etiam ſyncope i caſu obvio producetur; impedimentis iiſdem ſupr modum auctis. Ex quo jam de ratione cauſſæ pro ximæ horum affectuum ſatis conſtare poterit.

§. CCCLI.

Affectus ſoporoſi in genere dicuntur vel continu ad dormiendum conatus, vel ſomnus magnitudin

dmodum excedens. Quorum cauſſa proxima latebit in continua quadam partium externarum relaxatione & diſtentione vaſorum, ad encephalon recurrentium.

§. CCCLII.

Pro diverſitate gradus, qui cauſſæ iſti affectuum ſoporoſorum adhæret, hi quoque gradu inter ſe different, adeo, ut modo conatus ſolum ad dormiendum, modo ſomnus, uterque etiam mox gravior & perſeverantior, mox levior & ſuccifior ſuboriatur. Quibus ſi adhuc acceſſerit illa affectuum ſoporoſorum relatio, quam ad febres habent, in quibus non nunquam obſervantur; ſatis tunc conſtabit de fundamento, cui ſuperſtruere ſolent medici notiones, ad affectuum ſoporoſorum ſpecies deſignandas; quarum præcipuæ in §. ſequente extabunt.

§. CCCLIII.

Coma vigil eſt affectus ſoporoſus, conſiſtens in continuo conatu ad dormiendum, ſed quatenus eſt ſymptoma febris. *Coma ſomnolentum* dicitur affectus ſoporoſus, conſiſtens in ſomno magnitudine excedente, quatenus etiam eſt ſymptoma febris. *Carus* vocatur affectus ſoporoſus, conſiſtens in continuo, eoque valde notabili conatu ad dormiendum, ſed quatenus non eſt ſymptoma febris. *Lethargus* appellatur affectus ſoporoſus, conſiſtens in ſomno magnitudine excedente, quatenus etiam non eſt ſymptoma febris.

§. CCCLIV.

Ophtalmia eſt inflammatio oculi. De cujus cauſſa proxima generatim conſtare poterit ex §. CXVII.

§. CCCLV.

Vertigo, ſive *ſcotomia*, ſive *ſcotoma*, eſt talis viſus affectio, ut objecta in gyrum quaſi moveri videantur, quamvis quieſcant. Morbi hujus cauſſa proxima latebit in nervi optici ejuſque ramulorum motu tremulo.

§. CCCLVI.

Lippitudo eſt involuntarius fluxus liquidi ſeroſi ad canthos oculorum. Cujus cauſſa proxima ad vaſculorum in oculis conſtrictionem, debilitatem, & ſolutionem redibit.

§. CCCLVII.

Cæcitas eſt abolitio viſus. De cujus cauſſa proxima ut ſatis conſtet, ſequentia momenta notari merentur. Oculo deſtructo, aut illius pupilla pellicula prorſus obducta, viſus peribit. Idem etiam eveniet, opacitate humori cryſtallino inducta, aut membrana quadam ad humorem aqueum ſuborta; utpote quod in *ſuffuſione*, ſive *cataracta*, obtinet. Neque minus cæcitas ingruet, quando nimirum humor vitreus admodum turbidus fit; quippe quod ad *glaucoma* referri ſolet. Tandem hic quoque attendenda ſunt vitia quædam nervi optici, ut ſunt compreſſio, concretio, rigiditas, paralytica debilitas, quæ in *amauroſi*, ſive *gutta ſerena*, locum habent.

§. CCCLVIII.

Dolor, ad aurem relatus, dicitur uno vocabulo *otalgia*; ad dentes, *odontalgia*; ad caput, *cephalalgia*, & ſic porro. Quæ generatim de cauſſa doloris proxima ſupra jam dicta ſunt (§. CXCVI.), ea hic quoque valebunt.

§. CCCLIX.

Suſurrus eſt motus aëris ſibilans in meatu auditorio. *Tinnitus* vero dicitur motus aëris in meatu auditorio ſonans. Horum affectuum cauſſa proxima ad aëris, in meatu auditorio contenti, motum formem atque inæqualem redibit.

§. CCCLX.

Surditas eſt abolitio auditus. Cujus cauſſa proxima latebit vel in ceruminis aurium induratione; vel in tympani relaxatione, aut ejus plenaria ſolutione; vel in obſtructione, aut ſcirrho glandularum in meatu auditorio; vel denique in nervi acuſtici paralytica debilitate.

§. CCCLXI.

Olfactus quoque defectus pro morbo habendus erit; de cujus vero cauſſa proxima ſequentia tenenda erunt. Adeſſe hic nimirum poterit materia quædam, orificia vaſorum membranæ pituitariæ obſtruens. Quandoquidem etiam fieri poterit, ut papillularum nervearum in cavo naſi adſint varii generis vitia, aut illarum plenariæ abolitiones. Tandemque olfactui valdopere officiet nervi olfactorii paralytica debilitas.

§. CCCLXII.

Similiter etiam guſtus defectus loco morbi æſtimandus erit; cujus cauſam proximam ad ſequentia momenta reducere licebit. Sæpius hic contingere ſolet, ut a materia aliqua viſcida & tenaci ſuperficies linguæ obducatur, indeque impediatur, quo minus actio in papillulis nerveis excitari poſſit; licet corpora, ad ſaporem producendum idonea, linguæ admoveantur. Sed neceſſe etiam erit; ut ob vaſculorum linguæ obſtructiones, vel papillularum nervearum ibidem factas abolitiones, tandemque linguæ ipſius paralyſin guſtus deficiat.

§. CCCLXIII.

Aphonia, ſive *vocis defectus*, eſt impotentia loquendi. Cujus cauſſa proxima ſita eſſe poterit in linguæ ſpaſmo, paralyſi, deſtructione, concretione ad frenulum verſus illius apicem nimis protenſum tandemque in ſpaſmi cynici & riſus ſardonii pertinacia.



CAPUT VI.
DE
ORBIS SENSUUM INTERNORUM SIMPLICIBUS.

§. CCCLXIV.

MOrbi *ſenſuum internorum*, ſive *animi*, medicis dicuntur morbi, qui partibus corporis ımani, exercitio facultatum animæ inferiorum oximæ inſervientibus, ita inhærent, ut in harum cultatum animæ uſu vel defectus, vel perturbatio ıædam manifeſto deprehendi liceat.

§. CCCLXV.

Animi morbus, quem potius in caſu obvio ad otabilem perturbationem uſus facultatum animæ feriorum referre licet, *in genere* dici ſolet *delium.* Quod ſi vero ille magis reduci poſſit ad maifeſtum aliquem defectum in exercitio earumdem cultatum animæ inferiorum, *moroſis*, ſive *moria*, ve *ſtupiditas*, ſive *fatuitas*, appellari ſolet.

§. CCCLXVI.

Delirium connexum cum inſolito robore memrorum, vel intenſa actione aliarum partium muſularium nomen *delirii in ſpecie talis*, ſive *delirii ıaniaci*, ſortitur. Ad differentiam *delirii melanchoci*, ubi ejuſmodi inſolitæ virium moventium in ıembris, aut partibus aliis muſcularibus exacerbaones non ſunt conſpicuæ.

§. CCCLXVII.

Delirium in genere (§. CCCLXV.) inſtar morbi cujuſdam vel acuti, vel chronici apparere poterit. Si prius, dicitur tunc eſſe *delirium acutum*, ſive etiam *phreniticum*, Si poſterius, vocabitur *delirium chronicum.* Utrumque porro delirium, ſive illud fuerit acutum, ſive chronicum, pro diverſitate nimirum caſus, mox ad *delirium in ſpecie tale*, ſive ad *delirium maniacum*, mox vero ad *delirium chronicum* (§. anteced.) referri poterit. Delirium tandem maniacum ſimulque chronicum dicitur etiam *mania*, ſive *furor.* Quum e contrario nomen *melancholiæ* delirio melancholico, quod ſimul chronicum eſt, tribui ſoleat.

§. CCCLXVIII.

Ex inæqualitate vis & nimia celeritate in producendis ideis materialibus, ſive & nervorum motu per cerebrum admodum accelerato atque inæquali uſus facultatum animæ inferiorum perturbatus explicari poterit. Unde jam de conditione cauſſæ proximæ deliriorum in genere (§. CCCLXVi) conſtabit Quoniam vero delirium in ſpecie tale, ſive delirium maniacum eo differt a melancholico, ut ibi augmenta virium inſolita in membris, vel partibus aliis muſcularibus ſimul adeſſe, hic vero abeſſe deprehendantur (§. CCCLXVI.): ſequitur, ut ad deliria maniaca, præter cauſſam modo indicatam, a qua facultatum animæ inferiorum perturbationes in exercitiis ſuis proficiſcuntur, adhuc accedat juſto celerior & valentior motus nervorum motoriorum. Hinc etiam delirii maniaci cauſſa proxima manifeſta

ſta erit. Ex quibus adeoque colligere licebit, quas rationes reditura ſit cauſſa proxima deliriorum tam in genere, quam in ſpecie, conſequenter etiam maniæ & melancholiæ (§§. CCCLXV. CCCLXVI & CCCLXVII.)

§. CCCLXIX.

Ad moroſis vero cauſſam proximam quod attinet, illa non niſi in nervorum per cerebrum motu admodum retardato & langueſcente quærenda erit (§. CCCLXV.)

§. CCCLXX.

Medicis jam dudum fuit ſolemne, melancholiam & maniam in certas ſpecies diſtribuere. Diviſionis hujus duplex ratio eſt. Prima nimirum depromitur a conditione ideæ maxime dominantis in homine mente capto, atque ab ipſo vel verbis, vel actionibus expreſſæ; exemplo melancholiæ, vel maniæ, utriuſque modo triſtis, modo jucundæ. Secunda ratio; quæ hic locum habet, originem ſuam ducit ab externis quibuſdam mutationibus, corpori inductis, quas vero non numquam mentis alienationes excepiſſe, experientia docuit; quorſum exempli loco pertinet morſus animalis cujuſdam rabidi. Clarius hæc conſtabunt ex §§. proxime ſequentibus, in quibus jam continebuntur frequentiores melancholiæ & maniæ ſpecies definitæ.

§. CCCLXXI.

Erotomania eſt vel melancholia, vel mania, quatenus connexa cum appetitu ad venerem.

Furor uterinus dici ſolet erotomania in ſexu ſequiore.

§. CCCLXXII.

Chorea S. Viti eſt modo melancholia, modo mania, quatenus connexa cum deſiderio ſaltandi.

§. CCCLXXIII.

Tarantiſmus eſt vel melancholia, vel mania, quatenus connexa cum ictu tarantularum.

§. CCCLXXIV.

Hydrophobia eſt mania, quatenus connexa cum averſatione corporum fluidorum & ſplendidorum. *Rabies canina* eſt hydrophobia, quæ morſum canis rabidi ſequitur. *Lycanthropia* eſt hydrophobia, quæ lupi rabidi morſum ſequitur.

§. CCCLXXV.

Furor poëticus, ſive *raptus poëticus*, eſt mania, quatenus connexa cum inſigni promptitudine verba in numeros cogendi.

§. CCCLXXVI.

Noctambulatio, ſive *noctiſurgium*, ſive *ſomnambulatio*, eſt melancholia, quatenus connexa cum ſomno & motu progreſſivo corporis.

§. CCCLXXVII.

Nostalgia est melancholia, quatenus connexa m desiderio redeundi in patriam.

§. CCCLXXVIII.

Definitæ species morborum animi (§§. CCCLXXI. CCLXXVII.), ratione caussæ suæ proximæ, in nere respondebunt propositis in §. CCCLXVIII. pecialiora vero, quæ ad hoc argumentum perti- rent, infra loco suo ex observationibus magis clarabuntur.

§. CCCLXXIX.

Debilitas memoriæ est illa species morosis, quæ im defectu memoriæ valde notabili connexa esse eprehenditur.

§. CCCLXXX.

Caussa proxima debilitatis memoriæ jam in ge- ere ex superioribus patet (§. CCCLXIX.); de ua vero specialius infra ex observationibus con- abit.

§. CCCLXXXI.

Marasmus senilis morosin in genere supponit, amque cum universali quadam & tali solidorum ebilitate connexam, qualis ordinario in sene de- repito oboriri solet, ob majorem nimirum aquæ elementis defectum, quam qui in rigiditate adest.

§. CCCLXXXII.

Hinc maraſmi ſenilis cauſſam proximam genera tim intelligere poteris ex §§. XXII & CCCLXIX plura alia ſpecialiora de eodem argumento infra percepturus.

Quod jam in ſequentibus fiet, ubi morb ſimplices, de quibus libro iſto egimus, in vari compoſitione ſua, hinc ita, prout corpori hu mano inſunt, conſiderabuntur (§§. XXXIX. XLI & XLII. *prolegom.*) Perficere id conabimur e ordine, quem leges methodi, aptæ ad perſpicue intelligendos morbos, præcipiunt (§. XLIII *prolegom.*)

Libri Primi de Morbis Simplicibus

FINIS.



LIBER SECUNDUS.

DE
MORBIS COMPOSITIS.

CAPUT I.
DE
RIGIDITATE ET DEBILITATE SOLIDORUM IN GENERE.

§. CCCLXXXIII.

POſita rigiditate ſolidorum (§. XVII.), poni ſimul debent immobilitas membrorum; nimia reſiſtentia vaſorum in fluida; pulſus durus (§. CXXXVII.); tandem concreſcentia vaſorum (§. CVII.); decrementum corporis (§. CLXXVIII.); ſtaſes multiplices (§. CLXXIV.)

Dictorum in §. veritatem confirmant exemplo ſuo præ aliis ſenes, aut qui duro vitæ genere, vel ſpaſmorum atrocitate & pertinacia longe maturius ſeneſcere videntur. Explicatius hæc proponentur in prælectionibus.

§. CCCLXXXIV.

Deſcripti in §. antec. effectus rigiditatis, hujus ſigna pathognomica ſufficientia ſuppeditare poterunt.

§. CCCLXXXV.

Ad rigiditatis vero ſigna prognoſtica quod attinet, illa rite inventurus attendat ad morbi differentem gradum, ejuſque notabiles effectus in partibus vel nobilioribus, vel ignobilioribus.

Hinc patet, quod ad hoc negotium in caſu obvio multo facilius expediendum, plurium aliorum morborum, de quibus in ſubſequentibus ſermo erit, exacta cognitio requiratur; quorſum imprimis pertinebunt viſcerum horumque vaſorum morbi. Cujus rei exempla excitabuntur in prælectionibus.

§. CCCLXXXVI.

Poſita partium ſolidarum debilitate (§. XX.); poni ſimul debent illarum facilis extenſio; imminuta actio vaſorum in fluida; pulſus admodum debilis & mollis (§§. CXXXVI & CXXXVII.); ſtaſes (§. CLXXIV.); tandemque ſolutiones continui perquam faciles (§. XXIV.)

Hæc etiam cum obſervationibus probe conſentire, in prælectionibus oſtendetur. Valebun hic inter alia exempla ſenum decrepitorum corpora ſicca, vel admodum ſucculenta phlegmaticorum

§. CCCLXXXVII.

Quæ in §. anteced. continentur, ea ſimul vim habere poterunt ſignorum pathognomicorum ſufficientium debilitatis. Quoniam vero partium ſolidarum debilitas duplicis generis eſt; prout nimirum aqua vel magis deficit in elementis inter ſe cohærentibus, quam in rigiditate, vel magis ibidem

abundat, quam cum ſanitate congruit (§. XXII.): præter modo indicata ſigna debilitatis, in ejus caſu priore adhuc notari debent oſſium fragilitas, atque habitus corporis admodum emaciatus; in caſu vero poſteriore, habitus corporis magis inflatus, atque oſſium mollities. Unde jam ſatis conſtabit de ſignis pathognomicis debilitatis utriuſque generis.

§. CCCLXXXVIII.

Debilitatis vero accurata prognoſis requirit, ut ratio probe habeatur & gradus diverſi, quem morbus in corpore jam obtinuit, & conditionis partium, quæ præ reliquis ab illo affliguntur. Hic igitur quoque valebunt, quæ jam ad §. CCCLXXXV. notata ſunt. Sed unum adhuc momentum hic addendum erit, quod ad illam magis debilitatem reſpiciet, quæ originem ſuam in abundantia aquæ agnoſcit, elementis partium ſolidarum admixtæ. Ope ſcilicet excretionum naturalium fluidi aquei copia notabilis corpori ſubtrahitur. Nonne igitur fieri poterit, ut hoc modo ſtatus ægri in melius vergat.

CAPUT II.

DE PLETHORA GENERATIM.

§. CCCLXXXIX.

PLethoræ (§. CLXIV.) ſymptomata neceſſaria eſſe debent; diſtenſiones vaſorum (§. XCV.); pulſus magnus (§. CXXXV.), ob molem ſanguinis, ejuſque retardatum reditum ex vaſis par-

tium externarum, nec non majorem coacervationem in vaſis debilioribus aliis; artuum gravitas; obdormitio, torpor corporis; frequentes vertigines; itemque ſenſibilitas, quæ a frigore & æſtu mirum in modum exacerbatur.

§. CCCXC.

In corporibus admodum plethoricis ſe-et excretiones naturales inde impediri poterunt, quia vaſorum diſtenſiones (§. anteced.) tantæ jam fient, ut inde jam plura alia vaſa partim conſtringantur, partim comprimantur (§§. XCIII. CIII & CIV.)

§. CCCXCI.

Vaſorum debilitas illorum diſtenſiones tandem ſequi ſolet. Hinc fieri poterit, ut ſuccedente tempore ſanguis plethoricorum ſpiſſeſcat (§§. CLXXXV & CCCLXXXIX.), & ſic ex plethora ſimplice compoſita quædam ſuboriatur (§. CLXVI.)

Exſtabunt loco ſuo exempla, quorum quædam in prælectionibus indicabuntur, ex quibus manifeſto apparebit ſingularum propoſitionum, quæ in §§. anteced. continentur, conſenſus cum obſervationibus.

§. CCCXCII.

Plethoræ ſigna pathognomica ſufficientia ex propoſitis in §. CCCLXXXIX. ſatis clare intelliguntur.

§. CCCXCIII.

De ſignis vero prognoſticis plethoræ ſequentia tenenda erunt. Hæmorrhagiis, aut excretionibus aliis naturalibus auctis quidem, ſed non ſupra modum, plethora ſalutariter ſolvitur. Ubi vero ejuſmodi quid non contingit; tunc ex ſpecie morbi urgentis, a plethora producti, prognoſis formanda erit.

CAPUT III.

DE SPISSITUDINE HUMORUM IN GENERE.

§. CCCXCIV.

QUando humorum ſpiſſitudo in corpore jam invaluit; tunc ſimul adſint, oportebit, ſtaſes, præſertim in vaſis minimis (§. CLXXIV.); inæquales diſtenſiones vaſorum, pulſus durus & inæqualis (§§. CXXXVII & CXXXVIII.); frequentes cordis palpitationes (§. CXLIX.); ſe-et excretionum naturalium impedita ſucceſſio; ſomnus inquietus; pallor in facie & extremorum frigus fere continuum.

Quod probe congruit cum obſervatis, id melancholicorum exemplis inter alia probantibus.

§. CCCXCV.

Sanguis ſpiſſus, teſte obſervatione, colorem magis in nigrum ruentem continuo referre ſolet.

§. CCCXCVI.

Spiſſitudinis humorum ſigna pathognomica ex §§. anteced. ſatis manifeſta ſunt; de prognoſticis vero ſequentia notanda erunt. Motibus febrilibus determinati gradus humores ſpiſſi reſolvi poſſunt. Præter hæc vero attendatur ad notabiles quoſdam effectus morbi; habita nimirum ratione unius vel alterius partis, quæ ab illo magis afficitur.

CAPUT IV.

DE CACOCHYMIA IN GENERE.

§. CCCXCVII.

QUoniam cacochymia differentem ſtatum maſſæ humorum involvit (§. CXCIII.); ſequitur, neceſſe etiam eſſe, ut cacochymiæ effectus pro diverſitate caſus inter ſe differant.

§. CCCXCVIII.

Et ſic cacochymiæ ſpiſſæ & viſcidæ effectus redibunt generaliter ad illos, de quibus modo actum eſt in cap. præced. De cacochymia vero illa, quæ humorum tenuitatem ſupponit, hoc ſciendum erit, quod præter retardatum motum humorum progreſſivum, & facilem corporis intumeſcentiam, hic quoque ſtaſes haud difficulter ſuboriri poſſint (§. CLXXIV.) Quod denique ad acrimoniæ caſum reſpicit, qui æque ad cacochy-

miam referri ſolet; nullum dubium erit, quin tunc arroſiones producantur variæ in ſolidis, pro gradu nimirum acrimoniæ diverſo, quo pollet materia acris, hujuſque ad differentem quantitatem in locis diverſis exiſtentia.

§. CCCXCIX.

Cacochymiæ differentes caſus tibi facile cognoſcere licebit ex modo prolatis ad §. præced. Quod vero ad ejuſdem morbi ſigna prognoſtica concernit; ea quoque haud difficulter ex iiſdem principiis eruere poteris; rite perſpecta effectuum in corpore cacochymico conditione. Specialius ad prognoſin cacochymiæ, quæ humorum tenuitate & acrimonia abſolvitur, id adhuc pertinebit; fieri nimirum poterit, ut excretionibus ſeroſis paulo auctioribus, maxime poſt motus febriles, hæc cacochymiæ ſpecies ſalutariter ſolvatur.

CAPUT V.

DE STASIBUS ET OBSTRUCTIONIBUS GENERALITER.

§. CCCC.

STaſibus & obſtructionibus (§§. XCIX & CLXXIII.) in integris vaſorum plexibus jam obortis; neceſſe erit, ut tum in illa parte, ad quam iſta vaſa decurrunt, tumor producatur, & quidem plus minuſue dolens; pro ratione ſcilicet partis affectæ, magis vel minus nervoſæ (§. CXCVI.)

§. CCCCI.

Si ſtaſes & obſtructiones vaſa occupaverint, quæ fluidum, e quo ſecretio perficienda eſt, ad vaſa ſecernentia devehunt; vel hæc ipſa ſtaſibus & obſtructionibus obnoxia facta fuerint; nulla tum ibi ſecretio poſſibilis erit. Quod etiam probant obſervationes.

§. CCCCII.

Quando in vaſis, quæ vel ad partes intra cavitates contentas, vel ad profunditatem cutis feruntur, ſtaſes & obſtructiones naſcuntur; tunc ſpaſmus periphericus neceſſarius erit (§. CCXXXVII.)

§. CCCCIII.

Quæ de ſtaſibus & obſtructionibus in §§. antec. prædicantur, ea quoque pro ſignis pathognomicis ſufficientibus morbi haberi poterunt. Ratione vero ſignorum prognoſticorum notari meretur, quod hic moderati motus febriles ſæpius proficiant. Præter hæc neceſſe erit, ut ad loca, a morbo potiſſimum affecta, ejuſque magnitudinem, animum dirigas tuum; exactiorem inde deducturus prognoſin beneficio principiorum infra obviorum.

CAPUT VI.

DE HUMORUM CONGESTIONIBUS IN GENERE.

§. CCCCIV.

PArtes, ad quas humorum congeſtiones (§. CLXXV.) fiunt, tumefieri, dolore (§.CXCVI.), aut ſaltem ſenſu gravativo affectæ eſſe debent.

§. CCCCV.

Si partes magis internæ congeſtionibus ſubjiciantur; oborietur tunc ſpaſmus periphericus (§. CCXXXVII.), cum adſpectu ægri emaciato ad ſenſum apparente.

§. CCCCVI.

Quando congeſtiones ſanguinis verſus illas partes contingunt, quæ vaſorum dilatationem, vel ruptionem permittunt; tunc hæmorrhagiæ (§. CLXXX.) conſequi debent, per quas congeſtiones ipſæ ſolvuntur. Quod ſi vero nulla conſequatur hæmorrhagia, congeſtionibus tamen cum impetu perſeverantibus; inflammatio ibidem extimeſcenda erit (§. CXVII.)

§. CCCCVII.

De congeſtionum ſignis pathognomicis ſufficientibus ſatis jam conſtare poterit ex §§. CCCCIV & CCCCV; ratione vero prognoſis ejuſdem morbi, res ita ſeſe habebit. Æqualiter facta humorum diſtributione, quæ ſub univerſali tranſpiratione ſenſibili contingit, congeſtiones quæcumque admodum imminuuntur. Quid ratione congeſtionum ſanguinearum hic notandum ſit, id jam ex §. præced. patebit. Præter hæc omnia conveniet tandem in caſu obvio ad loca magis affecta, & morbi acerbitatem attendere.

CAPUT VII.
DE
INFLAMMATIONE, GANGRÆNA ET SPHACELO GENERATIM.

§. CCCCVIII.

Omnis inflammatio ftafin & obftructionem in vafis fanguineis, vel etiam fanguinis extravafationem intra cellulofam fupponit (§§. CXVI & CXVII.)

§. CCCCIX.

Inflammatio exigui ambitus fe mox ad majus fpatium extendere poteft; & omnis pars inflammata rubere, nec non dolore ardente affecta effe debet (§§. CXVI & CXVII.)

§. CCCCX.

In omni parte inflammata pulfus fortis adfit, oportebit (§§. CXVI. CXVII. & CXXXVI.)

§. CCCCXI.

In inflammationibus quibufcumque, præcipue in internis & phlegmone (§. CCXXI.), femper adeffe debent motus febriles (§§. CCXXXVII & CCXXXVIII.)

§. CCCCXII.

Partes, gangræna affectæ, magis dolere debent, quam inflammatæ, & colorem ex rubro jam ad nigrum vergentem referre (§. CXVI.)

§. CCCCXIII.

Partes, in quibus jam ſphacelus obtinuit, inſenſiles factæ ſunt; colorem lividum, vel nigrum habent; fœtorem cadaveroſum ſpirant (§. CXVIII.)

§. CCCCXIV.

Quadruplici modo, teſte experientia, inflammationes ſolvuntur.

I. Per diſcuſſionem, ſive per ſanguinis reſtagnantis plenariam reſolutionem; qua nimirum peracta, inflammatio prorſus evaneſcit, & pars affecta priſtinæ integritati ſuæ reſtituitur.

II. Per ſuppurationem, ſive inflammationis tranſitum in apoſtema.

III. Per ſcirrhum.

IV. Per gangrænam & ſphacelum.

§. CCCCXV.

Inflammationis ſolutio per diſcuſſionem requirit, ut particulæ ſanguinis reſtagnantis mobilitate quadam adhuc gaudeant (§. anteced.)

§. CCCCXVI.

Inflammationis vero tranſitus in abſceſſum ſupponit fluidioris portionis ſanguineæ ablationem aliquam, craſſiore relicta ad geneſin puris per fermentationem (§. CCVII.)

§. CCCCXVII.

Quod porro ad inflammationis ſolutionem per ſcirrhum attinet; neceſſe tunc erit, ut fluidiore

portione ſanguinis fere prorſus ablata, ejus partes magis craſſæ & terreæ relinquantur, ad ſuppuraſcendum inertes, atque ſcirrhi (§. CCX.) materiam conſtituentes.

§. CCCCXVIII.

Vaſa non admodum debilitata ſolum, ſed jam fere ſoluta adſint, oportebit; inflammatione ad gangrænam perducta (§. CXVI). Sed a gangræna proximus eſt lapſus in ſphacelum; ubi ſanguinis putrefactione vaſa, & quid cum illis cohærebat, in locis inflammatis plenarie deſtruuntur (§. CXVIII.)

§. CCCCXIX.

Extra omne dubium poſitum eſt, eam inflammationis ſolutionem bonitate præ reliquis præſtantiſſimam eſſe, qua parti affectæ priſtina integritas ſua mox, & ſine novi in eadem morbi productione reſtituitur. Hinc aliæ inflammationis ſolutiones, præter modo indicatam, bonitate ſua inferiores erunt. Circa inflammationis itaque ſolutiones adeo runt bonitatis gradus, ſequentem in modum conſtituendi. Ea nimirum inflammationis ſolutio, quæ fit per diſcuſſionem, omnium optima dici poterit; quæ vero tranſitu in apoſtema abſolvitur, bona quidem, priore tamen inferior erit; quæ per ſcirrhum fit, proxime antecedente adhuc pejor erit; quæ tandem gangræna & ſphacelo perficitur, pro peſſima inter quaſcumque alias ideo habenda eſt, quia parti affectæ plenariam deſtructionem & vitæ interitum minatur.

§. CCCCXX.

§. CCCCXX.

Ad ſigna pathognomica ſufficientia inflammationis pertinebunt, dolor ardens, de quo æger in parte certa corporis conqueritur; cuticula cærulei coloris, quæ ex urina ægrotantis, præſente imprimis motuum febrilium augmento, ad vitri latera, teſte obſervatione, naſcitur; rubor denique inſolitus, quem videre licet in parte externa inflammata. Inflammationis vero, ad gangrænam, vel ſphacelum perductæ, ſigna ſufficientia tibi ſuppeditabunt §§. CCCCXII. & CCCCXIII.

§. CCCCXXI.

Signorum tandem prognoſticorum inflammationis cognitio innititur in caſu obvio tam partis affectæ indoli, quam etiam morbi magnitudini. Quare tibi hic jam facem quaſi præferre poterunt propoſita in §§. CCCCXII. CCCCXIII. & CCCCXIX.

CAPUT VIII.

DE

VULNERIBUS IN GENERE.

§. CCCCXXII.

Circa vulnus (§. CXCVII), quod parti cuidam, non ita capacibus arteriis præditæ, infligitur, ſequentia phænomena occurrere obſervantur.

I. Labia vulneris, ejus quoque caussa externa remota, a se invicem magis resiliunt.

II. Sanguis initio cum impetu fluit, deinde sensim sistitur, & crusta cavo vulneris innascitur.

III. Atque tum liquidum tenue rubellum e vulnere manat.

IV. Labia vulneris inflammantur.

V. Tum dolor increscit, & febris ingruit.

VI. Interim liquidum tenax, flavescentis coloris, pus scilicet nascitur. Et tunc evanidum fit phænomenon ad numerum præcedentem.

VII. Tandem vulnus a fundo sursum, & ab ambitu versus centrum increscit, coit margo, vulnus exsiccatur, cicatrice relicta.

§. CCCCXXIII.

Ob solutionem vasorum sanguineorum in parte vulnerata hæmorrhagia vulneris necessaria erit (§. CLXXXII.)

§. CCCCXXIV.

Fibræ vasorum elasticæ sunt, quæ jam solutæ resilire debent, vulnere parti inducto. Hinc efficitur, ut fibrarum finibus ad axin vergentibus, vasorum diameter angustior reddatur. Unde tandem hæmorrhagia, quæ sub initio cum impetu aderat, cessabit, & loco sanguinis serum magis e vulnere effluet. Ex quibus jam constabit de ratione phænomenorum, descriptorum ad §. CCCCXXII. *numer.* II. & III.

§. CCCCXXV.

Ob caussam inflammationis necessariam, quæ a vasorum sanguineorum conditione in parte vulnerata proficiscitur, necessaria quoque erit inflammatio ipsa. Hinc effectus inflammationis necessarii, ut dolor, febris. Unde jam ratio liquida erit phænomenorum indicatorum in §. CCCCXXII. *numer.* V.

§. CCCCXXVI.

Inflammatio partis vulneratæ est caussa doloris & motuum febrilium (§. ant.). Hinc effectus isti cessare debent, suppuratione suborta; quippe qua inflammatio solvitur (§. CCCCXIV.). Unde satis aperta erit ratio phænomeni annotatati in §. CCCCXXII. *numer.* VI.

§. CCCCXXVII.

Cessante inflammatione, cessant quoque distensiones vasorum sanguineorum. Quare tunc fibræ partis vulneratæ propius ad se invicem accedent. En rationem consolidationis necessariam (§. CCCCXXII. *num.* VII.)!

§. CCCCXXVIII.

Vulnera partium externarum dignosci possunt ex solo adspectu; ad casum rite applicata definitione vulneris (§. CXCVII.). Vulnerum vero internorum signa pathognomica sufficientia ex symptomatibus & caussis, præcipue externis validioribus admissis, eruenda erunt.

§. CCCCXXIX.

Prognosis vulnerum maxime dependebit a cognitione qualitatis partium vulneratarum, & magnitudinis tam vulnerum, quam etiam inflammationis, iisdem supervenientis.

Clarius hæc patebunt ex exemplis, quæ in prælectionibus excitabuntur.

CAPUT IX.

DE ULCERIBUS IN GENERE.

§. CCCCXXX.

ULcera (§. CXCVIII.) in partibus magis exsanguibus nascuntur; non exclusis hic quoque aliis partibus, quarum solutiones insequi poterunt mutationes, ut exsanguibus æquipolleant (§. CCII.)

§. CCCCXXXI.

Pus, in abscessu diu detentum, acredinem concipere potest (§. CCVIII.)

§. CCCCXXXII.

Si fibræ laxæ, vel constrictæ ad labia ulceris fuerint, tunc facile generabitur ulcus callosum (§. CCIII.)

§. CCCCXXXIII.

Quod ſi materiæ ulceroſæ ejuſmodi quid admixtum fuerit, de quo conſtitit, quod illud præ reliquis compos ſit fermentationis & putrefactionis, ſive vi quadam fermenti polleat; conſequens tunc erit; acceſſione ejuſmodi maſſæ ad materiam ulceroſam; hanc magis corrumpi; & acriorem fieri.

§. CCCCXXXIV.

Ex copioſa igitur affuſione liquidi ſalivalis, vel ſanguinis ad materiam ulceroſam, hujus acrimonia magis augeri, & ulcus in pejus ruere poterit (§. anteced.)

§. CCCCXXXV.

Quo magis æger cacochymicus eſt, eo magis ulcera acria fieri poterunt, quæ in illius corpore generantur (§. CXCIII.)

§. CCCCXXXVI.

Ulcera qualificata facillime fieri poſſunt & ſinuoſa, & fiſtuloſa (§§. CC. & CCI.)

Singulæ propoſitiones §§. antec. confirmat experientia. Hac enim præceptrice conſtat, abſceſſus ſero apertos in ulcera peſſimi moris degenerare; applicationem nimis frequentem pinguium, adeoque relaxantium, & remediorum ſtypticorum, hinc fibras conſtringentium, ſequi callos ulcerum; ulcera, in cavitatem oris hiantia, difficillimæ eſſe curationis; & quæ in locis ſuboriuntur, ad quæ ſanguinis aditus facilis eſt, acerrimam concipere materiam, ut exemplo eſſe poteſt cancer; venereis, ſcorbuticis, cachecticis ulcera aboriri

pessimi moris ; tandemque ulcera cacochymicorum sæpius esse sinuosa & fistulosa.

§. CCCCXXXVII.

Ulcera, pro conditione partium affectarum plus minusve dolent, ita tamen, ut iste doloris gradus mox remittat, mox intendatur; prout nimirum materiæ ulcerosæ acrimonia fuerit, hinc ejus modo majores, modo minores arrosiones; nec non pro ratione inflammationis ulceribus tunc supervenientis, qua non exigue depravationes locis exulceratis inducuntur (§. CCCCXXXIV.)

§. CCCCXXXVIII.

Ulcerum externorum signa pathognomica sufficientia satis clare intelliguntur ex definitionis (§. CXCVIII.) recta applicatione ad casum. Quod vero ad ulcerum internorum diagnosin attinet ; hanc deducere licebit ex causarum admissarum conditione, symptomatibus, atque omnium maxime ex motuum febrilium peculiari illa indole, quæ febri lentæ propria esse solet ; de quo argumento specialiora loco suo exstabunt.

§. CCCCXXXIX.

Ulcerum prognosis eruenda erit ex consideratione locorum affectorum & morbi magnitudine.

CAPUT X.
DE
SCIRRHIS IN GENERE ET IN SPECIE DE CANCRO TAM OCCULTO QUAM APERTO.

§. CCCCXL.

POsito ſcirrho (§. CCX.) in parte quadam; poni ſimul debent congeſtiones ad partem affectam æque, ac alias partes, quæ adhuc a ſcirrho immunes ſunt (§. CLXXVI.)

§. CCCCXLI.

In ſcirrhis adeoque congeſtionum ſymptomata ſimul adſint, oportet (§. anteced.)

§. CCCCXLII.

Subjecta ad ſcirrhos præ reliquis proclivia eſſe debent, quæ congeſtionibus (§. CLXXV.), vaſorum conſtrictionibus (§. XCII.), obſtructionibus (XCIX.), tandemque dyſcraſiæ humorum (§. CXCIII.) ſunt obnoxia.

Quod apprime confirmat experientia. Victu enim craſſo utentes ſcirrhis ſubjiciuntur; importata illorum corpori humorum dyſcraſia. Familiares porro ſunt ſcirrhi hypochondriacis & hyſtericis, quibus hæmorrhagiæ ſubito ſupprimuntur; nam hic neceſſariæ ſunt congeſtiones ſanguinis verſus alias partes, obſtructiones vaſorum. Obſtruuntur etiam vaſa feminis, quibus lac in mammis coagulatur; ſed hæc etiam ſcirrhos per-

ſæpe patiuntur. Quotieſcumque ſcirrhi oboriuntur hominibus, admiſſo adſtringentium abuſu!

§. CCCCXLIII.

Cancer (§. CCXII.) non niſi in locis glanduloſis, aut etiam illis generatur, quæ ratione pluralitatis vaſorum lymphatico-ſeroſorum cum prioribus conveniunt.

§. CCCCXLIV.

In cancro inflammatio quædam adeſſe debet (§§. CXVI et CCXII.).

§. CCCCXLV.

Pars cancro affecta dolore ex inflammatione & arroſione compoſito torqueatur, oportet (§. ant.)

His quoque eſſe conſona deprehenditur experientia. Ejuſmodi enim ſcirrhi ad tactum ſæpe calidiſſimi ſunt; æger de roſionis continuo ſenſu conqueritur. Exemplo hic ſint feminæ, quibus cancer ad mammas oboritur.

§. CCCCXLVI.

Congeſtiones, ad cancrum occultum provocatæ, hunc & augent, & efficiunt, ut ille eo citius degeneret in apertum (§§. CCXII. et CCCCXLII.)

§. CCCXLVII.

Ex §. anteced. intelligere jam licet, quare emollientia, improvide applicata, orgaſmi humorum, ex cancro occulto facile apertum faciant? Et

tur jam veteres medici cancrum occultum vocaverint, *noli me tangere*?

§. CCCCXLVIII.

Materia, quæ e cancro aperto promanat, esse solet modo crassioris, modo tenuioris consistentiæ; fœtoris abominabilis quidem, ad sensum tamen multum differentis per intervalla. Ad indolem hujus materiæ magis introspiciendam, sine dubio aliquid facient experimenta sequentia. Admoto nimirum acido vitriolico volatili ad materiam ulceris cancrosi, ita, ut hujus materiæ exhalationes se cum acidi exhalationibus in aëre contingere possint, fumus tunc aliquis suboriri deprehenditur. Quod vero alio tempore non fit; licet idem experimentum cum materia cancri, ex eodem ægro desumpta, capiatur. Sed jam substitue acido vitriolico volatili spiritum salis ammoniaci, aut alium urinosum; servato quoad reliqua modo eodem procedendi: videbis tunc iterum fumum illum nasci, ut in experimento priore. Voluerunt etiam alii effervescentiam aliquam notabilem vidisse, subortam ex materiæ cancrosæ facta commixtione cum terris absorbentibus. Alio etiam tempore contingit, ut neque ab acidi vitriolici, neque ab alcali volatilis admotione ad materiam cancri, fumus quidam concitetur. Verum enim vero subjecta eadem materia cum calce viva urinosum extorquetur, quod & nares statim afficit, & visui se distincte prodit fumi productione, per acidi vitriolici volatilis supra indicatam applicationem.

§. CCCCXLIX.

In cancro itaque fluidum lymphatico-seroso-sanguineum veram putredinem concepit, eamque chronicæ indolis [§. anteced.]

§. CCCCL.

Constat jam ex §. antec. ratio, cur cancer apertus nonnullis quoque dicatur *sphacelus chronicus*?

§. CCCCLI.

Quoniam experimenta, in §. CCCCXLVIII. descripta, satis aperte docent, materiam ulceris cancrosi non omni tempore unam eamdemque salis speciem in se continere, sed in eadem mox acidum, mox alcali volatile, mox etiam salem ammoniacum latere: consequens omnino erit, putrefactionem in cancro adesse quidem chronicam, diversam tamen per intervalla ratione gradus & effectuum productorum in mixto.

§. CCCCLII.

Unde patet, statum ulceris cancrosi ratione qualitatum materiæ ulcerosæ non eumdem semper perdurare, sed continuo mutari (§. anteced.).

§. CCCCLIII.

Si cancer, sive ille occultus, sive jam apertus fuerit, in locis, ubi magna vasa sanguinea sita sunt, oriatur, tum lethales hæmorrhagiæ haud difficulter subsequi poterunt.

Quod multoties tristis confirmavit experientia?

§. CCCCLIV.

Scirrhi, in partibus externis nati, rite applicata definitione, ſolo tactu dignoſci poſſunt. Quod etiam de ſcirrhis valebit, in partibus internis obortis, ubi nulla adfuerit reſiſtentia in vim tangentem. Quando vero caſus obtinuit, ubi hæc ſigna locum non habent; tunc animadvertenda erunt ea, quæ exhibentur in §§. CCCCXL - CCCCXLII. Specialiora adhuc ad ſcirrhorum internorum diagnoſin infra obvenient.

§. CCCCLV.

Ratione prognoſis ſcirrhorum in genere notare conveniet, quod, quando adhuc recentes fuerint, quandoquidem a febre reſolvantur. Sed quando jam materia ſcirrhi cum parietibus vaſorum, aut membranis aliis concrevit; morbus tunc continuo perſeverabit; niſi forte per lentam ſuppurationem e medio tollatur. Solet vero inflammationis acceſſio ad ſcirrhos, ſi præſertim inveterati fuerint, eoſdem in ulcus pravæ indolis convertere. Auctis denique congeſtionibus ad loca affecta, præter mala alia, ſcirrhi majora incrementa fient.

§. CCCCLVI.

Signa in ſpecie cancri occulti pathognomica ſufficientia erunt, præter ſigna ſcirrhi in genere [§. CCCCLIV.], locorum affectorum conditiones [§. CCCCXLIII.]; ſenſus doloris rodentis continuus, ejuſque ab interveniente inflammatione frequens exacerbatio [§. CCCCXLV.]; tandemque ſtriarum rubrarum vel lividarum in ſcirrhi ſuperficie externa temporariæ productiones [§. CCCCXLIV.]

Cancri vero aperti diagnosis ex ejus definitione [§. CCXII.] facile constare poterit.

§. CCCCLVII.

Ad prognosin cancri tam occulti, quam aperti quod spectat; conveniet hic in genere ea quoque transferre, quæ jam prostant in §§. CCCCXXXIX & CCCCLIII. Tantum vero abest, ut ob pravitatem materiæ cancrosæ natura morbum subigat, quidquid illa etiam moliatur, ut potius tandem succumbere cogatur.

CAPUT XI.

DE CARIE OSSIUM ET SPINA VENTOSA GENERATIM.

§. CCCCLVIII.

Ossa, quibus jam caries [§. XLVI.] inest, mollia, inæqualia, friabilia, grysei, immo nigricantis coloris esse, & materiam putridam fundere debent.

§. CCCCLIX.

Caries in ossibus quibuscumque incipiens, & consummata in osse, præsertim cavo, magno dolore stipata sit, oportebit.

§. CCCCLX.

Os cariosum & partes eidem superstratæ tumefieri poterunt [§. CCCCLVIII.]

§. CCCCLXI.

Fieri adeoque poterit, ut ulcera generentur in partibus quoque a puncto ossis cariosi remotis (§. anteced.)

§. CCCCLXII.

Pro ratione & qualitate partium, in carie ossium simul affectarum, necessarii erunt motus febriles (CCXXXVIII.)

§. CCCCLXIII.

Caries ossium in subjectis cacochymicis symptomatibus majoris gradus stipata esse debet [§.CXCIII.]

§. CCCCLXIV.

In spina ventosa [XLVIII.] omnia symptomata ossis putridi in eminentiore gradu compareant, oportet; & quod præcipue ad dolorem attinet, ille multo acerbior esse debet in spina ventosa, vertebris spinæ præsertim affectis, quam in ulla alia ossis carie.

Singulis istis propositionibus applaudit experientia. Inæqualitas enim, mollities, nec non dolor descriptus ossis cariosi, una cum ejus colore, tandemque materia putrescens, quæ inde emanat (§. CCCCLVIII.), sensibus percipiuntur. Atque ita se res quoque habet cum tumore (§. CCCCLX.). Initio morbi & tandem post longa temporis intervalla de gravioribus doloribus æger conqueritur (§. CCCCLIX.) Dolent porro Chirurgi de difficultate detegendi cariem (§. CCCCLXI.). Quam difficulter tandem caries venerea, vel scorbutica sanetur, satis superque constat (§.

CCCCLXIII.). Ad majorem tandem gradum hæc mala offis putrefacti adeffe in fpina ventofa, per vulgus fere notum eft.

§. CCCCLXV.

Signa pathognomica fufficientia cariei offium effe poffunt, quæ ad §. CCCCLVIII. proponuntur; fi nempe offa affecta vifu, vel tactu explorare liceat. In cafu autem contrario, figna pathognomica fufficientia cariei offis ex fymptomatibus & conditionibus cauffarum putrefactionis defumenda erunt. Quod etiam de fignis fpinæ ventofæ notetur, oportebit.

§. CCCCLXVI.

Prognofis cariei offium & fpinæ ventofæ ex morbi magnitudine & locorum affectorum indole derivetur, neceffe erit. Maxime hic habeatur ratio inflammationis & ulcerum, quæ ad loca cariofa hifque vicina provenire folent.

CAPUT XII.

DE FRACTURA ET FISSURA OSSIUM IN GENERE.

§. CCCCLXVII.

IN omni fractura & fiffura offium [§§. LII. & LIII.] adeffe debent dolor, vaforum compreffiones, inflammationes, motus febriles.

§. CCCCLXVIII.

Ex offium fractura & fiffura fimplice compofita, five complicata, facile fieri poteft [§§. LV. & ant.]

§. CCCCLXIX.

Si partes offis fracti vel fiffi fuerint acutæ, tum vafa æque, ac reliquæ partes molles offi fuperftratæ, folvantur, neceffe erit; in quo cafu non folum hæmorrhagiæ, fed & fymptomata, in §. CCCCLXVII. indicata, acerbiora fieri debent.

§. CCCCLXX.

In fracturis membrorum poffibiles erunt eorumdem accurtationes.

§. CCCCLXXI.

In magnis magnorum offium fracturis oboriri poterunt paralyfis [CCLXXI.], atrophia [§. CCLXXVIII.]

§. CCCCLXXII.

Fractis igitur offibus circa articulos, aridura neceffaria erit. [§. anteced.]

§. CCCCLXXIII.

Offium fracturæ & fiffuræ complicatæ vifu ftatim dignofci poterunt; fimplicium vero præfentia ex cauffarum admiffarum vi, atque inæqualitate partis læfæ, ut & fymptomatum conditionibus colligenda erit.

§. CCCCLXXIV.

Si etiam os fractum, ex una parte manu comprehensum, firmiter teneatur; ex altera autem moveatur versus partem, quæ firmiter manu tenetur; tum strepitus quidam exaudiri debet, qui loco signi cujusdam pathognomici sufficientis in fractura ossium simplice habendus erit.

§. CCCCLXXV.

Ad prognosin fracturæ & fissuræ ossium formandam, juvabit probe considerare locorum afflictorum naturam, & morbi ejusque symptomatum quantitatem.

CAPUT XIII.

DE

LUXATIONE OSSIUM GENERALITER.

§. CCCCLXXVI.

SI ossa luxata [§.LVI.] antrorsum magis exciderint; tum membra longitudine increvisse apparebunt. In casu autem luxationis ossium, obortæ magis ad latera, membrum brevius factum esse videbitur.

Quod etiam experientia confirmat; utpote qua teste constat, membra luxata modo breviora, modo longiora apparere.

§. CCCCLXXVII.

§. CCCCLXXVII.

In luxationibus ossium, antrorsum factis, ad partes luxatas fovea quædam circum circa apparere debet. Sed ossa, ad latera tantum luxata, non nisi foveam ibi exhibebunt, unde os secessit, & prominentiam, quorsum illud abiit.

Quod itidem experientiæ consonum est.

§. CCCCLXXVIII.

In quacumque luxatione, sive illa fuerit completa, sive incompleta (§. LVIII.), sive antrorsum, sive ad latera facta, adesse debent dolor, compressio vasorum, tumores inflammatorii, tandemque motus febriles.

Atque id quoque cum experientia convenit.

§. CCCCLXXIX.

Luxationes spinæ dorsi convulsiones (§. CCLXVIII.), membrorum paralyses(§. CCLXXI.), contracturæ (§.CCLXVI.), ariduræ (CCLXXVII.) facillime consequuntur.

Quod frequens probavit experientia.

§. CCCCLXXX.

Signa luxationum pathognomica sufficientia latent in §§. CCCCLXXVI & CCCCLXXVII.

§. CCCCLXXXI.

Luxationum in genere prognosis considerationi naturæ locorum affectorum & symptomatum superstruenda erit.

CAPUT XIV.

DE SPASMO IN GENERE.

§. CCCCLXXXII.

Constans docet experientia, ſpaſmis (§.LXXXIII) non niſi illa ſubjecta fieri obnoxia, in quibus ſequentes conditiones obtinent.

I. Quæ plethora, ſpiſſitudine humorum & cacochymia laborant.

II. Quæ excretionum ſuppreſſionem æque, ac exacerbationem patiuntur.

III. Quæ orgaſmos & congeſtiones humorum admittunt.

IV. Quæ compreſſiones & extenſiones partium ſibi frequentes eſſe ſinunt.

V. Quibus profundæ partium ſolutiones, vaſorum & viſcerum diſtenſiones & obſtructiones oboriuntur.

VI. Quæ cum corporibus arſenicalibus frequentes operationes ſuſcipiunt.

VII. Quæ ætatis magis ſunt provectæ.

VIII. Sexus tandem ſequior frequentius poſteriore ſpaſmis obtemperare cogitur.

§. CCCCLXXXIII.

Attendenti porro ad ægrotantes ex ſpaſmis obſervare licebit, varia ibidem oboriri phænomena,

ægrosque tunc de variis incommodis conqueri. Quorsum imprimis pertinebunt.

I. Dolor, isque modo pulsatilis, modo urens, modo lancinans, modo tendens, modo gravitans.

II. Æstus volatilis, vel qui etiam in uno tantum corporis loco percipitur.

III. Nimia sensibilitas contra frigus & calorem, ad corpus externe admissum.

IV. Ea porro esse solet spasmorum ratio, ut a meridie & circa vesperam magis exacerbari, horis vero matutinis a vehementia sua remittere videantur.

V. Excretionibus tandem moderate subsequentibus, præsertim transpiratione oborta, spasmi salutariter solvi observantur.

VI. Quodsi vero excretiones naturales nimis retardentur, aut plane deficiant; fieri tunc solet, ut vel contracturæ producantur; vel loca affecta rigiditatem contrahant; vel inflammationes concitentur; vel spasmus in paralysin, aut morbum aliquem visceris transeat.

§. CCCCLXXXIV.

Singulis illis determinationibus, quæ ad subjecta pertinent, in quibus, teste observatione, spasmi oboriri solent (§. CCCCLXXXII.), rite consideratis; non poterit non satis aperte constare, oriri inde posse caussam proximam spasmi (§. LXXXIV). Ad cujus itaque productionem modo

indicatæ conditiones concurrunt, inſtar cauſſarum efficientium ſufficientium morbi.

Quod copioſe dabitur evictum in prælectionibus.

§. CCCCLXXXV.

Patet itaque ratio (§§. anteced. & CCCCLXXXII. *numer.* II.), cur ſuppreſſiones hæmorrhagiarum naturalium, & artificialium intermiſſiones, nec non ſudoris ſufflaminationes ſpaſmi ſequantur? Cur opifices, in aquis frigidis operantes, ſpaſmis afficiantur? Porro, quare nimias hæmorrhagias, diarrhæas, ſudationes excedentes ſpaſmi excipiant? Quæ omnia cum obſervatis conveniunt.

§. CCCCLXXXVI.

Liquidum etiam eſſe poterit ex §§. CCCCLXXXIV & CCCCLXXXII. *numer.* III, cur nimirum Veneri & Baccho diligenter inſervientes ſpaſmis ſæpius ſubjiciantur? Quod frequentiſſimæ probant obſervationes.

§. CCCCLXXXVII.

Intelligi quoque poterit, cur hominibus, quibus familiaris quaſi eſſe ſolet ille ſitus corporis, ubi ſcilicet pedibus ſibi continuo incumbentibus ſedent, tam facile oboriatur ſpaſmus in ſuris? Cur etiam inde dolorum augmenta in locis affectis percipiant podagrici? Cur porro omnem vim ad onera movenda intendentes in ſpaſmos incidant (§§. CCCCLXXXIV & CCCCLXXXII. *numer.* IV.)?

§. CCCCLXXXVIII.

Neque minus jam patebit, quare sæpius atroces spasmi in conspectum prodire soleant, partibus præcipue sensilibus admodum vulneratis, aut exulceratis? Quare hypochondriaci, hystericæ, & quibus jam viscera læsa sunt, spasmis facile subjiciantur (§§. CCCCLXXXIV & CCCCLXXXII. *numer.* V.)?

§. CCCCLXXXIX.

Cognosci inde etiam potest (§§. CCCCLXXXIV & CCCCLXXXII. *númer.* VI.), quare metallorum operarii, quibus res magis est cum mineris arsenicalibus, cupreis, plumbeis, atrocissimis corripiantur spasmis?

Spasmus, in casu isto productus, una cum varietate effectuum suorum *morbus saturninus*, Germanis *die Hüttenkatze*, dici solet.

§. CCCCXC.

In omni spasmo dolor adesse debet (§§ LXXXIV & CXCVI.), sed diversus, partim ob caussarum, a quibus caussa proxima spasmi producitur, varietatem ratione qualitatis æque, ac quantitatis (§. CCCCLXXXII.); partim ob diversitatem partium, quæ a spasmo affliguntur.

§. CCCCXCI.

☞ Ex §. anteced. constabit jam de varietate illa sensus dolorifici, de quo æger ex spasmo conqueritur (§. CCCCLXXXIII. *numer.* I.]

§. CCCCXCII.

Spasmo in una parte exacerbato, congestiones ad alias partes fieri debent (§§. LXXXIII & CLXXVI.)

§. CCCCXCIII.

Quare ægrotantium ex spasmis adspectus varius fit, oportebit (§§. CCCCV & anteced.); pro ratione nimirum gradus congestionum, & locorum differentia, quorsum illæ magis tendunt.

§. CCCCXCIV.

Fieri etiam poterit, ut spasmi in una parte facta exacerbatione, spasmus in alia parte producatur (§§. CCCCXCII & CCCCLXXXII. *num.* III.)

Quod bene congruit cum observatis; exemplo arthritidis vagæ.

§. CCCCXCV.

Congestionum effectus varii sunt, qui in varias morborum species transire possunt [§§. CCCCIV & sequ.] Hujus originis morbi præ reliquis esse solent, inflammatio, cephalalgia, vertigo, affectus soporosus, suffocatio, colica, paralysis, morbi viscerum varii. Quanta mala a spasmi atrocitate!

§. CCCCXCVI.

Unde jam intelligere poteris [§. anteced.] casum illum, quem sæpius inter arthriticos obortum esse, experientia docuit; unde nimirum fiat, ut ad spasmos membrorum adstringentia applicata di-

riſſimos effectus in viſceribus præſtent, atque ægrum in ſummum vitæ periculum conjiciant?

§. CCCCXCVII.

In omni ſpaſmo præſertim exacerbato, adeſſe debent motus febriles [§§. CCCCXCII & CCCCXCV.]

§. CCCCXCVIII.

Ex §. anteced. perſpicua jam erit ratio æſtus volatilis, vel etiam perſiſtentis in uno loco; nec non nimiæ ſenſibilitatis contra frigus & calorem externum [§. CCCCLXXXIII. *numer.* II & III.]; maxime, quum hic etiam inflammationes adeſſe ſoleant [§. CCCCXCV.]

§. CCCCXCIX.

Motus febriles determinati gradus id efficere valent in corpore, ut maſſa humorum imminuatur, reſolvatur, quod eidem inerat noxium, ejiciatur, obſtructiones reſerentur, fluida æqualiter diſtribuantur, congeſtiones & orgaſmi humorum imminuantur, excretiones naturales modo augeantur, modo imminuantur; quæ ſingula loco ſuo clarius conſtabunt, evincenda ex ipſius febris natura. Vides adeoque rationem, unde ſpaſmorum ſalutaris ſolutio, quam ſponte oboriri experientia docet, derivanda ſit [§§. CCCCXCVII. CCCCLXXXII & CCCCLXXXIII. *numer.* V.]?

§. D.

Sed ex natura quoque ſpaſmi ſequitur, fore, ut ille ſub conditione, ſupra jam propoſita

§. CCCCLXXXIII. *num.* VI.], in morbos, ibidem enarratos, transeat [§§ XVII. XXII. LXXXIII. LXXXIV. CCLXVI. CCLXXI. CCCCXCII & CCCCXCVI].

§. DI.

Signa pathognomica sufficientia spasmi in genere redibunt ad dolorem supra descriptæ indolis [§§. CCCCLXXXIII. *numer.* I.]; ad congestiones, in aliis partibus simul productas [§. CCCCXCII.]; ad pulsum durum [§. CXXXVII.]; quibus adhuc id accedere poterit, quod in locis, a spasmo affectis, vasa alias ibidem conspicua, evanescere debeant.

§. DII.

Signa tandem prognostica spasmi in genere derivanda erunt ex morbi magnitudine; ex quantitate & qualitate caussarum, non neglecta illarum ratione ad ægrum, in quo inde producitur spasmus; ex partis denique natura, a spasmo affectæ. Quapropter sequentes hic jam notandæ erunt propositiones.

I. Quo plures caussæ, ad spasmum in casu obvio producendum, conveniunt; eo major erit morbus.

II. Quo magis indoles caussæ spasmi respondet illi mutationi, in parte aliqua producendæ, quæ instar caussæ proximæ spasmi concipitur [§. LXXXIV.]; eo citius spasmus producetur, productusque major erit.

III. Quo magis ſpaſmi ſymptomata urgent; eo major morbus erit.

IV. Quo nobiliores ſunt partes, quæ ſpaſmo fiunt obnoxiæ; eo periculoſior erit ſtatus ægri.

V. Quo magis debilis æger eſt, aut jam diſpoſitione ad ſpaſmum gaudet, ob ſtatum corporis præteritum; eo major erit ſpaſmus, ſub acceſſione conditionis, deſcriptæ ad *numer.* I. & II.

VI. Quo magis a congeſtionibus, quæ in ſpaſmis oboriri ſolent [§. CCCCXCII.], loca nobiliora corporis affliguntur; & quo magis afflictiones iſtæ urgent; multo majus quoque periculum erit, in quo æger verſatur [§§. CCCCXCV & CCCCXCVI.]

VII. Quo accommodatior erit una vel altera mutatio, a ſpaſmo in corpore producta, ad imminuendam, vel plane tollendam cauſſam, morbi productricem [§. CCCCLXXXII.]; eo certius exſpectari poterit ſpaſmi ſolutio ſalutaris. In caſu vero contrario parum boni præſagire licebit. Hoc igitur loco juvabit, animum ad ea dirigere, quæ jam continentur in §§. CCCCLXXXIII. *num.*VI. CCCCXCIX & D.

CAPUT XV.

DE HEMICRANIA.

§. DIII.

Hemicraniæ [§. CCLXII.] subjecta esse solent, ut experientia testatur.

I. Quæ coryzam, hæmorrhagiam narium frequentem, vel ejus suppressionem patiuntur.

II. Quæ morbos primarum viarum alunt.

III. Quæ retropulsionem crustæ lactæ admittunt.

IV. Quæ sudores capitis reprimunt.

V. Quæ glandulas parotides tumefactas habent, vel exulceratas.

VI. Quæ ophthalmia, vel otalgia laborant.

VII. In quibus illarum conditionum, sub quibus spasmus generatim oboriri potest in corpore, una vel altera locum habet [§. CCCCLXXXII].

§. DIV.

In hemicrania tibi porro sequentia observare licebit.

I. Conqueritur æger de dolore acutissimo ad tempora, qui sub manducando magis exacerbatur.

II. Idem dolor ad lateris affecti collum & brachium sæpius se extendere solet.

III. Comparent non numquam ophthalmia, lippitudo, otalgia.

IV. Præter alias [§. CCCCLXXXIII.] excretiones, hic oboriri ſolent hæmorrhagia narium, phlegmatorrhagia, vomitus, diarrhæa, in maximum ægri emolumentum.

V. Notatu porro dignum eſt, quod morbus iſte haud raro eſſe ſoleat periodicus.

§. DV.

Deſcripta in §. DIII. momenta hujus conditionis ſunt, ut inde hemicraniæ potius, quam alterius ſpeciei ſpaſmi, cauſſa proxima ſuboriatur. Et quod ad generales ſubjectorum ſpaſmi determinationes, hic quoque annotatas [§. cit. *num.* VII.], attinet; neceſſe tunc erit, ut hemicraniæ geneſin inde deducturus rationem habeat diſpoſitionis, vel ex ætate ægri, vel ex ejus ſtatu corporis præterito ſubortæ, ad hanc magis, quam aliam ſpaſmi ſpeciem, in caſu præſente facilius concipiendam.

Quod hic de ſubjectorum ſpaſmi in genere determinationibus, harumque ratione ad hemicraniam magis, quam ullam aliam ſpaſmi ſpeciem, dicitur; idem etiam principium valebit in capitibus ſequentibus, ubi aliæ ſpaſmi ſpecies conſiderantur. Quantum vero cum obſervationibus hoc principium congruat, id largiter dabitur evictum in prælectionibus.

§. DVI.

Ex §. anteced. elucebit jam ratio, cur ventriculi & inteſtinorum nimiam repletionem hemi-

craniæ majus ſequatur augmentum? Nec non, quare poſt iram conceptam ejuſmodi quid quoque conſequatur? Utrumque obſervationibus bene reſpondet.

§. DVII.

Ex eodem fundamento [§. DV.] intelliges quoque illum caſum, qui ſæpius accidit, quare nimirum ſexus amabilis, conſervandæ augendæque pulchritudini admodum intentus, ob largiorem uſum coſmeticorum, ex adſtringentibus præparatorum, hemicraniæ tam frequenter ſubjiciatur [§. DIII. *numer.* IV.]?

§. DVIII.

Sub conditionis acceſſione ad cauſſas, ſpaſmum generatim determinantes [§. DV.], fieri itaque poterit, ut hæmorrhoidarii, male menſtruatæ, & quibus vitium quoddam in excretionibus naturalibus ſuboritur, hemicrania perſæpe vexentur? Quod cum experientia apprime convenit.

§. DIX.

Cauſſa doloris in hemicrania acutiſſimi latebit in pericranio affecto; cauſſa autem doloris exacerbati inter manducandum non niſi in actione muſculorum temporalium, ad manducandum neceſſariorum, ſita eſſe poterit [§. DIV. *numer.* I.]

§. DX.

Si hemicrania mirum in modum fuerit exacerbata, doloris ad brachium & collum extenſio erit neceſſaria [§. CCCCXCIV.]

§. DXI.

Facilis ideoque pleuritidis ſpuriæ ortus erit in ægrotantibus ex hemicrania [§. anteced.]; id experientia ſæpius probante.

§. DXII.

Unde etiam facile oriri poterunt ophthalmia, otalgia & lippitudo [§§. CCCCXCII. & DX.]

§. DXIII.

Hemicraniæ ſolutionis ſalutaris [§. DIV. *numer.* IV.] ratio liquida quoque eſſe poterit ex §. CCCCXCIV.

§. DXIV.

Inter cauſſas hemicraniæ [§. DIII.] continentur quædam, quæ ſtato quodam tempore invaleſcere ſolent in corpore, exemplo moliminum ad hæmorrhagiam narium, ad fluxum menſtruum in feminis. Hinc hemicraniæ periodicæ [§. DIV. *numer.* V.] ortus explicatu ſæpe facilis erit.

Quæ uberius proferentur in prælectionibus.

§. DXV.

Hemicraniæ ſigna pathognomica ſufficientia ex illius definitione [§. CCLXII.] & prolatis in §. DI. ſatis manifeſta erunt.

§. DXVI.

Ratione prognoſis hemicraniæ, præter fundamenta, quæ jam exſtant in §. DII, ea quoque attendenda erunt, quæ habentur in §. DIV. *num.* IV.

CAPUT XVI.
DE
PLEURITIDE SPURIA.

§. DXVII.

EXperientia conſtat, pleuritidi ſpuriæ [§. CCLXII.], præter ſubjecta, in quibus determinationes, in §. CCCCLXXXII. indicatæ, locum obtinent, illa præſertim fieri obnoxia, quibus congeſtiones ad pectus oboriri, vel concuſſiones, aut contuſiones pectoris accidere ſolent.

§. DXVIII.

Ex obſervatis porro apparet, dolorem in pleuritide ſpuria non perdurare circa os ſterni, ubi initio hunc locum occupavit, ſed ad claviculam, collum, ſcapulam, immo coſtas ſpurias alterutrius, non numquam etiam utriuſque lateris ſe extendere. Iſte dolor magis exacerbatur inter reſpirandum, ſolvique deprehenditur, ſudore producto.

§. DXIX.

Ab expoſitis in §. DXVII. determinationibus ſubjecti pleuritidis ſpuriæ [§. CCLXII.] cauſſa proxima dependet.

§. DXX.

Hinc pleuritis ſpuria juvenibus familiaris erit; ad tuſſes violentas facile accedet; pugilibus atque iis hominibus haud raro oborietur, qui caſum ab

alto conceperunt [§. DXVII.] Quibus etiam observationes annuunt.

§. DXXI.

Ob ſpaſmi exacerbationem fieri poterit, ut etiam pleuritis ſpuria terminos ſuos extendat [§§. CCCCXCIV & DXVIII.]

§. DXXII.

Actio muſculorum pectoralium, intercoſtalium & dorſalium, quæ ad reſpirandum concurrit, cauſſa eſſe debet doloris, ſub reſpiratione exacerbati, in pleuritide ſpuria [§. DXVIII.]

§. DXXIII.

De ratione modi, quo pleuritis ſpuria ſolvitur, conſtabit quoque ex §§. CCCCXCIX. & D.

§. DXXIV.

Signa pleuritidis ſpuriæ pathognomica ſufficientia eſſe poſſunt, quæ exhibentur in §. DI. ſed illorum ope definitionis [§. CCLXII.] rite facta applicatione ad caſum; una cum doloris augmento, inter reſpirandum percepto ab ægrotante [§. DXVIII.]

§. DXXV.

Pleuritidis tandem ſpuriæ prognoſis iiſdem fundamentis ſuperſtruenda erit, quæ jam proſtant in §. DII.

CAPUT XVII.
DE
SPASMO PARACELSI FIXO.

§. DXXVI.

DOcent obſervationes a ſpaſmo Paracelſi fixo [§. CCLXII.], præter ſubjecta, ad §. CCCCLXXXII. deſcripta, illa potiſſimum comprehendi.

I. Quæ nimirum inteſtinorum validas diſtenſiones, aut gravia incommoda ratione hæmorrhoidum & fluxus menſtrui patiuntur.

II. Quæ compreſſiones lumborum externas, diuturnas ſpinæ dorſi incurvationes refrigerationes lumborum admittunt.

III. Quibus calculus in renibus eſt.

IV. Quæ tandem utero gerunt.

§. DXXVII.

Phænomena, quæ in morbo iſto deprehenduntur, ſequentia eſſe ſolent.

I. Senſus frigoris in ſpina dorſi, cum æſtu volatili, dein ſubſequente.

II. Doloris augmentum, quod oboritur, dum ægri inſpirare, vel corpus flectere volunt.

III. Spaſmus veſicæ, ſtranguria.

IV. Urina excernitur initio tenuis, morbo autem miteſcente, ſaturatior.

V. Tranſ-

V. Transire solet spasmus iste vel in lumbaginem, vel in malum ischiadicum, vel etiam in integrum solvitur; si nempe excretiones vel alvi, vel hæmorrhoidum, vel fluxus menstrui subsequuntur, vel partus editur.

§. DXXVIII.

Per ipsam naturam subjectorum, quæ in §. DXXVI. describuntur, necesse erit, ut ab illorum determinationibus producatur caussa proxima spasmi Paracelsi fixi (§. CCLXII.)

§. DXXIX.

Unde patet ratio, quare in flatulentia spasmus iste sæpius adsit; & quare etiam hypochondriacis & hystericis familiaris esse soleat (§. anteced.)?

§. DXXX.

Sensus frigoris in spina dorsi & æstus volatilis (§. DXXVII. *numer.* I.) caussæ intelliguntur ex §. CCCCXCVIII.

§. DXXXI.

Actio musculorum lumbarium, ad respirandum & corpus flectendum necessaria, caussa esse debet doloris tunc aucti (§. DXXVII. *numer.* II.)

§. DXXXII.

Quare etiam spasmi vesicæ, stranguria in spasmo Paracelsi fixo adsint; id quoque cognosci poterit ex §. CCCCXCIV.

M

§. DXXXIII.

Urina tenuis, initio morbi excreta (§. DXXVII. *numer.* IV.), a constrictione, vel etiam a compressione renum, sub spasmo Paracelsi fixo necessaria, dependet.

§. DXXXIV.

Unde spasmus Paracelsi fixus in malum ischiadicum, lumbaginem transeat; vel etiam sanitati convenientius solvatur, excretionibus scilicet subsequentibus: hujus quoque rei ratio intelligi poterit ex §§. CCCCXCIV & CCCCXCIX.

§. DXXXV.

Signa pathognomica sufficientia spasmi Paracelsi fixi satis manifesta erunt ex illius definitione (§. CCLXII.) & dictis in §. DI.

§. DXXXVI.

Signa prognostica ejusdem spasmi per rectam applicationem prolatorum in §§. DII & DXXVII. *numer.* IV & V. constabunt.

CAPUT XVIII.
DE
LUMBAGINE.

§. DXXXVII.

LUmbagini (§. CCLXII.), inter alia (§. CCCCLXXXII.), hæc præsertim subjecta fieri obnoxia, ex observationibus constat.

I. Quæ ſcilicet ſpaſmis ad hæmorrhoides & fluxum menſtruum frequenter infeſtantur.

II. Quæ equitationibus diuturnis corpus nimium & frequenter exercent.

III. Feminæ, partum difficilem expartæ, & varicibus obnoxiæ.

§. DXXXVIII.

Obſervatur morbus iſte connexus quidem eſſe cum malo iſchiadico, ſpaſmo Paracelſi fixo, gonagra, ſed etiam ſolvi in morem aliorum ſpaſmorum.

§. DXXXIX.

Expoſitæ in §. DXXXVII. determinationes ſubjecti productioni cauſſæ proximæ lumbaginis (§. CCLXII.) admodum favent.

§. DXL.

Quare lumbago cum gonagra, malo iſchiadico, ſpaſmo Paracelſi fixo connectatur; nec non cur ad modum aliorum ſpaſmorum ſolvatur, id intelligere licebit ex §§. CCCCXCIV & CCCCXCIX.

§. DXLI.

Signa pathognomica ſufficientia lumbaginis tibi illius definitio (§. CCLXII.) & dicta in §. DI. ſuppeditabunt.

§. DXLII.

Prognoſis vero lumbaginis ab iiſdem principiis, propoſitis jam in §. DII, dependebit; illorum applicatione ad caſum convenienter facta.

CAPUT XIX.

DE MALO ISCHIADICO.

§. DXLIII.

Malo ischiadico (§. CCLXI.) obtemperare coguntur subjecta, in quibus, præter determinationes, in §. CCCCLXXXII. recensitas, sequentes adhuc locum habent.

I. Violentæ nimirum pedum concussiones, illorumque sudores suppressi.

II. Morbi hæmorrhoidales, vehementia spasmorum & flatulentiæ stipati.

III. Feminis denique hystericis, atque in cælibatu viventibus, morbus iste frequenter accidere observatur.

§. DXLIV.

Mali ischiadici symptomata, prout observatio docet, sequentia esse solent.

I. Dolor acutissimus ad coxas, qui magis exacerbatur sub motu.

II. Iste dolor se latius extendit, eidemque accedunt spasmus Paracelsi fixus, lumbago, gonagra, immo etiam podagra.

III. Morbus diu durans ariduram partis post se trahit.

IV. Hæmorrhoidum vel menſium fluxu ſuperveniente, morbus lenitur, immo etiam plane ſolvitur.

§. DXLV.

Recenſitæ in §. DXLIII. ſubjectorum determinationes cauſſam proximam mali iſchiadici (§. CCLXI.) corpori ingenerare poſſunt.

§. DXLVI.

Cauſſa doloris exacerbati in malo iſchiadico ſub motu pedis (§. DXLIV. *numer.* I.) latebit in actione muſculorum, ad hunc motum præſtandum neceſſaria.

§. DXLVII.

Ratio doloris extenſi in morbo iſchiadico intelligenda erit ex §. CCCCXCIV.

§. DXLVIII.

In malo iſchiadico vaſorum lymphaticorum ad regionem lumbarem compreſſio, immo etiam eorumdem concreſcentia poſſibilis erit.

§. DXLIX.

Ob quam cauſſam aridura hic quoque poſſibilis erit (§§. CCLXXVII & CCLXXVIII.)

§. DL.

Per malum iſchiadicum partium internarum læſiones fieri poſſunt (§§. CCCCXCII. CCCCXCV. DXLVIII & DXLIV. *numer.* I.)

§. DLI.

Hinc etiam corpori tabes facile induci poterit (§. anteced.)

§. DLII.

De ratione salutaris solutionis mali ischiadici (§. DXLIV. *numer.* IV.) satis quoque constare poterit ex §. CCCCXCIX.

§. DLIII.

Signa pathognomica sufficientia mali ischiadici ex ejus definitione (§. CCLXI.) & dictis in §. DI satis clare apparebunt.

§. DLIV.

Ad morbi vero prognosin recte formandam sufficient principia supra jam evicta (§. DII.); hi simul in considerationem vocatis, quæ proponuntur in §§. DXLIX & DLI.

CAPUT XX.

DE

CHIRAGRA GONAGRA ET PODAGRA.

§. DLV.

HUic morbo (§. CCLXI.) plerumque pater subjecta conditionis sequentis.

I. Quæ in provectiore ætate versantur, in quibus vero determinationes, in §. CCCCLXXXI enarratæ, locum habent.

II. Sed arthritidi juniores, immo etiam infantes a ſudoribus pedum ſuppreſſis, ſcabie retropulſa, apoſtaſi febrili ad artus ſubmittuntur.

§. DLVI.

In podagricis (§. CCLXI.) phænomena ſequentia ſenſibus apparere ſolent.

I. Deprehenditur ſcilicet vaſorum, per crura excurrentium, inflatio.

II. Huic jungitur gravitas, laſſitudo totius corporis.

III Concurrunt horripilationes, cum æſtu volatili illas ſequente.

IV. Ingruit ipſe dolor circa veſperam, augetur ad mediam noctem, dein decreſcit.

V. Dolor iſte non modo pedem ſtricte dictum occupat, ſed & ad tibiam, immo femur excurrit.

VI. Somnus fere nullus adeſt, vel adeſt inquietus.

VII. Appetitus plerumque deficit.

VIII. Concurrunt colica, flatulentia, ſpaſmus paracelſi fixus, malum iſchiadicum, lumbago; paroxyſmo præſertim ſupra modum increſcente.

IX. Durat podagræ afflictio, ſub temporaria remiſſione, per plures hebdomades.

X. Non nullis erumpunt ſudores univerſales, vel pes tantum ſudat, & epidermis inſtar furfurum ſecedit, vel veſiculæ, vel tubercula, vel

M 4

tophi generantur, in quibus materia calcaria continetur. Atque tum morbus a vehementia sua remittere, vel etiam prorsus evanescere observatur.

XI. Podagra morbus plerumque periodicus esse observatur, circa æquinoctia rediens; non numquam etiam malignus.

XII. Gonagra & chiragra (§. CCLXI.) eodem modo, ut podagra, incedere solent.

XIII. Hoc tandem ex observatis notari meretur, ut omnem arthritidem, ita præsertim podagram, gonagram, chiragram cum calculo connecti.

§. DLVII.

Sub conditione descriptarum in §. DLV. determinationum subjecti, chiragræ, gonagræ & podagræ (§. CCLXI.) caussa proxima facile oriri poterit.

§. DLVIII.

Gravitatis & lassitudinis corporis, quam podagrici sentiunt (§. DLVI. *numer.* II.), caussa redibit ad congestiones pedes versus (§. *cit. num.* I.), & spasmos aliarum quoque partium hic concurrentes (§§. CCCCXCIV & DLVI. *numer.* V & VIII.)

§. DLIX.

Motuum febrilium, quos hic magis auctos esse oportebit, ob locorum affectorum sensilitatem, caussa constabit ex §. CCCCXCVII.

§. DLX.

Somni deficientis cauſſa eſſe debet dolor acerbiſſimus una cum ſpaſmo, quo aliæ partes hic ſimul affici ſolent [§. DLVI. *numer.* VIII.]

§. DLXI.

De flatulentiæ & colicæ origine in affectibus arthriticis [§. DLVI. *numer.* VIII.] te quoque edocebunt ſupra jam propoſita [§§. CCCCXCIV & CCCCXCV.]

§. DLXII.

Nonne etiam inde [§. anteced.] derivari poterit appetitus defectus [§. DLVI. *numer.* VII.] ?

§. DLXIII.

Quare ſpaſmus Paracelſi fixus, malum iſchiadicum & lumbago podagræ accedere ſoleant [§. DLVI. *num.* VIII.] : id jam intelligere licebit ex §. CCCCXCIV.

§. DLXIV.

Solutionis podagræ ratio per ſudorem univerſalem, vel etiam particularem [§. DLVI. *numer.* X.] liquida eſſe poterit ex §. CCCCXCIV.

§. DLXV.

Seceſſio epidermidis in locis a podagra affectis a ſudoris acrimonia dependebit, quæ ibidem vel generatur, vel jam corpori ineſſe poterit; ob ejus ſtatum cacochymicum.

§. DLXVI.

Forſitan inde quoque (§. anteced.) petenda erit ratio podagræ malignæ (DLVI. *numer.* XI.)?

§. DLXVII.

Generatio tophorum in podagra dependet a terræ ex fluido lymphatico-ſeroſo præcipitatione. Tubercula vero & veſiculas a ſtaſi ejuſdem fluidi, ſuborta in locis affectis, aut illorum vicinitate, derivare licebit (§. DLVI. *numer.* X.)

§. DLXVIII.

Quum teſte experientia, circa æquinoctia morbi ex ſtaſibus, obſtructione & congeſtione oriri ſoleant: patet, cur tunc quoque arthritides redeant (DLVI. *numer.* XI.)?

§. DLXIX.

Quare porro podagra, chiragra & gonagra diriſſimos edant effectus, ſi repellantur; id cognoſci poterit ex §§. CCCCXCII-CCCCXCVI. Anne etiam ab efficacia congeſtionum, quæ hic facile renes verſus fieri poſſunt, ratio nexus illius petenda erit, qui arthritidem & calculum interdum intercedere ſolet (§. DLVI. *numer.* XIII.)?

§. DLXX.

Signa pathognomica ſufficientia podagræ, chiragræ, gonagræ ex indole doloris, circa articulos partium, hoc morbo affectarum (§. CCLXI.), oborti [§. DI.], æſtimanda erunt; non poſtponendis ſignis aliis ſpaſmi [§. citat.]

§. DLXXI.

Ad prognosin vero in affectibus arthriticis rite formandam conducet principiorum [§. DII.] conveniens applicatio. Præsertim hic ea consideranda erunt, quæ ad §. citat. *numer*. III. VI. & VII. nec non ad §. DLVI. *numer*. X. prostant.

CAPUT XXI.

DE ASTHMATE SPASTICO SEU CONVULSIVO.

§. DLXXII.

PRæter subjecta, ad §. CCCCLXXXII. determinata, præsertim asthmati convulsivo [§. CCLXV] obnoxia fiunt, quibus conditiones sequentes insunt.

I. Quæ nimirum congestionibus humorum ad pectus exponuntur.

II. Quæ scarificationes adsuetas ad pectus negligunt.

III. Quibus flatulentia pertinax, constrictiones & distensiones viscerum abdominalium aboriuntur.

§. DLXXIII.

Phænomena morbi hujus, quæ sensibus facile patent, erunt sequentia.

I. Torpor & extrema laſſitudo corporis.

II. In thorace & circa ſcapulas ſentitur compreſſio quædam, ita, ut quo facilior eſſe videatur expiratio ægrotantis, eo difficilior inſpiratio.

III. Adſunt palpitationes cordis.

IV. Vaſa circa tempora turgent.

V. Adſpectus faciei inæqualiter rubicundus apparet.

VI. Vertiginis & dyſpnœæ incommoda obſervantur.

VII. Tandem docuit quoque obſervatio, aſthmatis ſpaſtici ſalutarem ſolutionem ſubortam fuiſſe poſt alvi excretiones, vel fluxum hæmorrhoidum & menſium.

§. DLXXIV.

Indicatæ in §. DLXXII. conditiones ſubjectorum ſatis reſpondent productioni cauſſæ proximæ aſthmatis convulſivi [CCLXV.]

§. DLXXV.

Ex §. itaque anteced. facile conſtabit ratio, quare nimirum hypochondriaci, hiſtericæ, hæmorrhoidarii, male menſtruatæ præ reliquis aſthmati ſpaſtico ſubjici ſoleant? id experientia confirmante.

§. DLXXVI.

Ob conditionem locorum, quæ ſpaſmus occupavit in aſthmate convulſivo [CCLXV], neceſſarius

erit ſenſus ille compreſſionis circa ſcapulas & thoracem (§. DLXXIII. *numer.* II.]

§. DLXXVII.

Hinc etiam neceſſarius erit ortus diſpnœæ & palpitationum cordis (§§. anteced.) CXLIX. CCCCXCIV & DLXXIII. *numer.* III. & VI.)

§. DLXXVIII.

Aſthma convulſivum exacerbatum cauſſa eſſe poteſt congeſtionum ad pectus & loca capitis (§. CCCCXCII.)

§. DLXXIX.

Idcirco fieri poterit (§. anteced.), ut ab aſthmate ſpaſtico pulmonibus varii morbi ſuccedente tempore inducantur; in idem conſentientibus obſervationibus.

§. DLXXX.

Sed inde etiam patebit ratio (§. DLXXVIII.) torporis & laſſitudinis, inflationis circa tempora, inæqualis rubedinis in facie, vertiginis; quippe quæ in corporibus aſthmaticorum deprehenduntur (§. DLXXIII. *numer.* I. IV. V. & VI.]

§. DLXXXI.

Ratio ſalutaris ſolutionis, quæ in aſthmate convulſivo oboriri ſolet (§. DLXXIII. *num.* VII.), cognoſci poterit ex CCCCXCIX. Sed & intelligi ſimul poterit, quando iſte eventus ſalutaris ſperari in aſthmate ſpaſtico nequeat; ſi ea nempe in caſu abvio adeſſe deprehenduntur, quæ jam ſupra

evicta sunt (§§. D. DII. *numer.* VI. DLXXVIII-DLXXX.)

§. DLXXXII.

Signa asthmatis spastici pathognomica sufficientia redibunt ad compressionem, quam æger sentit circa scapulas, illique connexam dyspnœam, ubi exspiratio facilior inspiratione deprehenditur esse.

§. DXXXIII.

Prognosis fundamentum, in asthmate convulsivo rite formandæ, continetur in §. DLXXXI.

CAPUT XXII.

DE CONVULSIONIBUS.

§. DLXXXIV.

AD convulsiones (§. CCLXVII.) ætas infantilis admodum prona esse observatur. De reliquo hic quoque determinationes subjectorum, in §. CCCCLXXXII. prolatæ, locum habebunt; ita tamen, ut illis majoris gradus vis adhærere videatur.

§. DLXXXV.

Ad morbi hujus historiam sequentia momenta pertinebunt.

I. Præcedit in quibusdam refrigeratio extremorum, oscitatio, præcordiorum anxietas, frigus per spinam dorsi.

II. Sentiuntur oculorum obnubilationes, scintillationes, vertiginosæ capitis afflictiones.

III. Partes corporis vel omnes, vel non nullæ repentinis atque reciprocis agitationibus vehementer varieque concutiuntur. Hinc stridor dentium auditur, & oculi superiora versus torquentur, ut solum tunicæ adnatæalbum conspiciatur; mox spasmus cynicus, mox risus sardonius, mox emprosthotonus, mox opisthotonus observantur; brachia ad tergum retorquentur, manibus aura, pedibus terra quatitur; non numquam tetanus & catalepsis in scenam prodeunt.

IV. Convulsorum pollices in pugnum coguntur.

V. Spuma, si gravior fuerit convulsio, ex ore fluit; si brevior, saliva tantum tenuis excernitur. Atque tum paroxysmus remittere simul observatur.

Ubi convulsiones invaluere, partes a situ suo naturali distorquentur, ac diutius ita retortæ persistunt.

VII. Sub ipsis convulsionibus rationis & sensuum usus cessat; ita, ut morbi insultu superato, convulsus nullam ante actorum memoriam habeat.

VIII. Quædam subjecta narium experiuntur hæmorrhagias; in aliis concitatur vomitus, aut sequitur diarrhæa; in aliis succedunt excretiones seminis & urinæ; in feminis excretio muci vaginalis. Fiunt hæc ad finem paroxysmi.

IX. Plerumque ad morbos periodicos inclinat convulsio; maxime in sexu sequiore. Nam phasibus lunaribus respondere observantur morbi hujus invasiones; si ille nempe chronicus magis esse videatur.

§. DLXXXVI.

Convulsiones antecedunt congestiones ad caput (§. anteced. *num.* II.)

§. DLXXXVII.

Certi gradus congestiones ad caput id efficere valebunt, ut, irritatis inde nervis cerebri & cerebelli, in reliquis quoque partibus corporis nervi ad actionem supra modum cogantur. Hinc jam convulsionis ortus necessarius erit [§. CCLXVIII.)

In prælectionibus commonstrabitur, quantopere hæc propositio cum observationibus conveniat. Satis evidenter ex sequentibus quoque consensus iste patebit.

§. DLXXXVIII.

Quare spasmorum caussæ (§. CCCCLXXXII.), quibus vis major attribuenda est in relatione ad ægrotantem, convulsioni producendæ potius respondebunt(§§. CCLXVII. CCCCXCII & DLXXXIV.)

§. DLXXXIX.

§. DLXXXIX.

Unde ſimul de ratione caſuum illorum conſtare poterit (§. anteced.), in quibus, teſte experientia, præ reliquis convulſiones ſuboriri ſolent. Huc nimirum pertinebunt ægrotantes ob vermium colluviem in inteſtinis; ſebri acutæ, imprimis malignæ, obtemperantes; graviter vulnerati; hæmorrhagici; hyſtericæ; hypochondriaci; iracundi; Venere incenſi; a morſu animalium rabidorum læſi; infantes difficulter dentientes; feminæ abortientes, vel difficulter parientes; tandemque quibus venena & philtra oblata ſunt.

§. DXC.

Si a convulſionibus magis afficiuntur loca excretoria, aut partes aliæ illis vicinæ; neceſſe tunc erit, ut excretio ſequi debeat, convulſionis paroxyſmo remittente.

§. DXCI.

Patet inde ratio (§. anteced.), cur ſaliva modo ſpumeſcens, modo tenuis ſub fine convulſionis excernatur? Quare tum quoque hæmorrhagia, vel vomitus, vel diarrhœa ſubſequatur; vel etiam urinæ, ſeminis, nec non muci vaginalis rejectiones contingere ſoleant (§. DLXXXV. *numer.* V & VIII.?

§. DXCII.

Ob fibras, a convulſionibus intenſas, illarum tandem debilitas neceſſaria erit. Quo frequentius igitur convulſiones ægrum invadunt; quo graviores & magis univerſales illæ ſunt, eo magis debile fiet corpus ægrotantis.

§. DXCIII.

Quoniam in convulſis cerebrum valdopere afficitur (§. DLXXXVI.); non poterit non inde fieri, ut rationis & ſenſuum uſus, ſæviente paroxyſmo, ceſſet, & memoriæ debilitas ſuccedente tempore ſuboriatur (§§. DXCII & DLXXXV. *numer.* VII. CCCLXXX.)

§. DXCIV.

Ex ipſa convulſionum (§. CCLXVII.) natura ſatis clare apparet, quod morbi hujus ſæpe redeuntis atrocia una vel altera cauſſa proxima corpori inducatur, ad partium ſitum naturalem mutandum vel maxime idonea (§§. XXXVI. LVII.) Hinc liquida erit ratio phænomeni, annotati in §. DLXXXV. *numer.* VI.

§. DXCV.

Quum convulſiones ad ſpaſmorum genus pertineant (§. CCLXVII.), atque a ſimilibus cauſſis, ſed vi majore præditis, proficiſcantur (§. DLXXXIV.): conſequens omnino erit, omnes illos effectus, qui de ſpaſmo generatim in capite XIV. prædicantur, hic quoque transferendos eſſe, ea tamen cum differentia, ut hoc loco majores eſſe debeant.

§. DXCVI.

Exinde, quando convulſio univerſalis eſſe deprehenditur, epilepſiæ exiſtentia dijudicari ſolet (§. CCLXVII.) Quid itaque de convulſione antea evictum erat; id etiam de epilepſia valebit, & quidem in eminentiore gradu.

§. DXCVII.

Convulſionum ſignis pathognomicis ſufficientibus cognoſcendis, definitio morbi (§. CCLXVII.), rite applicata ad caſum (§. DLXXXV, ſatis reſpondebit. Idem vero morbus levioris gradus ex tendinum ſubſultu, teſte obſervatione, colligi poterit.

§. DXCVIII.

Convulſionum prognoſis eadem ſibi quoque vindicabit principia, quæ jam propoſita exſtant in §. DII.

CAPUT XXIII.

DE PARALYSI IN GENERE.

§. DXCIX.

DOcent obſervationes, quod paralyſis (§. CCLXX.) oboriri ſoleat ſubjectis, quæ conditione ſequenti gaudent.

I. Quibus nempe ſpaſmorum & convulſionum ſævities diu ſuſtinenda erat.

II. Quibus excretionum naturalium ſubitaneæ ſuppreſſiones, vel etiam nimiæ exacerbationes atque adſuetarum intermiſſiones, tandemque exanthematum validæ repreſſiones ad loca interiora corporis accidunt.

§. DC.

In parte, a paralysi jam affecta, præter ea, quæ jam in morbi definitione (§. CCLXX.) indicantur, observare adhuc licebit flacciditatem, sæpiusque spasmos in parte, parti affectæ opposita.

§. DCI.

Propositæ ad §. DXCIX. subjectorum determinationes productioni caussæ proximæ paralysis satis accommodatæ esse poterunt (§§. CCLXXI &D.)

§. DCII.

Hinc conspicua erit ratio (§. anteced.), quare in casibus sequentibus paralysis sæpius oborta sit, docente experientia? Quorsum scilicet spectant gravia vulnera; ulcera putrida in partibus sensilibus; sudoris suppressiones; hæmorrhagiarum interceptiones aut exacerbationes; scabiei & purpuræ retropulsiones; pathemata animi ingrata & vehementia, qualia sunt ira, terror.

§. DCIII.

Caussa spasmorum, in parte, parti paralyticæ opposita, sæpius productorum (§. DC.), non nisi ad respectivam debilitatem & rigiditatem fibrarum redibit (§. LXXXIV.)

§. DCIV.

Flacciditas partis paralyticæ (§. DC.) ab ejus summa debilitate dependeat, necesse erit.

§. DCV.

Excretiones, quæ arbitrio animæ ſubjacent, illius imperio prorſus ſubtrahantur, oportebit; quam primum partes, dictis excretionibus dicatæ, fiant paralyticæ.

§. DCVI.

Quare [§. anteced.] in paralyſi ani & veſicæ excretio fecum alvinarum & urinæ ne ad momentum quidem retineri poterit; idem probante experientia.

§. DCVII.

Si paralyſis linguam affecerit; & aphonia, & defectus guſtus inde oriatur, neceſſe erit [§§. CCCLXII & CCCLXIII.] Quod etiam probat obſervatio.

§. DCVIII.

Ob cauſſæ debilitatis in parte aliqua incrementum fieri poterit, ut exigui ambitus paralyſis ſe ulterius extendat.

Quod etiam cum obſervationibus congruit; utpote ex quibus conſtitit, paralyſin particularem quandoquidem factam eſſe magis univerſalem.

§. DCIX.

Quo magis univerſalis fuerit paralyſis; & quo magis illa occupaverit partes vitales; eo magis metuenda erit morbi ſolutio per mortem.

§. DCX.

Quare hemiplexia, paraplexia & apoplexia [§§. CCLXXII & CCLXXIV.] plerumque lethalem

eventum nancifcantur, oportebit §. anteced.); in idem quoque confentiente experientia.

§. DCXI.

A febre determinati gradus, superveniente paralysi, hujus felix eventus exspectari poterit.

Quod etiam multoties confirmarunt observationes.

§. DCXII.

Paralysis vera, in relatione ad spuriam, morbus major erit (§§. CCLXX & LXII. *proleg.*)

§. DCXIII.

Paralysis partium externarum signa pathognomica sufficientia depromenda erunt ab impotentia has partes movendi, illarum flacciditate & sensu ibidem admodum imminuto. Paralysis autem partium internarum ex caussis, hunc morbum determinantibus (§§. DXCIX. & DCI.), nec non ex prolatis in §. DCV. dignosci poterit.

§. DCXIV.

Signa prognostica paralysis ex illius magnitudine & qualitate partium affectarum, nec non ex conditione caussarum, morbum determinantium, eruantur, necesse est. Qua in re te juvabunt exposita in §§. DCV. DCVII. DCIX. DCXI & DCXII.

CAPUT XXIV.
DE ASTHMATE DEFECTIVO.

§. DCXV.

DE asthmate defectivo (§. CCLXXIII.) per experientiam sequentia innotuerunt,

I. Morbus iste asthma spasticum excipere solet.

II. Morbis pulmonum & diaphragmatis sæpius accedit.

III. Hypochondriacis, hystericis & hydropicis haud raro oboritur.

IV. Præsente tussi, asthma defectivum non adeo periculosus morbus est, faciliusque solvitur in salutem ægri.

V. A fluxu hæmorrhoidum, vel mensium levantur ægrotantes.

VI. Sed etiam contingere solet, ut asthma defectivum in catarrhum suffocativum transeat, in maximam ægri perniciem.

§. DCXVI.

Ex asthmate spastico defectivum tandem oriri debet (§§. CCLXXIII. DXCIX. DCI & DCXV. *numer.* I.)

§. DCXVII.

Morbi pulmonum asthma defectivum producere valebunt; sed & vice versa illi ab isto deter-

minari poterunt (§§. CCLXXIII. DLXXII. *num.* I. DXCIX. DCXV. *num.* II & DCXVI.)

§. DCXVIII.

Malum hypochondriacum, hyſtericum, hydropes ortui aſthmatis defectivi reſpondent (§§. CCLXXIII. DLXXII. *numer.* I & III. DCXV. *numer.* III & DCXVI.)

§. DCXIX.

Patet ideoque (§. anteced.), quare fluxus hæmorrhoidum & menſium aſthmati defectivo obnoxiis levamentum afferat [§. DCXV. *numer.* V]?

§. DCXX.

Aſthmatis defectivi tranſitus in catarrhum ſuffocativum [§. DCXV. *numer.* VI.] intelligi poterit ex §. DCVIII.

§. DCXXI.

In aſthmate defectivo inſpiratio major adeſſe debet exſpiratione (§. CCLXXIII.) Quo igitur loco dyſpnoeæ (§. CCXCIV.) conditio diverſa erit ab illa, quæ in aſthmate convulſivo occurrit (§. DLXXIII. *numer.* II.)

§. DCXXII.

Ægrotantium igitur ex aſthmate defectivo os ſterni, vertebræ dorſales & ſcapulæ inter reſpirandum antrorſum magis protrudentur (§. antec.)

§. DCXXIII.

In §§. DCXXI & DCXXII. ſigna pathognomica ſufficientia aſthmatis defectivi continentur.

§. DCXXIV.

Signa vero prognoſtica aſthmatis defectivi in genere derivanda erunt ex adductis in §. DCXIV. principiis. Quibus adhuc accedunt momenta, hoc loco ſpeciatim conſideranda, quæ proſtant ad §. DCXV. *numer.* IV. V. & VI.

CAPUT XXV.
DE
APOPLEXIA.

§. DCXXV.

AD apoplexiæ (§. CCLXXIV.) hiſtoriam deſcribendam ſequentia momenta ſuppeditant obſervationes.

I. Solent hunc morbum antecedere nimia ſomnolentia, gravitas artuum, vertigo, genarum rubor vel pallor.

II. Sequuntur deinde convulſio univerſalis momentanea, cordis arteriarum pulſationes initio vehementes, mox langueſcentes, ſtertores ſub reſpiratione.

III. Oculi tandem apparent vitrei, atque ad ſui dimidiam partem aperti; ſenſus & motus in partibus muſcularibus defectus ſatis fit conſpicuus;

ſpuma ante os cernitur; non numquam ſeri vel ſanguinis profluvium e naribus contingit; ſive etiam ſeri & ſanguinis excretiones ex ore aperto videntur.

IV. Plerumque per mortem ſolvitur apoplexia; interdum vero in paralyſin particularem tranſit, cum debilitate memoriæ conjunctam.

§. DCXXVI.

Diſſectis illorum corporibus, quos apoplexia enecavit, multoties conſtitit, intra meninges inveniri modo ſanguinis, modo ſeri extravaſationes.

§. DCXXVII.

In apoplecticis adeſſe debent congeſtiones ad caput [§§. anteced. & DCXXV. *numer.* I.]

§. DCXXVIII.

Ex congeſtionibus, ad certum gradum encephalon verſus factis, ſub acceſſione unius vel alterius cauſſæ paralyſis in genere [§. DXCIX.], apoplexiæ ortus explicari poterit, una cum notabili illa differentia ratione vehementiæ morbi, ejuſque productionis mox tardæ, mox celeris.

§. DCXXIX.

Unde jam apparebit ratio [§. anteced.] caſuum illorum, ubi experientia multoties docuit, apoplexiam ſubortam fuiſſe. Hujus nominis præſertim erunt, læſiones capitis, inflammationes meningum, vaſorum in cerebro obſtructiones, febris peracuta maligna, morbi pertinaces viſcerum ab-

ominalium atque admodum læſæ reſpirationis, xcretionum naturalium ſubitaneæ ſuppreſſiones & rtificialium intermiſſiones, gravia pathemata ani- ni, diſpoſitio ad hunc morbum eminentior in orporibus infantilibus & ſenilibus.

§. DCXXX.

Quum apoplexia paralyſin veram ſimulque uni- erſalem conſtituat [§§. CCLXXIV & DCXXV. umer. III.]: ſequitur, ut, quæ in cap. XXIII. le paralyſi generatim evicta ſunt, ea quoque ad poplexiam transferri debeant, & quidem in emi- ientiore gradu.

§. DCXXXI.

Apoplexiæ ſigna pathognomica ſufficientia eſſe poterunt abolitio ſenſuum & motus voluntarii, nec non ſplendor oculorum, ad ſui dimidiam partem apertorum [§. DCXXV. *numer.* III.] Sed morbi imminentis ſigna colligenda erunt ex iis, quæ ad §. citat. *numer.* I. deſcribuntur.

§. DCXXXII.

Apoplexiæ tandem prognoſin deducere conve- niet ex illis principiis, quæ ad paralyſin gene- ratim reſpiciunt [§. DCXIV.]; non prætervifo illo momento, quod in hiſtoria morbi ad *num.* IV. §. DCXXV. annotatum eſt.

CAPUT XXVI.

DE HÆMORRHAGIIS IN GENERE.

§. DCXXXIII.

HÆmorrhagiis [§. CLXXXI.] obtemperare coguntur ſubjecta, quibus ſequentes conditiones inſunt.

I. Quæ nimirum plethoram, ſpiſſitudinem humorum, cacochymiam alunt, orgaſmos humorum patiuntur, aut gravibus congeſtionibus patent.

II. Quæ obſtructa aut infarcta habent viſcera.

III. Quæ ſpaſmorum atrocitati obnoxia ſunt.

IV. Quæ cauſſas externas violentas admittunt, unde ſolutiones continui producuntur.

V. Aut quibus etiam ejuſmodi ſolutiones continui ex aliis cauſſis, præter externas violentas, oboriuntur.

§. DCXXXIV.

Docet porro experientia, in hæmorrhagiis, non a cauſſis quibuſdam externis violentis, ſed alio modo productis, adeſſe phænomena ſequentia.

I. Antecedere ſolent ſpaſmi in uno loco corporis, in alio autem diſtenſiones, artuum gravitas, ſpaſmi peripherici atque alia motuum febrilium incommoda.

II. Proxime ante eruptionem ſanguinis nonnumquam ſenſus quidam ardoris in loco hæmorrhagico percipitur.

III. Hæmorrhagia tandem ſuccedente, & quidem moderate, deſcripta ſymptomata ceſſant.

IV. Quod ſi vero exacerbata, aut ſubito ſuppreſſa fuerit hæmorrhagia; inſequi tunc ſolent convulſiones, lipothymia, inflammationes, hydropes, tabes corporis, mors haud raro ſubitanea.

V. Sed etiam contingere ſolet, ut naturæ conamina, ad producendam hæmorrhagiam ſuſcepta, licet ſæpe fuerint admodum urgentia, incaſſum tamen eant. Subſequi tunc obſervantur ſpaſmi, morbi viſcerum varii, immo etiam effectus deſcripti ad *numer. præced.*

VI. Hæmorrhagiæ tandem morbis periodicis ſæpius accenſendæ ſunt.

§. DCXXXV.

Recenſitæ in §. DCXXXIII. conditiones ſub-ectorum ortui cauſſæ proximæ hæmorrhagiæ [§. LXXXII.] reſpondent.

§. DCXXXVI.

Inde jam [§. anteced.] patet, cur ſubjecta val-e ſenſilia, victum plenum admittentia, & vitæ nagis ſedentariæ dedita, hæmorrhagiis tam fre-uenter obnoxia fiant? Cur venerei, ſcorbutici æmorrhagias præſertim in illis locis experiantur, bi humoris acredo in relatione ad alia corporis ca major facta eſt? Id quod congruit cum ob-rvatis.

§. DCXXXVII.

Exinde porro conspicuum erit [§. DCXXXV.] cur hydropicis, hypochondriacis hæmorrhoides & hystericis hæmorrhagiæ uteri soleant esse familiares? Quocum etiam consentiunt observationes

§. DCXXXVIII

Neque minus exinde ratio elucet [§.DCXXXV] cur in feminis, facta circa periodum menstruam exacerbatione lumbaginis vel spasmi in utero, hæmorrhagiæ narium consequantur; vel sudores sanguinei sub axillis prorumpant; vel ad alia corporis loca magis adhuc insolita, ut ad pollicem pedis, taleolos, suras, sanguinis profluvia oboriantur? Quibus pariter annuunt observationes.

§. DCXXXIX.

Similiter etiam constabit ratio [§. DCXXXV.] quare vulneribus & ulceribus compositis [§§ CXCVII & CXCVIII.] hæmorrhagia accedat idem probante experientia.

§. DCXL.

In hæmorrhagiis, quarum phænomena in § DCXXXIV. describuntur, necesse erit, ut sanguis ad ea loca corporis prius coacervetur, quam ex iisdem promanare possit [§. CLXXXII.] Hinc non poterunt non vasorum distensiones ibidem oboriri [§. XCV.], quæ in caussam spasmi, in alio loco corporis inde producti, degenerare valent [§§. CCCCLXXXIV & CCCCLXXXI *numer.* III.] Sed etiam spasmi ad caussas hæmorrhagiarum pertinent [§§. DCXXXV & DCXXXII *numer.* III.] Ecce igitur rationem phænomeni supra annotati [§. DCXXXIV. *numer.* I.]!

§. DCXLI.

Anne etiam ab ista spasmi conditione [§. ant.] rtuum gravitatem & spasmi peripherici incomnoda [§. DCXXXIV. *numer.* I. derivare licebit?

§. DCXLII.

Ex attritu sanguinis ad vasorum parietes, utote qui necessarius hic erit [§. DCXL.], hæmorhagia imminente, sensus ardoris & pruritus in ocis hæmorrhagicis [§. DCXXXIV. *numer.* II.] xplicari poterit.

§. DCXLIII.

Sanguinis quantitate per hæmorrhagias immiuta, necesse erit, ut vasorum quoque distensioes una cum spasmis inde productis evanescant; æmorrhagia non excedente supra gradum [§. DCXXXIV. *numer.* III.] Ex quo simul apparet, cur ejusdem conditionis hæmorrhagia se inar remedii salutaris [nisi forte obstiterit conditio ocorum hæmorrhagicorum] habeat ad plethoram congestiones, morbosque varios inde oriundos? dem comprobante experientia.

§. DCXLIV.

Quoniam vero necesse est, ut ab hæmorrhaiis efferis vasorum depletiones [§. CLXVIII.] subriantur, eisdemque subortis, stases & coacervatioes fluidorum in vasis, præsertim tenerioris texturæ, fiant; atque etiam similes effectus a subitaneis æmorrhagiarum suppressionibus in corpore proucantur; hinc tibi jam de ratione tristis eventus

constare poterit, quem hæmorrhagiæ tam exa
cerbatæ, quam subito suppressæ nancisci solean
[§. DCXXXIV. *numer.* IV.]

§. DCXLV.

Quia etiam irrita quidem, sed pertinacia mol
mina hæmorrhagica illis similes effectus produ
cere possunt, qui alias ab hæmorrhagiis subit
suppressis proficisci solent [§. anteced.]; hinc ja
conspicua erit ratio momenti illius, quod ann
tatum legitur in §. DCXXXIV. *numer.* V.

§. DCXLVI.

Hæmorrhagiæ, ubi sanguis intra cavitatem quan
dam corporis excernitur, ut ibidem continuo re
neri cogatur, semper erunt insalubres [§. LX. *prole*

§. DCXLVII.

Si etiam hæmorrhagiæ usque ad production
collapsionis vasorum oboriuntur; tunc illæ ne
tiquam salutares dici poterunt [§. LX. *proleg.*]

§. DCXLVIII.

Quando denique a ruptionibus vel arrosionib
vasorum, imprimis capaciorum, hæmorrhagiæ p
veniunt; has quoque insalubres esse oportebit
LX. *proleg.*]

§. DCXLIX.

Signa pathognomica sufficientia hæmorrha
jam præsentis ex ejus definitione patent (
CCLXXXII.]; instantis vero colligenda erunt
ca

caussarum (§. DCXXXIII.) & phænomenorum existentia, quæ nimirum hæmorrhagias antecedere solent (§. DCXXXIV. *numer.* I & II.)

§. DCL.

Prognosin vero hæmorrhagiarum rite formaturus attendere debet ad locorum hæmorrhagicorum conditionem; ad quantitatem sanguinis excreti; ad qualitatem denique caussæ proximæ, a qua hæmorrhagia dependet. Qua de re tibi haud exiguo usui esse poterunt propositiones, quas in se comprehendunt §§. DCXLIII - DCXLVIII.

CAPUT XXVII.

DE

HÆMORRHAGIA NARIUM.

§. DCLI.

EXperientia docet, subjecta sequentis præcipue indolis huic hæmorrhagiæ fieri obnoxia.

I. Quæ in ætate adhuc crescente, imprimis puerili, versantur.

II. Quæ spasmis partium haud ita remotarum a locis hæmorrhagicis, vel etiam febribus sanguineis vexantur.

III. Quæ caussas quascumque alias congestionum ad caput admittunt. Quorsum exempli loco pertinebunt obambulationes sub cælo fervido, commorationes in conclavibus & balneis

admodum calidis, compressiones vasorum colli, a collarium nimis arcta applicatione productæ; atque hujus generis complura alia.

IV. Quæ scorbuto, aut lue venerea alte radicata laborant.

V. Sexus denique potior huic hæmorrhagiæ magis subjacet, quam sequior.

§. DCLII.

Prout observatio testatur, hæmorrhagia narium sequentia sibi vindicat phænomena.

I. Antecedunt distensiones vasorum ad collum, frontem & nasi radicem, genarum rubor, faciei inflatio, ophthalmia, cephalalgia, vertiginis afflictiones, tinnitus & susurrus aurium, non numquam insomnia.

II. Non deficiunt incommoda spasmi ad membra & circa hypochondria.

III. Urina tenuis apparet, quæ parce excernitur.

IV. Pruritus narium percipitur.

V. Quæ omnia sensim sensimque evanescunt; quam primum hæmorrhagia ipsa subsequitur.

§. DCLIII.

In hæmorrhagia narium sanguinis congestiones versus caput fieri debent (§§. DCXL & anteced. *numer.* I.)

§. DCLIV.

Ex congestione sanguinis versus caput omnia phænomena, quæ in §. DCLII. enarrantur, expli-

catu facilia erunt, tam ratione ortus sui, quam interitus (§§. CCCCIV - CCCCVI.)

§. DCLV.

A propositis in §. DCLI. subjectorum conditionibus hæmorrhagiæ narium caussa proxima (§. CLXXXII.) produci poterit.

§. DCLVI.

Hæmorrhagia narium instans colligi poterit ex vasorum circa collum, frontem & nasi radicem distensionibus, ex faciei inflatione & genarum rubore, tandemque ex pruritu narium (§. DCLII. *numer.* I & IV.) Signa autem pathognomica sufficientia ejusdem hæmorrhagiæ jam præsentis in sensus statim incurrunt.

§. DCLVII.

Prognosis rationem in hæmorrhagia narium cognoscere poteris ex §. DCL. hic rite applicaturus ibidem indicata principia.

CAPUT XXVIII.

DE

HÆMOPTYSI.

§. DCLVIII.

HÆmoptysi (§. CCXCVII.) præ reliquis patere solent subjecta, docente experientia, ubi conditiones sequentes inveniuntur.

I. Quæ in ætate juvenili versantur.

II. Quæ compressiones hypochondriorum, aut pectoris contusiones admittunt.

III. Quæ tussibus vehementibus vexantur.

IV. Quæ canendo, clamando, ridendo pulmones percellunt, aut acria per inspirationem ad pulmones deferunt.

V. Quibus pulmones læsi sunt, aut fluxus hæmorrhoidum aut mensium supprimitur.

§. DCLIX.

Ex observatis porro constat, hæmoptysin præcedere spasmum in extremitatibus & sub hypochondriis; sensum gravativum in capite, in thorace; sæpius etiam oppletionem pectoris & tussim siccam sonoram.

§. DCLX.

Quibus obortis (§. anteced.), ipsa hæmorrhagia contingit, cum sensu caloris in trachea, sanguis, qui ejicitur, floridus & spumescens apparet. Annotari hic etiam debet, quod hæmoptysis ad excedentes hæmorrhagias pertineat, sæpe recurrat, & ordinarie in ulcus pulmonum transeat.

§. DCLXI.

Hæmoptysis (§. CCXCVII.) caussæ proximæ ortum ab illis conditionibus subjectorum, quæ in §. DCLVIII. describuntur, deducere licebit.

§. DCLXII.

Ex congeſtionibus ad loca hæmorrhagica, & ſpaſmis, in omni caſu hæmorrhagiæ ſimul neceſſariis (§. DCXL), notata ad §. DCLIX. ſymptomata hæmoptyſis derivare conveniet.

§. DCLXIII.

Quia ſanguis, ab hæmoptyicis excretus, ex pulmonibus venit (§. CCXCVII.): nec mirum adeoque erit, cur ille intenſi ruboris ſit & ſpumeſcat (§. DCLX.)?

§. DCLXIV.

Senſus caloris in trachea, qui ab hæmoptyicis percipitur (§. DCLX.) dependet a ſanguine, qui ſtatim ex ſuo vaſe egreſſus tracheam contingere poterit.

§. DCLXV.

Sanguinis guttula ad vaſorum, in pulmonibus ſolutorum, parietes hærere ibidemque in putredinem ire poterit. Hinc ulcus pulmonibus hæmoptyicorum inducitur (§. DCLX.)

§. DCLXVI.

Ex §. anteced. intelligere licebit rationem caſus hujus frequentiſſimi, cur nimirum hæmoptyici, præcipue juniores, mox fiant phthiſici (§. CCXCI.)?

§. DCLXVII.

Ob ulceris facilem ortum in pulmonibus, horumque debilitatem, a congeſtionibus ibidem pro-

ductam, hæmoptysis sæpius recurrere poterit [§. DCLX.]

§. DCLXVIII.

Ob motum sanguinis, per pulmones magis accceleratum, hæmoptysis facile fieri potest hæmorrhagia excedens [§. DCLX.]

§. DCLXIX.

Signa pathognomica sufficientia hæmoptysis imminentis ex propositis ad §§. DCLVIII. & DCLIX. colligenda erunt; sed jam præsentis ex eo constabunt, quando sanguis, sub motu tussiculoso rejectus, floridam magis rubedinem præ se fert, & spumidus apparet [§. DCLX.]

§. DCLXX.

Prognosin certam hæmoptysis conficere poteris ex congrua principiorum supra propositorum [§. DCL.] applicatione ad casum præsentem; hic simul ad ea directurus animum tuum, quæ traduntur in §§. DCLXVI. DCLXVII & DCLXVIII.

CAPUT XXIX.

DE

VOMITU CRUENTO.

§. DCLXXI.

EXperientia docet, vomitum cruentum [§. CCCVII.] accidere subjectis, quorum conditio ad sequentia momenta redit.

I. Quibus emeſes vehementiores concitantur, venena offeruntur, aut quibus aliæ cauſſæ violentæ externæ ad ventriculum & lienem accidunt.

II. Quibus lienis infarctus aut ſcirrhus oboritur, vel etiam fluxus hæmorrhoidalis vel menſtruus ſupprimitur.

III. Quibus cum febre quartana diu colluctandum erat.

IV. Hypochondriacis & feminis hyſtericis familiaris eſt morbus.

V. Tandem ſexus ſequior potiore magis huic morbo ſubjacet, ibique maxime, ubi menſium obtinuit, vel emanſio, vel ſuppreſſio, vel ceſſatio.

§. DCLXXII.

Indicant porro obſervationes, quod circa vomitum cruentum phænomena ſequentia occurrere ſoleant.

I. Antecedunt anxietates præcordiorum & ſpaſmus hypochondrii ſiniſtri.

II. Succedit deinde nauſea cum conatu vomendi.

III. Tandem conſequitur ipſe vomitus, quo prius contenti in ventriculo cibi, deinde con-grumatus ſanguis ejicitur, haud raro ad notabilem quantitatem.

IV. Tempore remiſſi vomitus ſenſus caloris in ſtomacho percipitur, ubi ſanguis ſubinde collectus, novis conatibus vomendi ſuccedentibus, excernitur.

V. Quo citius hic ſanguis, in ventriculo collectus, per vomitum rejicitur; eo floridior & fluidior apparet. Quo diutius autem ibidem moratur; eo ſpiſſior magiſque niger, & quaſi in fruſta coactus eſſe videtur, facta illius excretione ope vomitus.

VI. Morbus iſte ſemel obortus ſæpius redire ſolet.

VII. Tandem per obſervationes conſtitit, vomitum cruentum ſæpe quidem profuiſſe tumoribus lienis; ſed illum quoque haud raro tranſiiſſe in hydropem, tabem corporis, vel morbum aliquem acutum.

§. DCLXXIII.

Determinationes ſubjectorum, in §. DCLXXI. enarratæ, cauſſam proximam vomitus cruenti [§§. CCCVII. & CCCVIII.] producere valent.

§. DCLXXIV.

Quæ de effectibus hæmorrhagiarum, ratione locorum corporis, ubi natura ſanguinis excretionem molitur, in genere valent; ea quoque de vomitu cruento [§. CCCVII.] valere debent. Hoc igitur principium rite applicaturus intelligere poteris rationem neceſſariam ſpaſmi ad hypochondrium ſiniſtrum, nec non angoris cordis [§. CXLVI.]; utpote quæ incommoda vomitui cruento obnoxiis accidere ſolent [§. DCLXXII. *numer.* I.]

§. DCLXXV.

Si in cavo ventriculi cibi adfuerint, necesse est, ut illi (nam superius quasi stratum efficiunt) prius excernantur, quam vomitus cruenti phænomena prodeant in conspectum (§. DCLXXII. *num.* III.)

§. DCLXXVI.

Sensus caloris, qui percipitur tempore remissi vomitus cruenti [DCLXXII. *num.* IV.], non nisi a sanguinis fluxu per vasa semel aperta in cavum ventriculi admodum sensilis dependeat, oportebit.

§. DCLXXVII.

Nigredo & coagula sanguinis vomitu excreti [§. DCLXXII. *num.* III. & V.] partim a sui mora in ventriculo, partim a bilis & succi gastrici admixtione derivari poterunt.

§. DCLXXVIII.

In frequentia causarum possibilium in corpore, vomitum cruentum determinantium [§. DCLXXI.], ratio latebit frequentioris reditus hujus morbi [§. DCLXXII. *numer.* VI.] Atque ex eodem fundamento id quoque explicandum erit, quare nimirum sexus sequior præ potiore huic morbo magis subjiciatur (§. DCLXXI. *numer.* V.)?

§. DCLXXIX.

Sanguinis excretio, quæ in vomitu cruento fit, non numquam vasorum brevium apertionem pro sui ratione habere poterit [DCLXXI *num.* II.] Unde etiam necesse erit, ut tunc lienis tumoribus

proficiat hæc hæmorrhagia [§. DCLXXII. *num.* VIII.] ; non deficiente tamen illa conditione, quæ in §. DCXLIII. exponitur.

§. DCLXXX.

Sed quia etiam in vomitu cruento contingere poteſt, ut illa conditio obtineat, ſub qua hæmorrhagiæ in genere peſſimos effectus in corpore edunt [§. DCXLIV] : hinc jam patebit ratio vomitus cruenti, non numquam tranſeuntis in morbos ſupra annotatos [§. DCLXXII. *numer.* VII.] Quibus adhuc accedit, quod ſanguis ob ſui longiorem moram in ventriculo facile putreſcere poſſit, tunc magis promoturus ortum morbi cujuſdam acuti.

§. DCLXXXI.

Signa vomitus cruenti pathognomica ſufficientia eſſe poſſunt ſanguis congrumatus & niger, quatenus ille evomitur [§. DCLXXII. *numer.* III & V.] ; una cum ſenſu illo, quem æger habet, dum ſanguis intra tempus remiſſi vomitus in ventriculo iterum colligitur, rejiciendus vi ſubſequentium conatuum vomendi [§. citat. *numer.* IV.

§. DCLXXXII.

Vomitus cruenti prognoſin ad eadem principia reducere licebit, quæ jam continentur in §. DCL ; hic ſimul ad conſiderandum ſumptis momentis illis ; quæ indicantur ad §. DCLXXII. *num.* VI. & VII.

CAPUT XXX.
DE SPUTO CRUENTO.

§. DCLXXXIII.

SI ſputum cruentum[§.CCLXXXVIII.]ex infundibulo narium procedat, tum neceſſe erit, ut vel ad radicem naſi, vel palatum verſus dolor, aut ſenſus quidam gravativus antea ſentiatur [§§ DCXL & DCXLII]; deinde vero ſanguis grumoſus in cavum oris delabatur, cum multo muco remixtus per os ejiciendus.

§. DCLXXXIV.

Hoc adeoque ſputum cruentum [§.anteced.] poſt hæmorrhagiam narium vel ſubſiſtentem, vel non conſequentem evenire poterit.

Quod etiam congruum eſt experientiæ, qua nimirum teſte ſatis conſtitit, huic hæmorrhagiæ obnoxium fieri id hominum genus, quod proclive deprehenditur eſſe ad narium hæmorrhagias.

§. DCLXXXV.

Si ſputum cruentum [§ CCLXXXVIII.] proveniat vel ex pharynge, vel larynge, vel tonſillis, opus tum erit, ut antea deprehendatur vel impedita quædam deglutitio, vel tuſſis exacerbata ſub inſpiratione, vel dolor aut pruritus quidam in dictis partibus [§§. DCXL & DCXLII.]; dein excernatur ſanguis, muco remixtus.

§. DCLXXXVI.

Hic igitur ſputi cruenti caſus [§. anteced.] in morbis catarrhalibus, inflammationibus colli & tracheæ evenire poterit; idque cum maximo ægri commodo. Quocum conſentiunt obſervata.

§. DCLXXXVII.

Si ſputum cruentum (§. CCLXXXVIII.) ex palato, lingua, gingivis originem ſuam potius ducat: conſequens tunc erit, ut doloris aut illi ſimilis incommodi ſenſus ibidem percipiatur (§§. DCXL & DCXLII.); quem vero imminui oportebit, quam primum ſanguis excernatur, hic quoque muco remixtus.

§. DCLXXXVIII.

Quod ſi tandem ſputum cruentum ob putrefactionem illarum partium oriatur, quæ hic loca ſic dicta hæmorrhagica conſtituunt (§. CCLXXXVIII.): tum ſanguis, qui per os ejicitur, fœtorem ſpirabit.

§. DCLXXXIX.

Inde liquet ratio (§. anteced.), cur ſputa cruenta ſcorbuticorum, venereorum, aut quorum lingua a cancro exeditur, vel dentes carie afficiuntur, fœteant? Quocum conveniunt obſervata.

§. DCXC.

Sputi cruenti ſigna pathognomica ſufficientia continentur in §§. DCLXXXIII. DCLXXXV. DCLXXXVII. & DCLXXXVIII.

§. DCXCI.

Quod denique ad ſigna prognoſtica ejuſdem hæmorrhagiæ ſpectat, illa facile eruere poteris ex §§. DCLXXXIV. DCLXXXVI. DCLXXXIX; in ſubſidium hic ſimul vocatis, quæ jam prolata ſunt in §. DCL.

CAPUT XXXI.

DE
MICTU CRUENTO.

§. DCXCII.

SUbjecta mixtus cruenti (§. CCCXLII.), docente experientia, ſequentis indolis eſſe ſolent.

I. Quæ Venere remediis diureticis vel aphrodiſiacis abutuntur.

II. Quæ ſpaſmis hæmorrhoidalibus valdopere vexantur.

III. Quæ calculum in renibus habent vel veſica.

IV. Quibus gonorrhœa perquam maligna, aut ejuſdem conditionis fluor albus oboritur.

V. Reliquum morbus iſte ſexui potiori magis quam ſequiori, atque imprimis ſenibus familiaris eſt.

§. DCXCIII.

Huic morbo connexa eſſe obſervantur ſymptomata ſequentia.

I. Adſunt nimirum ſpaſmus Paracelſi fixus, lumbago, malum iſchiadicum, ſtranguria, alvus conſtricta.

II. Sanguis modo floridus, modo in flocculis excernitur; idque mox cum dolore ſatis acerbo, mox etiam ſine illius ſenſu aliquo.

III. Hæmorrhoidariis levamentum aliquod afferre videtur ratione ſpaſmorum. Verum etiam contingere ſolet, ut eadem hæmorrhagiæ ſpecies vel in hydropem, vel in morbum acutum tranſeat.

§. DCXCIV.

Sub conditionibus ſubjectorum [§. DCXCII.) fieri poterit, ut facile oriatur mictus cruenti cauſſa proxima (§, CCCXLII.)

§. DCXCV.

Spaſmi Paracelſi fixi, lumbaginis, mali iſchiadici, ſtranguriæ & alvi ſtrictæ exiſtentia in morbo præſente neceſſaria (§. DCXCIII. *numer.* I.) intelligi poterit ex §§. DCXL. & CCCCXCIV.

§. DCXCVI.

Color intenſe rubens ſanguinis ejuſque flocculorum, ſive exiguæ molis coagulorum, ſub mictu cruento excretorum (§. DCXCIII. *num.* II.), ab urina ipſis admixta dependebit.

§. DCXCVII.

Cur mixtus cruentus non numquam hæmorrhoidariorum incommoda levare, immo etiam in

hydropem vel morbum acutum transire queat: de hujus rei ratione tibi jam constare poterit ex §§. DCXLIV & DCXLV.

§. DCXCVIII.

Signa pathognomica sufficientia mictus cruenti ex ipsa morbi definitione [§. CCCXLII.) cognoscuntur.

§. DCXCIX.

Ratione prognosis, in hocce morbo formandæ, præter fundamenta hæmorrhagiarum in genere (§. DCL.), considerandum erit momentum, ad §. DCXCIII. *numer.* III. propositum.

CAPUT XXXII.

DE FLUXU MENSTRUO.

§. DCC.

QUam primum sexus sequior annos pubertatis attigerit, quod ordinarie fieri solet circa annum decimum quartum in non nullis tamen citius, in aliis serius: tum illi fluxus menstruus (§. CCCXXXVIII.) oboritur. Durat hæc menstrua excretio usque ad annum ætatis quadragesimum nonum, immo quinquagesimum. Ad hoc ordinarium est, quod observare licet. Verum enim vero experientia quoque docuit, hanc sexui sequiori solemnem excretionem modo citius, modo serius, quam

cum temporis ratione jam indicata congruit, cessavisse: ibi nimirum citius, ubi primum oborta erat primature; tunc vero serius, quando nimis tarde primum obtigerat.

§. DCCI.

Sequentia porro notanda erunt phœnomena, quæ circa fluxum menstruum occurrunt.

I. Deprehenduntur gravitas artuum, cephalalgia, colica, tormina ventris, spasmus Paracelsi fixus, lumbago, malum ischiadicum: quæ omnia cessant, fluxu ipso ad perruptionem perducto.

II. In non nullis ante fluxum abdomen depressum, in aliis turgidum esse observatur.

III. Adspectus apparet modo floridus, modo pallidus.

IV. Durat hic fluxus in otiosis per quinque, sex, immo octo dies; in laboriosis vero intra secundum diem, interdum adhuc citius, absolvitur.

V. Initio tantum fluidum serosum subrubrum, mox sanguis densior, denuo serum rubore tinctum excernitur; tandemque fluxus ipse subsistit, denuo rediturus post tres hebdomades.

VI. Prima eruptio mensium febre sat vehemente stipata esse plerumque observatur; reliquæ vero excretiones menstruæ leves tantum motus febriles sibi comites habere solent.

VII. Gravidis plerumque iste fluxus deficit, sine notabili tamen incommodo.

VIII. Ac-

VIII. Accidit vero interdum, ut in feminis gravidis, maxime plethoricis, ſi non per omne geſtationis tempus, intra primos tamen graviditatis menſes, hæc excretio continuet.

IX. Notatu porro dignum eſt; quod, quo propius ſexus ſequior ad tempus conſuetæ ceſſationis accedit, eo potentius menſes fluere ſoleant.

X. Ad phaſes lunæ plerumque ſe accommodat excretio menſtrua, & quidem in ratione ad ætatem ſubjectorum. Qua de re ut explicatius hic dicatur, neceſſe eſſe videtur. Virgines nimirum vel mulieres, quarum ætas adhuc continetur intra annum vigeſimum primum, & quod excurrit, illæ purgantur ex utero circa novilunium. Quæ vero ætatis annum vigeſimum primum ſuperarunt, illis uſque ad annum trigeſimum, & quod foret ſupra, excretio menſtrua oboriri ſolet intra tempus novilunii & plenilunii. Circa annum ætatis trigeſimum quintum, uſque ad annum circiter quadrageſimum ſecundum, hæc excretio in plenilunio, vel ſtatim poſt, obtingere conſuevit. Ab anno tandem quadrageſimo ſecundo, uſque ad annum quadrageſimum nonum, vel quinquageſimum, tamquam ordinarium tempus, quo hæc hæmorrhagia menſtrua ceſſare ſolet, ejus productio incidit in tempus, quo luna decreſcit.

XI. Quod de periodo menſtrua ad *numer. præced.* dicitur, hoc quidem ordinarium eſt, quod in natura fieri obſervatur; tantum vero

abeſt, ut ordo iſte perturbari nequeat, ut potius hoc ſæpius contingere ſoleat, admiſſis cauſſis variis. Quorſum exempli loco pertinebunt errores multiplices circa uſum rerum ſex non naturalium, atque hujus generis plura alia, quibus vis quædam ineſt ad hæmorrhagias vel augendas, vel ſupprimendas, vel accelerandas, vel etiam retardandas. Ut itaque hoc modo conſuetæ periodi menſtruæ facta perturbatione, fluxus menſtruus ſolito citius, vel tardius oboriri queat.

XII. Hujus excretionis defectum, vel imminutionem, vel etiam exacerbationem varii morbi, tam chronicæ, quam acutæ indolis, excipere ſolent. Quum e contrario ſanitati ſexus ſequioris quam optime reſpondere deprehendatur fluxus menſtruus, convenienter eidem obortus.

XIII. Tandem ne id quidem hoc loco prætermittendum eſſe videtur, quod pariter innotuit per obſervationes, exſtitiſſe nimirum inter feminas exempla (ſed hæc rara ſunt), quibus numquam contigit fluxus menſtruus; ſalva tamen illarum & ſanitate, & fœcunditate.

§. DCCII.

Ob ſanguinis congeſtionem verſus uterum, utpote neceſſarium ad fluxum menſium producendum, neceſſarii quoque eſſe debent effectus (§. anteced. *num.* I.), gradu & numero diverſi; pro ratione nimirum congeſtionis, quæ fit ad loca uterina (§. 640.)

§. DCCIII.

Quum, fluxu menſtruo ad perruptionem perducto, vaſa uterina tantopere turgeſcere nequeant; ceſſabunt tunc quoque iſta incommoda (§§. 643 & 701. *numer.* 1.)

§. DCCIV.

Si ſanguinis congeſtio (§. 175.), loca uterina verſus facta, nullum ibidem ſpaſmum producat, unde ſanguis cum impetu aliorſum repelli poſſit; tum opus eſt, ut abdomen magis turgeſcat (§. 701. *numer.* 2.)

§. DCCV.

Sed in hoc caſu (§. anteced.) adſpectus magis ſit pallidus oportebit [§. 701. *numer.* 3.] Quocum etiam judicium ſenſuum congruit.

§. DCCVI.

Quod ſi vero ſanguis, ad loca uterina congeſtus, ſpaſmum ibidem efficiat, a quo hæc congeſtio (§. 175.) ſubito ſuperetur; abdomen tunc potius depreſſum erit (§. 701. *numer.* 2.)

§. DCCVII.

In quo caſu (§. anteced.) facies magis rubebit (§. 701. *numer.* 3.); oriri facile poterunt dyſpnœæ, pleuritides, hæmorrhagiæ narium, ſudores ſanguinei ſub axillis, immo hæmorrhagiæ ad mammas, ſuras & pollices pedum (§§. 638 & 640.) Quæ etiam ab obſervatis comprobantur.

§. DCCVIII.

Quoniam ſub initio excretionis menſtruæ vaſa uterina non adeo eſſe poſſunt dilatata circa orificia ſua, quam deinceps fit, ſub illius nempe continuatione; atque etiam eadem vaſorum uterinorum orificia admodum patula iterum fieri debent anguſtiora, imminente fine hujus hæmorrhagiæ; hinc jam de ratione conſtabit, quare nimirum in principio fluxus menſtrui fluidum tantum modo tenue, ſerum puta ſubrubrum, in progreſſu vero ſanguis, tandem ſub fine fluidum denuo ſeroſum, rubedine aliqua tinctum, excernatur (§. 701. *numer.* 5.)?

§. DCCIX.

Ob majorem vaſorum uteri ſanguineorum reſiſtentiam in ſanguinem, prima vice ibidem congeſtum, majores quoque motus febriles neceſſarii erunt; ſi imprimis plethora admodum urgeat.

§. DCCX.

Intelligere inde licet (§. anteced.), cur prima excretio menſtrua notabili quadam febre ſtipata eſſe ſoleat (§. 701. *numer.* 6.)?

§. DCCXI.

Quia etiam haud exigua ſanguinis quantitas ab embryone in utero creſcente conſumitur; plethoram igitur admodum urgentem in corporibus gravidarum ſupponere non licebit; niſi forte exceptionem aliquam hic faciant otium & victus maximopere nutriens. Qua propter conſpicua jam erit

ratio (§§. 635 & 633. *numer.* 1.), unde nimirum fieri soleat, ut in gravidis fluxus menstruus ordinarie desideretur, aut si adfuerit, ille tantum intra primos graviditatis menses contigisse observetur (§. 701. *numer.* 8.)?

§. DCCXII.

In corporibus senilibus vasorum sanguineorum orificia jam concrescere solent. Tunc igitur ruptione magis fibrarum in vasis opus erit ad producendum ex illis egressum sanguinis. Qua de caussa hæmorrhagiam quoque largiorem esse oportebit. Ex quibus adeoque cognoscere licebit rationem, quare sanguinis menstrui copiosior excretio circa id tempus ætatis fiat, quod illius plenariæ cessationi imminet (§. 701. *numer.* 9.)?

§. DCCXIII.

Quod denique ad fluxus menstrui effectus tam salutares, quam noxios attinet, qui pro illius differente conditione prodire solent (§. 701. *num.* 12.): id tibi jam facile erit ad intelligendum ex §§. 643. 644. & 645.

§. DCCXIV.

Signa fluxus menstrui pathognomica sufficientia ex illius definitione (§. 338.) patent; prognostica vero eruenda erunt ex §§. 650 & 701. *numer.* 12.

CAPUT XXXIII.
DE
HÆMORRHAGIA UTERI IN SPECIE SIC DICTA.

§. DCCXV.

HUic morbo [§. 339.], teſte experientia, ſubjiciuntur feminæ abortientes; emmenagogis fortioribus abutentes; annoſiores; tandemque læſæ ex utero.

§. DCCXVI.

Nunc modo propoſitæ ſubjectorum conditiones [§. anteced.] ad producendam hæmorrhagiæ uteri in ſpecie talis [§. 339.] cauſſam proximam admodum valent.

§. DCCXVII.

Hæmorrhagia uteri in ſpecie ſic dicta [§. 339.] numerum hæmorrhagiarum inſalubrium ſubibit [§§. 646. 647. 648. 715 & 716.]

§. DCCXVIII.

Ex obſervationibus conſtitit, hæmorrhagiam uteri in ſpecie talem plerumque excepiſſe inflammationes uteri, ulcera ibidem orta peſſimæ indolis, hydropem, tabem corporis, non numquam etiam alios triſtes effectus, qui in genere hæmorrhagias efferas, vel ſubito ſuppreſſas ſequi ſolent [§. 634 *numer.* 4.]

§. DCCXIX.

Ratio hujus eventus, quem hæmorrhagia uteri in ſpecie dicta nanciſci ſolet [§. anteced.], ſatis clare apparet ex §. 644.

§. DCCXX.

Signa pathognomica ſufficientia hæmorrhagiæ uteri in ſpecie talis ex illius definitione [§. 339.] liquent; prognoſtica vero intelligere licebit ex §§. 650. 717 & 718.

CAPUT XXXIV.

DE FLUXU LOCHIALI.

§. DCCXXI.

QUod ad hæmorrhagiæ hujus [§. 340.] hiſtoriam attinet; notari hic merentur ſequentia momenta.

I. Poſt fœtus & ſecundinarum excluſionem ſanguis e genitalibus feminæ profluit; cujus hæmorrhagiæ duratio ſe ad octo, quatuordecim, non numquam etiam plures dies extendere ſolet.

II. Initio ſanguis ſolitæ conſiſtentiæ, dein grumoſus, poſtea tenuis inſtar loturæ carnium, & tandem liquidum quoddam lymphatico-ſeroſum excernitur, ultimo hoc quoque ſubſiſtit.

III. Circa tertium, quartum vel quintum diem gravis quidam fœtidusque odor prodire obſervatur.

IV. Secundinis diu retentis, seu illarum portione aliqua in utero relicta, gravior hæmorrhagia suboriri solet. Idem etiam evenire observatur, admissis caussis, orgasmum humorum provocantibus.

V. Quod si vero caussæ obtineant in corpore, a quibus fluxus iste subito supprimitur, multa tum, eaque gravissima mala oriuntur.

VI. Tum enim ventris intumescentia, febris inflammatoria, maligna, ulcera uteri presso, ut dicunt, pede sequuntur.

VII. Notatu tandem dignum est, fluxum lochialem in illis feminis largiorem oboriri, quibus larga; parciorem vero, quibus parca esse solebat purgatio menstrua.

§. DCCXXII.

Fluxus lochiorum [§. 340.] supponit vasorum uterinorum solutionem, factam quasi per dilacerationem [§. 721. *numer.* 1.]

§. DCCXXIII.

In fluxu igitur lochiali sanguis statim sincerus, prout ex vulnere quodam fieri solet, excernatur, oportebit [§. 721. *numer.* 2.]

§. DCCXXIV.

Quum sanguis extravasatus quiescens tandem coagulari & putrefieri debeat; liquidum ideo erit, cur per fluxum lochialem dein excernatur sanguis grumosus & fœtorem spirans [§. 721. *num.* 3.]?

§. DCCXXV.

Quoniam in fluxu lochiali ſimili ratione ſe res habet cum ſolutione fibrarum, quæ in vaſis uterinis oboritur (§. 722.), quam quæ in vulneribus generatim contingit (§. 424.): hinc etiam ad ſimiles effectus concludere licebit (§. citat.). Unde jam patebit ratio, quare in fluxu lochiali loco ſanguinis humor tandem tenuis, inſtar loturæ carnium, magiſque ſeroſus excernatur (§. 721. *numer.* II.)?

§. DCCXXVI.

Poſita vaſorum diſtenſione, ad illorum ſolutionem adhuc accedente, poni ſimul debet major hæmorrhagia. Hinc retentis in utero fruſtis ſecundinarum, ſeu orgaſmo ſanguinis concitato, hæmorrhagiam graviorem eſſe oportebit (§. 721. *numer* 4.]

§. DCCXXVII.

Originem malorum, quæ a fluxus lochiorum ſubitanea ſuppreſſione provenire ſolent (§. 721. *numer.* 5. & 6.) intelligere licebit ex §§. 644. & 724.

§. DCCXXVIII.

Vaſis ſanguineis, quibus frequens majorque diſtenſio obtigerat, major quoque debilitas tribuenda erit. Ergo fluxus lochialis illis etiam feminis largior ſit, oportebit, quæ largum; parcior vero, quæ parcum expertæ ſunt fluxum menſtruum (§. 721. *numer.* 7.)

§. DCCXXIX.

Fluxus lochialis ſigna pathognomica ſufficientia ex illius definitione ſatis manifeſta ſunt (§. 340.); prognoſtica vero facile inveniuntur, rite conſideratis, quæ jam proſtant in §§. 650. 722 & 721. *numer*. 4. 7.

CAPUT XXXV.

DE

HAEMORRHOIDIBUS FLUENTIBUS INTERNIS IN SPECIE TALIBUS.

§. DCCXXX.

HÆmorrhoides internas fluentes in ſpecie tales (§. 334.), ut experientia docet, antecedere ſolent ſequentia incommoda.

I. Tormina ventris, ſtatulentia, colica, cardialgia.

II. Spaſticæ afflictiones circa meſenterium & reliqua viſcera abdominalia, nec non circa hypochondria; tandemque malum iſchiadicum & ſpaſmus Paracelſi fixus.

III. Quibus adhuc accedunt teneſmus & ſenſus ille incommodus, quem æger intra inteſtinum rectum percipit, atque illi ſimilis, qui a corpore quodam duro & ſpinoſo ibidem hærente produci poſſit; idque tum maxime, ubi qui-

dem gravia adſunt impedimenta, quo minus hæc excretio ſuboriri queat, in illius tamen productionem natura pertinaciter inſiſtere videtur.

IV. Ceſſant denique hæc omnia incommoda, quam primum fluxus hæmorrhoidalis ad perruptionem congruam venerit.

§. DCCXXXI.

Deſcripta in §. anteced. phænomena ex ſanguinis congeſtione ad loca hæmorrhoidalia differente explicari poſſunt (§§. 640. 643. 644. & 645.)

§. DCCXXXII.

Si cauſſæ in corpore obtineant, ſive illæ fuerint externæ, ſive internæ, a quibus ſanguinis congeſtio magis ad vaſa hæmorrhoidalia interna producitur: tum hæmorrhoides internæ fluentes oriri poterunt in omni ſubjecto cujuſcumque ætatis, vel ſexus; quamvis hæc excretio facilius in uno caſu, quam in alio fieri poſſit [§§. 633. & ſequ.]

§. DCCXXXIII.

Non poteris igitur non ex §. anteced. generatim concludere ad conditionem ſubjectorum proclivium ad fluxum hæmorrhoidalem internum. Sed & in ſpecie caſuum ſequentium rationem inde cognoſcere tibi licebit; cur nimirum ſexus potior præ ſequiore, cur ætas conſiſtens & ſenilis, cur gravidæ & hiſtericæ, cur hypochondriaci, cur morbis primarum & ſecundarum viarum laborantes;

cur Venere, alliaceis, cepaceis & remediis aloëticis abutentes, cur diuturnis & violentis equitationibus corpus defatigantes, cur juvenes & infantes ex mesenterio ægrotantes, hæmorrhoidibus internis fluentibus subjiciantur? Quæ omnia cum observatis bene conveniunt.

§. DCCXXXIV.

Sanguis hæmorrhoidum internarum non nisi cum scybalis, quæ plerumque indurata sunt, vel mox post illorum egressum ex intestino recto excernatur, oportebit.

§. DCCXXXV.

Quod porro ad effectus attinet, qui ab hac excretionis hæmorrhoidalis specie in ægrotantis corpore dependent: superfluum foret, huic argumento diu immorari; siquidem omnia, quæ de eodem hic prolixæ disputari possent, ad eadem principia reducenda erunt, quæ supra jam evicta sunt [§§. 643-650.]. Nam eorum beneficio satis accurate de eo judicare licebit, ubi nimirum & quando a fluxu hæmorrhoidum internarum effectus modo salutares, modo insalubres exspectari debeant? Id quod etiam de aliis excretionum hæmorrhoidalium speciebus [§§. 334 & 335.] tenendum erit.

§. DCCXXXVI.

Signa pathognomica sufficientia hæmorrhoidum fluentium internarum, in specie talium, tibi jam

ſuppeditabunt dicta in §. 734. una cum definitione hujus hæmorrhagiæ [§. 334.]

§. DCCXXXVII.

Prognoſin in eadem hæmorrhoidum ſpecie formandam quod denique concernit: de hoc negotio rite expediendo te ſatis quoque edocere poterunt prolata in §. 735.

CAPUT XXXVI.

DE

HÆMORRHOIDIBUS EXTERNIS FLUENTIBUS.

§. DCCXXXVIII.

HÆmorrhoides externas fluentes [§. 333 & 334.], præter recenſita in §. 730. incommoda, hæc quoque antecedere debent, pruritus ani ejuſque tumores, non numquam etiam ſtranguria.

§. DCCXXXIX.

Sanguis hæmorrhoidum externarum fluentium extra tempus alvinæ excretionis evacuari poteſt; quamvis copioſius excerni debeat ſub conatu ad alvum deponendam [§§. 333 & 334.].

§. DCCXL.

Tenesmus, cum hæmorrhoidibus externis connexus, major esse debet tenesmo hæmorrhoidum internarum (§. 333.)

§. DCCXLI.

Hæmorrhoidibus internis difficulter fluentibus, produci possunt hæmorrhoides externæ fluentes (§§. 333 & 334.)

Non solum huic propositioni, sed & duabus proximæ antecedentibus, observationes consentiunt.

§. DCCXLII.

Sub conditione caussarum in corpore obortarum, a quibus congestiones sanguinis in vasis hæmorrhoidalibus externis potius, quam alibi efficiuntur, contingere poterit, ut tandem fluxus hæmorrhoidum externarum proveniat.

§. DCCXLIII.

Hinc jam de ratione subjectorum in genere constabit, quæ huic excretioni hæmorrhoidali præ aliis obtemperare coguntur (§. anteced.) Atque ideo nunc etiam facilia erunt ad intelligendum exempla sequentia; cur post equitationes magis hæmorrhoides istæ proveniant; vel etiam psoriasi infectis, stranguria & dysuria laborantibus, feminis fluore albo inquinatis, tandemque illis oboriri soleant, qui alias caussas externas, orificium ani valdopere irritantes, ibidem admittunt? Quibus respondent observata.

§. DCCXLIV.

Hæmorrhoidum externarum fluentium signa pathognomica sufficientia apparent ex §§. 333. 334 & 739; prognostica vero eruenda sunt illis principiis convenienter, quæ indicantur in §. 735.

CAPUT XXXVII.

DE

HÆMORRHOIDIBUS MUCIDIS.

§. DCCXLV.

Antequam hæmorrhoides tam internæ, quam externæ fluentes oboriuntur, fieri tunc poterit, ut illæ prius hæmorrhoidum mucidarum speciem præ se ferant (§. 335 & 337.)

§. DCCXLVI.

Quorum corporibus sanguis valde serosus inest, illis quoque hæmorrhoides mucidæ perquam familiares esse debent [335.); sed non deficiente conditione illa, quæ generatim ad fluxum hæmorrhoidalem requiritur (§§. 732 & 742.)

Utrasque propositiones proxime antecedentes probat experientia; utpote quæ docet, phlegmaticos æque, ac eos, qui tantum moliminibus hæmorrhoidalibus ut dicunt, continuo vexantur, hæmorrhoidibus mucidis fieri obnoxios.

§. DCCXLVII.

Signa pathognomica sufficientia hæmorrhoidum mucidarum facile patebunt ex definitione [§. 335.]; prognoſtica vero ad eadem fundamenta redibunt, quæ habentur in §. 735.

CAPUT XXXVIII.

DE HÆMORRHOIDIBUS CÆCIS TURGENTIBUS ET TUMENTIBUS.

§. DCCXLVIII.

POſita ſanguinis ad vaſa hæmorrhoidalia congeſtione admodum vehemente, diuque perſeverante; neceſſe tunc potius erit, ut hæmorrhoides cæcæ, tumentes & turgentes ſuboriantur [§. 336 & 337.]

§. DCCXLIX.

Admiſſis igitur cauſſis conſtringentibus anum ſub fluxu hæmorrhoidali; aut ejuſdem impedimentis aliis ſubortis, quæ mox ad vaſa, mox ad ſanguinem ipſum redibunt [§. anteced.], hæmorrhoides cæcæ turgentes & tumentes oriantur, oportebit [§. 337.] Quocum etiam conſentiunt obſervata.

§. DCCL.

Hæmorrhoides cæcæ, tumentes & turgentes facile exulcerari, ac in fiſtulam ani degenerari poſſun

poſſunt (§§. 337. 202. 203. 204. & 201.) Id quod frequentiſſima confirmat experientia.

§. DCCLI.

Signa pathognomica ſufficientia hæmorrhoidum cæcarum, turgentium & tumentium ſunt dolor ad anum & tumor ibidem palpabilis (§. 337.); prognoſticorum vero rationes ab iiſdem fundamentis petendæ erunt, quibus innititur prognoſis ſtaſium & obſtructionum (§. 403.), congeſtionum (§. 407.), inflammationis (§. 421.), ulcerum (§§. 439 & 750.), ſcirrhorum (§. 455.)

CAPUT XXXIX.

DE HÆMORRHOIDIBUS SERPIGINOSIS.

§. DCCLII.

HÆmorrhoides mucidæ ſucceſſu temporis ſerpiginoſæ fieri poſſunt (§§. 335 & 337.)

§. DCCLIII.

Si veneris (§. 344), aut ſcorbuticis (§. 343.), aut ſcabioſis (§§. 225 & 227.), aut quibuſcumque aliis, quorum corporibus humorum acrimonia ineſt [§. 190.], hæmorrhoides mucidæ eveniunt; hæ non niſi ſerpiginoſæ erunt [§§. 335 & 337.]

Q

§. DCCLIV.

Unde jam de conditione ſubjectorum conſtare poterit, quibus ſerpigo hæmorrhoidalis accidere ſolet [§§. 752 & 753.]; in idem conſentiente experientia.

§. DCCLV.

Quoniam ſerum acre eſt, quod excernitur, obortis jam hæmorrhoidibus ſerpiginoſis [§§. 335 & 337.], ſequitur, ut inde varii effectus arroſionis in illis partibus producantur, quibus materia illa acris adhæret. Hinc ad anum & loca vicina facile ſuboriri poterunt exulcerationes & inflammationes, cum varietate effectuum ſuorum. Quocum etiam obſervationes congruunt.

§. DCCLVI.

Signa pathognomica ſufficientia hæmorrhoidum ſerpiginoſarum ex definitione [§. 335.] ſatis aperta ſunt; prognoſtica vero hic poſtulant, ut dictorum in §. anteced. rationem habeas, eadem cum hæmorrhoidum cæcarum, turgentium & tumentium prognoſi collaturus [§. 751.]

CAPUT XL.

DE FLUXU HEPATICO.

§. DCCLVII.

EXperientia docet, fluxum hepaticum [§. 312.] pati ſubjecta, quæ ad hæmorrhoides prona ſunt, ſed ſimul obnoxia fiunt diarrhoeis ſeroſis & bilioſis [§. citat.]

§. DCCLVIII.

Per obſervationes porro conſtitit, quod ad ſolita fluxus hepatici ſymptomata referri debeant ſequentia.

I. Deprehenduntur ſcilicet colica, flatulentia, ſpaſmus Paracelſi fixus, malum iſchiadicum & lumbago.

II. Dolor inteſtinorum in latere dextro magis adeſſe, atque hepar verſus ſe extendere ab ægro percipitur.

III. Pruritus ani & teneſmi afflictiones ægrotanti ſæpius fiunt moleſtiſſimæ.

§. DCCLIX.

Diarrhoeæ non cruentæ, præſertim ſeroſæ & bilioſæ, una cum diſpoſitione ad hæmorrhoides, fluxum hepaticum producere poſſunt [§. 312.]

§. DCCLX.

In fluxu hepatico inteſtinum duodenum & colon præ reliquis pati videntur [§. 758. *num.* 2.]

§. DCCLXI.

Quia fluxus hepaticus non niſi ſpecies diarrhoeæ eſt [§. 312.]; neque aliter corpori ingeneratur, quam ſub conditione diſpoſitionis ad hæmorrhoides [§. 757.]: patebit ideoque ratio phænomenorum, ad §. 758. *num.* I. annotatorum [§§. 730 & 738.]

§. DCCLXII.

Ob ſeri vel bilis acrimoniam, quæ in fluxu hepatico diſpoſitioni ad hæmorrhoides accedit [§. 757.], majores quoque erunt moleſtiæ pruritus ani & teneſmi [§§. 122. *proleg.* 730. 738 & 758. *numer.* 3.]

§. DCCLXIII.

Ex quibus igitur ſatis clare elucet [§§. 761 & 762.], quanta fluxus hepatici convenientia ſit cum fluxu hæmorrhoidali.

§. DCCLXIV.

Fluxus hepatici ſigna pathognomica ſufficientia ex illius definitione [§. 312.] cognoſcere poteris; prognoſtica vero ex iiſdem principiis derivare tibi licebit, quæ ſibi vindicavit hæmorrhoidum fluxus [§§. 737. 744. & anteced.]

CAPUT XLI.
DE
PALPITATIONE CORDIS.

§. DCCLXV.

Cordis palpitatio [§. 145.], ſicuti experientia commonſtrat, illis præcipue ſubjectis admodum familiaris eſſe ſolet, ubi ſequentes conditiones deprehenduntur.

I. Quæ ſcilicet plethoram præſertim, ſpiſſam, in corpore alunt.

II. Quæ malo hypochondriaco, hyſterico, flatulentiis, morbis pulmonum vexantur.

III. Quibus febris, imprimis ſanguinea, imminet.

IV. Quæ gravibus animi pathematibus, præcipue terrori & triſtitiæ, patent.

V. Quibus hæmorrhagiarum aut excretionum aliarum naturalium ſuppreſſiones oboriuntur; vel ubi etiam adſuetæ evacuationes artificiales, ſanguinis potiſſimum, negliguntur.

VI. Quæ polypum cordis, vel vaſorum eidem annexorum habent.

VII. In ſexu tandem ſequiore frequentius adeſſe obſervatur morbus iſte, quam in potiore.

§. DCCLXVI.

Quo jam oborto morbo, phænomena ſequentia comparent.

I. Obſervantur nempe anxia reſpiratio, faciei pallor, lipothymia, languores artuum.

II. Cordis pulſatio tanta non numquam fit, ut ſonitus percipiantur.

III. Remiſſo morbo, ingentes virium proſtrationes ſentiuntur.

IV. Ab excretionibus naturalibus, præſertim hæmorrhagiis, morbus haud parum imminui, ſæpius etiam in commodum ſanitatis prorſus ſolvi obſervatur.

§. DCCLXVII.

Ortus cauſſæ proximæ palpitationis cordis (§. 149.) ex illis ſubjectorum determinationibus, quæ in §. 765. deſcribuntur, haud difficulter intelligi poterit.

§. DCCLXVIII.

Quoniam cor palpitat, dum in illius ventriculos ſanguis cum impetu irruit (§. 149.); neceſſe igitur erit, ut cordis diaſtole ideo vehemens fiat, eamque ſimilis quoque conditionis ſyſtole ſubſequatur; ita tamen, ne hic deficiat notabilis quædam varietas ratione temporis & gradus, quo mutationes iſtæ oboriuntur.

§. DCCLXIX.

Ex §. anteced. haud difficilis jam erit ad intelligendum ratio ſymptomatum, deſcriptorum in §. 766. Anxiæ vero reſpirationis ſymptoma ad-

nuc magis ibi augebitur, ubi ad producendam cordis palpitationem caussæ veniunt (veniunt vero frequenter), quibus jam per se consideratis vis inest lædendi respirationem (§. 765. *numer.* 2 & 5.)

§. DCCLXX.

Palpitationis cordis signa pathognomica sufficientia ex ejus definitione (§. 145.) facili opera colligere licebit.

§. DCCLXXI.

Prognosis vero ejusdem morbi requirit, ut rationem habeas momenti annotati ad §. 766. *num.* 4. illud rite comparaturus cum caussis morbi, quæ enarrantur in §. 765. Hoc enim modo tibi satis perspicua fiet conditio eventus præsagiendi. Bonam nempe morbi solutionem promittent excretiones naturales nunc modo allegatæ, si ita respondere videantur caussis, ut harum imminutiones, vel etiam plenariæ sublationes inde produci possint. Dum e contrario parum boni de palpitatione cordis prædicere licebit, excretionibus istis vel plane deficientibus, vel præsentibus quidem, sed parum accommodatis ad morbi caussas removendas. Tum enim morbi symptomata (§. 766.) adeo increscere poterunt, ut, respiratione mirum in modum præclusa, mors insequatur, eaque non numquam inopinata.

CAPUT XLII.
DE
PHTHISI PULMONALI.

§. DCCLXXII.

EXperientia docet, phthisi pulmonali (§. 291.) obnoxia fieri corpora sequentis conditionis.

I. Ubi nimirum congestiones frequentes & pertinaces ad pectus observare licuit.

II. Ætas juvenilis huic malo præ reliquis obtemperare cogitur.

III. Quod etiam de sexu sequiore notandum erit; utpote quem potiore magis ab eodem morbo comprehendi, accurata edocet observatio.

§. DCCLXXIII.

Neque minus de morbi hujus symptomatibus sequentia per experientiam constiterunt.

I. Præter dyspnœam, tussis adest, eaque modo humida, modo sicca.

II. Non numquam tamen exstiterunt exempla ægrotantium ex phthisi pulmonali, ubi nulla tussis aderat.

III. Materia, quæ tussi rejicitur, plus minusve fœtet, mox tenuis, mox crassioris consistentiæ est, mox etiam striis sanguineis tincta apparet.

IV. Motus febriles comparent, iique poſt paſtum magis exacerbati.

V. Phthiſis tandem pulmonalis tranſire ſolet in tabem corporis, de tempore in tempus magis increſcentem. Sed hic etiam frequenter oboriri ſolent maſſæ humorum corruptiones; pulmonum inflammationes; tandemque catarrhi ſuffocativi inſultus.

§. DCCLXXIV.

A conditionibus ſubjectorum, quæ deſcribuntur in §. 772. phthiſin pulmonalem derivare licebit [§. 291.]

§. DCCLXXV.

Hinc etiam de ratione caſuum illorum conſtabit, ubi præ reliquis phthiſin pulmonalem ſubortam fuiſſe, frequens docuit obſervatio. Quem numerum ſubeunt defluxiones catarrhi ad pulmones; hæmoptyſis; tuſſis pertinax; contuſiones pectoris; inſpirationes partium acrium, ut acidarum, arſenicalium; exanthematum repulſiones; depoſitiones materiæ febrilis ad pulmones; abuſus bechicorum, ſive illorum remediorum, quibus vis ineſt ad augendam expectorationem; validæ exſpirationes; potus frigidus, corpori admodum calenti ingeſtus, inflammationes pulmonum; fluxus menſtrui, hæmorrhoidum atque aliarum quoque hæmorrhagiarum ſuppreſſiones.

§. DCCLXXVI.

Quoniam phthiſis pulmonalis ulcus in pulmonibus ſupponit [§. 291.], conſequens ideo erit, ea

omnia hic quoque applicari posse, quæ supra de ulceribus generatim disputata sunt (§§. 430 & sequ.) Quibus si adhuc accesserint ea, quæ ex consideratione locorum exulceratorum in phthisi pulmonali sequuntur, atque ex iis facile intelliguntur, quæ de pulmonum singulis functionibus in Physiologicis traduntur, nullum tunc dubium erit, quin inde proveniat congruum principium ad theoriam phthisis pulmonalis.

§. DCCLXXVII.

Atque huic jam fundamento innititur propositionum sequentium veritas.

I. Ob continuum quidem, qui ad loca exulcerata fieri solet, humorum affluxum, sed ratione gradus diversum, necesse erit, ut etiam ulceris status idem continuo permanere nequeat. Unde jam patebit ratio diversarum illarum qualitatum, quas materia phthisica præ se fert [§. 773. *num.* 3.)

II. Ob pulmonum læsionem, quæ in phthisi pulmonali obtinet (§. 291.), necessaria erit dispnœa (§§. 294. & 773. *num.* 1.); ad quam vero magis adhuc augendam hic contribuere poterunt asthmatis, inflammationis pulmonum, nec non catarrhi suffocativi accessiones (§§. 294. 572. 615. 773. *numer.* 5.]

III. Fieri poterit, ut materia ulceris pulmonalis ad bronchia horumque ramos modo penetret, modo non; prout nimirum vel situs fuerit ulce-

ris, vel materiæ ulcerosæ conditio. Hinc jam satis constare poterit de ratione tussis [§§. 295. & 296.], quæ mox humida, mox sicca in phthisicis adest, interdum etiam plane deficit [§. 773. *numer.* 1. & 2.)

IV. Quia motus febriles in phthisicis post pastum magis exacerbari deprehenduntur [§. 773. *numer.* 4.): necesse erit, ut illorum caussæ tunc temporis magis increscant. Provenient vero hæc caussarum incrementa a chyli per pulmones difficili transitu. Læsis enim pulmonibus, chylus non satis subigi poterit sanguini, eidemque similis fieri. Inerit tunc cruda aliqua materia vasis pulmonalibus, in iisdem majores adhuc stases, obstructiones & distensiones, tamquam motuum febrilium caussas, productura. Ut de ea ventriculi & intestinorum conditione hic nihil dicatur, quæ in caussam exacerbandarum congestionum ad pulmones jam læsos transit, atque haud raro phthisicis accidere solet.

V. Læsis visceribus, lympha in corpore generatur non satis apta ad nutriendum; id quod eo magis valebit de læsionibus, quæ in viscere tam nobili, ut pulmones sunt, oboriuntur. Sed defectus fluidi apti ad nutriendum corpus ad caussas atrophiæ in genere pertinet (§. 278.) Hinc jam liquida erit ratio, quare nimirum corpora ægrotantium ex phthisi pulmonali tandem contabescant [§. 773. *numer.* 5.]? Quorsum adhuc accedit lymphæ insignis illa jactura, quæ hic

fieri solet per auctas excretiones, easque satis conspicuas febre ad gradum paullo intensiorem perducta; exemplo diarrhoeæ colliquativæ [§. 312.]

VI. Putridum in peculiaribus quibusdam locis corporis hærens, inde tandem per vasa inhalantia ad massam sanguineam, auctis præcipue motibus febrilibus, transire, eamque corrumpere poterit. En rationem depravationis humorum in phthisicis observatæ [§. 773. *numer.* 5.]! Siquidem putridi existentiam in phthisicis foetor materiæ, quæ tussi rejicitur, satis probat [§. citat. *numer.* 3.]

VII. Sed ex eodem quoque principio, quod exstat sub *numer. præced.* explicare licebit casus alios singulares, circa phthisin pulmonalem non numquam observatos. Quo nomine præsertim notari merentur phthisis pulmonalis per contagium translationes ab uno ad alium, nec non exanthematum, ut purpuræ, productiones in phthisicis. Utrumque facile evenire poterit, sub dispositionis ad phthisin pulmonalem atque insignis cujusdam corruptionis humorum in phthisicis conditione.

VIII. Inflammationis pulmonum ortus in phthisicis [§. 773. *numer.* 5.] rationem sui agnoscit, petendam ab humorum affluxu ad pulmones, tamquam loca exulcerata, multoties supra modum exacerbato. Unde jam peior fiet status ægrotantium ex phthisi pulmonali [§. 437.]

IX. In phthisi pulmonali obveniunt permultæ caussæ, quæ ex ipsa morbi natura oriuntur, atque idoneæ sunt, ad debilitatem pulmonibus adeo inducendam, ut ibi tandem paralysis [§. 270.] sequatur; id satis probantibus, quæ jam prolata sunt de morbo isto pulmonali. Quare etiam de ratione catarrhi suffocativi (§. 289.] supervenientis phthisi pulmonali [§. 773. *numer.* 5.] constabit. Tantum vero abest, ut hic nullum locum habeant caussæ externæ, ut potius vel maximam sui considerationem mereantur. Sic orta tempestate humida, phthisicis catarrhum suffocativum supervenisse, eisdemque præter omnem expectationem diem supremum indixisse, fida sæpius docuit observatio.

§. DCCLXXVIII.

Signa pathognomica sufficientia phthysis pulmonalis esse poterunt, præter dyspnœam, materiæ ulcerosæ rejectiones per tussim, vel etiam fœtida exspiratio, quæ a materiæ ulcerosæ præsentia in pulmonibus proficiscitur [§. 773. *numer.* 1. 2. & 3. Hinc necesse erit, ut hic prius removeantur caussæ aliæ hujus fœtoris, quem sub exspiratione percipere licet: exemplo putridæ cujusdam materiæ, quæ ventriculo aut cavitati oris inesse potest. Si ad hæc signa adhuc accesserit insigne quoddam motuum febrilium augmentum, una cum virium corporis hujusque voluminis decremento satis conspicuo; tunc ad phthisin pulmonalem majoris gradus exinde colligere licebit.

§. DCCLXXIX.

Quæ hucusque exposita sunt de phthisi pulmonali, ea quoque sufficere poterunt inveniendis signis prognosticis ejusdem morbi. Præcipue hic valebunt prolata in §§. 772. 773 & 777. Unde jam sequentes propositiones hoc loco derivare licebit; quarum veritati etiam observationes apprime respondent.

I. Quod ad differentiam ætatis attinet, phthisis pulmonalis juvenibus morbus major erit, quam senibus.

II. Mensium aut hæmorrhoidum fluxus phthisicis ita obortus, ut inde congestiones ad pectus insigniter imminuantur, miseris non exiguo levamento erit.

III. Tussis moderata, atque imprimis illa, cujus ope materia ulcerosa rejicitur, phthisicis proficua erit. Sed e contraria parte sese hic habebit cum tussis nimia exacerbatione, aut illius plenario defectu.

IV. Quo major ille fœtor est, quem spargit materia ulcerosa, a phthisicis per tussim rejecta, aut qui sub exspiratione ex eodem morbo ægrotantium prodire observatur, eo pejor conditio erit morbi.

V. Phthisicis tandem funestum morbi eventum fore, indicabunt difficultates respirandi admodum increscentes; motus febriles supra modum aucti; eximiæ virium prostrationes; insignes corporis extenuationes; varia vitia, quæ in

ſenſibus internis vel externis prodire ſolent, ut exempli loco alienationes quædam mentis ſunt, memoriæ debilitas, ſurditas, obnubilationes viſus, hujuſque indolis alia.

Plura præſagiendi fundamenta, quæ hic quoque valebunt, eo loco exſtabunt, ubi differendum erit de febre lenta & hectica.

CAPUT XLIII.
DE TOPHIS PULMONUM.

§. DCCLXXX.

EXperientia docet, tophis pulmonum [§. 290.] idem hominum genus obnoxium fieri, quod pronum eſt ad phthiſin pulmonalem [§. 772.] Notari etiam meretur, quod lapicidis quaſi familiaris eſſe deprehendatur idem morbus.

§. DCCLXXXI.

Humoribus ad partem aliquam congeſtis, ſcirrhi ibidem oriri poterunt [§. 442.]. Ab humorum itaque congeſtionibus ad pulmones ortum tophorum pulmonalium [§. 290.] derivare licebit. Unde etiam liquida erit ratio, quare nimirum ea conditio corporis, ſub qua alias phthiſis pulmonalis eidem ingeneratur [§. 772.], ad tophorum quoque pulmonalium productionem valeat [§. anteced.] ? Sed & obſtructiones vaſorum ad cauſſas ſcirrhorum pertinent [§. 442.] Nonne inde ſatis perſpicuum erit, cur etiam in lapicidis tophorum pulmonalium fre-

quens ortus esse obſervetur? Arena enim illa tenuiſſima, quæ ſub hac artificibus iſtis ſolita lapidum conformatione ad auram prodit, atque per inſpirationem illorum pulmonibus infertur, ut cauſſa externa obſtructionis ibidem agere poterit.

§. DCCLXXXII.

De tophis pulmonum ea omnia valeant, oportebit, quæ de ſcirrhis in genere prædicantur [§§. 290. 440 & ſequ.]. Quibus ſi ea adhuc addantur, quæ a conditione locorum hoc morbo affectorum dependent, facili tunc & congrua ratione explicari poterunt tophorum pulmonalium ſymptomata.

§. DCCLXXXIII.

Hinc vi §. anteced. conſequitur; in tophis pulmonum non deficere motus febriles; neque deſiderari dyſpnœam, una cum reniſu quodam, qui inter reſpirandum in pulmonibus ſub aëris in eoſdem ingreſſu percipitur; ibidem porro adeſſe tuſſim magis ſiccam & ſonoram; tandemque etiam fieri poſſe, ut, tophis pulmonum exulceratis, morbus in phthiſin pulmonalem tranſeat, eamque ideo pernicioſiſſimam, quia ulcera ex ſcirrhis nata pravæ indolis eſſe ſolent.

§. DCCLXXXIV.

De tophorum pulmonalium ſignis pathognomicis ſufficientibus conſtare poterit ex §. anteced. Præſertim vero ad dyſpnœam deſcriptæ ibidem conditionis animus dirigendus erit.

§. DCCLXXXV.

§. DCCLXXXV.

Prognosi hoc loco formandæ non alia principia respondebunt, quam quæ continentur in §§. 455 & 779.

CAPUT XLIV.
DE
VOMICA PULMONUM.

§. DCCLXXXVI.

VOmica pulmonum (§. 291.) requirit inflammationem pulmonum sibi præviam (§. 414.)

§. DCCLXXXVII.

Quare inflammationis caussæ hic considerandæ erunt, & vomicæ pulmonum symptomata ex apostematis & partis natura, cui illud inest, derivanda (§. anteced.)

§. DCCLXXXVIII.

Hinc necesse erit, ut, præter dyspnœam, in vomica pulmonum adsint motus febriles; dolores pectoris intercurrentes; rejectiones puris per tussim (§. anteced); sed etiam ejusdem morbi in phthisin pulmonalem degenerationes possibiles (§. 431.)

§. DCCLXXXIX.

Ex pulmonum inflammatione prægressa, atque ex descriptis in §. anteced. effectibus, qui illam

excepiſſe deprehenduntur, vomicæ pulmonum ſigna pathognomica ſufficientia depromenda erunt.

§. DCCXC.

Ratione vero prognoſis in eodem morbo ſequentia tenenda erunt.

I. Puris moderatæ per tuſſim rejectiones ſalutares ſunt; quæ vero cum impetu fiunt, nocent.

II. Vomicam pulmonum facile tranſituram eſſe in phthiſin pulmonalem, indicabit pus tuſſiendo excretum, quod valde fœtet. Quare tunc prognoſis proſequenda erit ſecundum §. 779.

III. Quando vero ex vomicæ pulmonum ruptione materia purulenta in cavum potius thoracis effunditur; tum empyema in ſpecie aderit (§. 292.); de cujus prognoſi agendum erit in Cap. ſequ.

CAPUT XLV.

DE EMPYEMATE IN SPECIE TALI.

§. DCCXCI.

AD empyema in ſpecie ſic dictum (§. 292.) neceſſariæ erunt prægreſſiones inflammationis ſubortæ vel in pulmonibus, vel in pleura, vel in mediaſtino, vel in pericardio, vel in ſuperiore diaphragmatis ſuperficie (§. 414.)

§. DCCXCII.

Hujus adeoque morbi symptomata ad eas rationes redibunt, quas tam a conditione partium hic affectarum, quam etiam a puris ibidem effusi quantitate & qualitate abstrahere licebit (§. anteced.)

§. DCCXCIII.

Ergo empyema in specie tale stipatum erit dyspnœa & sensu ponderis in eo latere, cui incumbitur; non deerunt ibidem motus febriles & angustiæ præcordiorum; hic tandem fieri poterit, ut morbus in phthisin pulmonalem facile transeat (§. anteced.)

§. DCCXCIV.

Empyematis in specie sic dicti signa pathognomica sufficientia cognosci poterunt ex partium, quæ intra cavitatem thoracis continentur, inflammatione præcedente (§. 791.), eamque insequentibus effectibus illis, qui in §. anteced. exponuntur; inter quos vero præcipue notari merentur dyspnœa & ponderis cujusdam perceptio intra pectus ad illud latus, cui incumbunt ægrotantes.

§. DCCXCV.

Quod denique ad prognosin in eodem morbo inveniendam attinet; tunc huic scopo sufficient principia, quæ in se comprehendunt §§. 792 & 793. Unde jam propositiones sequentes deducuntur, hoc loco notandæ.

I. A magnitudine dyspnoeæ & doloris, quem in thorace inter respirandum percipit æger ad morbi majus periculum valebit consequentia.

II. Quo magis retardatur materiæ empyematicæ excretio; eo majores accessiones periculi ad statum ægrotantis fieri poterunt.

III. Hujus materiæ excretionem e corpore natura ordinario perficere molitur per motus febriles. Nam hoc modo in genere fieri potest, ut id, quod inerat corpori tenax & viscidum adeo resolvatur, ut per vasa absorbentia ad massam humorum transeat, inde deponatur ad loca excretoria, horumque actione tandem ejiciatur e corpore. Atque hoc imprimis per alvi & urinæ excretiones factum fuisse, observationes edocuerunt. Non numquam vero, teste experientia, hæc materiæ empyematicæ evacuatio per vias quasi extraordinarias contigit; foramine nimirum intra costarum interstitia suborto ex ruptione abscessus, producti ab inflammatione musculorum intercostalium.

IV. Præter hæc etiam non negligenda hic erunt ea momenta, quæ ratione prognosis in phthisi pulmonali ad §. 779. prolata exstant.

CAPUT XLVI.
DE
CATARRHO SUFFOCATIVO.
§. DCCXCVI.

Catarrhus suffocativus (§. 289.) accidere observatur subjectis, quorum conditio corporis ad sequentia momenta redit.

I. Ubi generatim dispositiones quædam ad paralysin, atque imprimis ad apoplexiam deprehenduntur.

II. Ubi catarrhus atque aliæ seri delationes ad bronchia, ut mucidæ oppletiones pectoris, frequenter fieri observantur.

III. Ubi de phthisi pulmonali aut alio pulmonum morbo, vel etiam affectibus asthmaticis satis jam constitit.

II. Ætas tandem senilis & infantilis, nec non corpora magis obesa huic morbo præ reliquis obtemperare coguntur.

§. DCCXCVII.

Ex observationibus porro constat, in catarrho suffocativo dyspnœam usque ad metum suffocationis augeri; adesse stertores, eosque sub incremento morbi magis conspicuos; faciem ægrotantis apparere turgidam, una cum splendore oculorum quasi vitreo; loco tussis solos modo conatus ad tussiendum deprehendi, eosdemque mox fieri evanidos,

morbo ad paulo majorem gradum perducto; musculos, dilatationi & coarctationi thoracis inservientes hic simul a paralysi sæpius affici; tandemque morbi hujus atrocissimi insultus fieri repentinos & maximos circa noctem, aut quando cæli status humidus est.

§. DCCXCVIII.

Ab indicatis in §. 796. conditionibus subjectorum derivare licebit ortum catarrhi suffocativi (§. 289.)

§. DCCXCIX.

Unde jam de illorum quoque casuum ratione satis constare poterit, ubi nimirum frequens edocuit observatio, subito fuisse subortum catarrhum suffocativum, eumque ut plurimum eventus funesti. Hujus indolis præ reliquis sunt exanthematum regressiones ad loca interiora, maxime in febre maligna, nec non tumorum serosorum repulsiones cum impetu factæ (§§. anteced. & 796. *num.* 2.)

§. DCCC.

Posita pulmonum debilitate eminentis gradus, sive posito catarrho suffocativo (§. 289.), necesse erit, ut etiam suboriantur extravasationes seri intra bronchia, una cum spasmo ad tracheam (§§. 180 & 603.)

§. DCCCI.

Exinde igitur satis conspicua erit ratio (§. anteced.), quare nimirum stertores in catarrho suf-

ſocativo prodeant, tantæque difficultates reſpirandi ibidem ſuboriantur, ut facies turgeſcere & oculi inſtar vitri ſplendere videantur (§. 797.)?

§. DCCCII.

Non deſunt cauſſæ externæ, quibus vis ineſt debilitandi pulmones; exemplo aëris humidi, qui inſpiratur. Hujuſmodi vero cauſſarum acceſſiones ad catarrhum ſuffocativum non poterunt non exacerbare morbum. Quare etiam neceſſe erit, ut catarrhi ſuffocativi invaſiones circa noctem, vel ingruente tempeſtate humida, ſæveriores ſint (§. 797.); ſiquidem eo tempore aër magis humidus eſt, qui per inſpirationem ad pulmones defertur.

§. DCCCIII.

Præter cauſſas externas (§. anteced.), internæ quoque aderunt, a quibus catarrhus ſuffocativus augeri poteſt; exemplo ſeri intra bronchia nimis coacervati (§. 800.), illa diſtendentis, eoque modo debilitantis. Tunc igitur contingere poterit, ut, factis catarrhi ſuffocativi majoribus incrementis, illi adhuc accedat paralyſis muſculorum, quos natura deſtinavit ad ampliandum coarctandumque thoracem (§§. 608 & 797.)

§. DCCCIV.

Tuſſis eam conditionem partium, quæ proxime inſerviunt exſpirationi, requirit, ut in illis producatur actio ad exſpirandum neceſſaria, & quidem ad gradum majorem, quam in ſtatu ſanitatis fit

(§§. 295 & 296.) Sed partibus iſtis a paralyſi affectis (§. anteced.), neque exſpirationis actio ſupra modum fieri poterit. Ex quibus jam intelligitur, quare tuſſis in catarrho ſuffocativo admodum exigua ſit, vel etiam ſub morbi augmento plane deficiat (§. 797.)?

§. DCCCV.

Catarrhi ſuffocativi ſigna pathognomica ſufficientia cognoſcere licebit ex §. 797. Præ reliquis vero attentionem hic merentur ſtertores, ſub reſpiratione admodum præcluſa percepti, una cum habitu illo externo vitreo oculorum, & tuſſi admodum exigua, vel prorſus nulla, in ægrotante deprehenſis.

§. DCCCVI.

Similiter etiam de ſignis prognoſticis in catarrho ſuffocativo inveniendis ſatis conſtare poterit ex iis, quæ hactenus de eodem morbo prolata ſunt. Hic igitur locum habebunt propoſitiones ſequentes.

I. Ob loci præſtantiam, cui ineſt paralyſis, catarrhus ſuffocativus ſine dubio ad morbos pertinebit periculo pleniſſimos (§. 289 & 609.)

II. Quo major defectus tuſſis eſt in catarrho ſuffocativo; & quo magis ibidem invaleſcere obſervantur ſtertores; eo major metus eſt, fore, ut æger ſuffocatione pereat. E contraria vero parte tuſſis, qua imprimis mucus e bronchiis

& trachea rejicitur, miſeris ſpem ſalutis offert (§§. 801 & 804.)

III. Sed hic etiam proficere poterunt excretiones aliæ, quæ nimirum ſubtractioni cauſſarum, ad catarrhi ſuffocativi productionem in caſu obvio concurrentium (§. 796.), reſpondent Quorſum exempli gratia pertinebunt excretiones ſudoris, alvi, hæmorrhoidum fluxus, purgatio menſtrua, vomitus.

IV. Quoniam febris, quæ ad determinatum gradum affectibus paralyticis ſupervenit, eoſdem ſalutariter ſolvere ſolet (§. 611.) ne hoc quidem momentum circa prognoſin in catarrho ſuffocativo negligendum erit [§. 289.)

V. Præter hæc omnia neceſſe erit, ut in præſagiis catarrhi ſuffocativi partim ad vires ægrotantium, partim etiam ad cauſſæ morbi qualitatem reſpicias. Nam hoc modo intelligi poterit, an in caſu obvio natura ſufficiat ad eluctandum, nec ne? an morbus aliquoties ſuperatus quidem, mox vero rediturus ſit, ita, ut tandem natura ſuccumbere cogatur?

CAPUT XLVII.

DE TUSSI.

§. DCCCVII.

TUſſis (§. 295.) oboriri deprehenditur ſub varia conditione cauſſarum, quæ tamen in eo con-

veniunt, ut inde intensior actio produci possit in bronchiis vel trachea, tamquam in partibus, quæ exspirationi proxime inserviunt. Sed ad hoc momentum redit caussa proxima tussis (§. 296.). Clariora hæc fient ex sequentibus.

§. DCCCVIII.

Morbi viscerum abdominalium, congestionibus pulmones versus stipati, tussim producere possunt [§. 296.]

§. DCCCIX.

Quare in malo tam hypochondriaco, quam hysterico, in morbis intestinorum, ventriculi & mesenterii, nec non in passionibus hæmorrhoidum & catameniorum, tussis proveniat, oportebit. Quocum consentiunt observata.

§. DCCCX.

Si qui alii morbi, partes externas affligentes, congestiones determinant ad pulmones, tum quoque possibilis erit tussis (§. 296.)

§. DCCCXI.

Hinc rheumatismis & arthritidibus tussis persæpe accedat, necesse erit. Quocum etiam conveniunt observationes.

§. DCCCXII.

Si a morbis partium, intra fauces contentarum, vel ad tracheam sitarum, congestiones redeunt ad pulmones: quin tunc quoque suboriatur tussis, nullum dubium erit (§. 296.)

§. DCCCXIII.

Quare in tumoribus faucium & colli haud infre- uentes erunt tuſſes; in idem conſentiente expe- entia.

§. DCCCXIV.

Si morbi in pulmonibus ita exiſtunt, ut hic ſi- ul non deficiat congeſtio ad idem viſcus: tuſſis tus tunc etiam neceſſarius erit (§. 296.)

§. DCCCXV.

Conſpicuum inde eſt, cur in phthiſi pulmonali, tophis & vomica pulmonum, horumque in- mmatione tuſſis deprehendatur?

§. DCCCXVI.

Si quæ aliæ cauſſæ externæ ad laryngem admit- ntur, hanc partem adeo afficientes, ut hinc in ea- em producatur actio intenſioris gradus, tum quo- ue tuſſis oboriatur, neceſſe erit.

§. DCCCXVII.

Patet inde, cur, teſte experientia, ab irritationi- us faucium, quæ vel ope digitorum, vel per de- pſum boli intra tracheam, vel per inſpirationem mi aut vaporis cujuſdam acris fiunt, tuſſis actutum ovocetur?

§. DCCCXVIII.

Si fluida, quæ ad pulmones deferuntur, fuerint ria, tuſſis inde ſubnata reliquis ſemper erit ve- mentior §.(296.)

§. DCCCXIX.

Exinde jam cognoſci licebit (§ anteced.), quare nimirum tuſſis ferina, ſive quæ gradu vehementiæ eminet, cum exanthematibus connecti, vel iis demum retropulſis, aut etiam ſudoribus ſuppreſſis, concitari haud raro deprehendatur?

§. DCCCXX.

A quacumque tuſſi congeſtiones ad caput & pulmones prodeunt. Hinc fieri poterit, ut ob tuſſi acerbitatem oriantur obnubilationes viſus, vertigo, aurium ſuſurrus & tinnitus, atque in pulmonibu adhuc integris efficiantur læſiones, morbique ali ejuſdem viſceris; in idem conſentiente experientia

§. DCCCXXI.

Sub tuſſi muſculorum abdominalium actio inten ſioris gradus conſequitur; ideoque efficitur, ut par tes, intra abdominis cavitatem contentæ, valid comprimantur. Ex tuſſi igitur vehementi & diutu na perquam facile oriri poterunt herniæ, & in gra vidis abortus. Id quod etiam cum obſervationibu congruit.

§. DCCCXXII.

Sed fieri etiam poterit, ut motus ſanguinis pr greſſivus per viſcera abdominalia, ob illorum ſu cuſſationem, quæ inter tuſſiendum fit, magis accel retur. In morbis itaque viſcerum abdominaliun qui retardato ibidem motui progreſſivo ſanguin originem ſuam debent, tuſſis proficere poteri

ut exempli gratia in affectibus hypochondriacis atque hystericis (§. 331.)

§. DCCCXXIII.

Tussis signa pathognomica sufficientia ex morbi definitione [296] patent.

§. DCCCXXIV.

Signa vero prognostica ejusdem morbi invenire poteris, rite æstimaturus morbi gradum & caussarum, a quibus ille in casu obvio productus esse deprehenditur, conditiones. Quare hic quoque utilitatem suam habebunt propositiones, quæ in §§. præcedentibus hujus Cap. continentur.

CAPUT XLVIII.

DE MALO HYPOCHONDRIACO.

§. DCCCXXV.

IN malum hypochondriacum [§. 331.] incidere observantur subjecta indolis sequentis.

I. Quæ potius in ætate juvenili aut virili versantur.

II. Quævitam degunt otiosam; venere abutuntur; corpore incurvato negotia sua administrare, aut alias compressionis hypochondriorum caussas externas admittere solent.

III. Quæ appetitui nimis indulgent; victu magis sicco utuntur; aut in nimia quantitate

ingerunt esculenta vel potulenta, unde ventriculus & intestina admodum relaxari & distendi possunt, qualia exempli caussa sunt pinguia, potus aqueus calidus, cerevisia non satis defecata, vina juniora, legumina, atque hujus indolis alia.

IV. Quæ plethoram alunt spissam; excretiones sanguineas vel plane suppressas, vel nimias patiuntur.

§. DCCCXXVI.

Recensitæ ad §.anteced. determinationes subjectorum caussam proximam mali hypochondriaci [§. 332] producere possunt.

§. DCCCXXVII.

Docent porro observationes, malum hypochondriacum sequentibus symptomatibus stipatum incedere.

I. Adsunt dolores tendentes, prementes, angustantes sub costis spuriis, maxime in hypochondrio sinistro.

II. Isti doloris sub costis spuriis continui quidem sunt, sed diversi quoad gradum; dum mox exacerbari, mox remittere deprehenduntur.

III. Plerumque hypochondrium sinistrum, non numquam etiam dextrum, inflatum esse apparet. Deprehendi tunc simul solent colica, cardialgia, immo & soda, tamquam incommoda ad majorem gradum in ægro increscentia, ad cujus hypochondrium dextrum inflatio præcipue fit conspicua.

IV. Appetitus hypochondriacorum varius eſt; nam modo anorexia, modo addephagia obſervatur.

V. Frequenter hic ſuboriri obſervantur flatulentia, difficilis reſpiratio, ructus, iique mox ſub paſtu, mox poſt eumdem, aquorum exploſione agri aliquid levari videntur.

VI. Neque etiam infrequenter accidere ſolent hypochondriacis palpitationes cordis, tuſſis, cephalalgia, vertigo, ſtupor capitis, memoriæ debilitas & augmentum, immo etiam varri alii phantaſiæ effectus, non numquam mirifici.

VII. In ſolita narium ſiccitas, copioſiores ſalivæ excretiones haud raro obſervare licet in eodem ægrorum genere.

VIII. Quod porro ad adſpectum hypochondriacorum attinet: ille mox pallidus, mox fuſcus, mox etiam ruber eſſe deprehenditur.

IX. Extrema vero loca corporis modo frigent, modo incaleſcunt.

X. Urina, quæ excernitur, plerumque tenuis & limpida apparet.

XI. Alvus ut plurimum obſtructa eſſe deprehenditur.

XII. Motus febriles frequentiſſimi adſunt.

XIII. Moderata diarrhœa, hæmorrhoidum fluxus congruus, febris denique moderata hypochondriacos haud parum levant.

XIV. Verum etiam fieri ſolet, ut malum hypochondriacum in novas ſpecies morborum tam

acutorum, quam chronicorum transeat, quibus tandem pereundum erit miseris. Horum morborum numerum, teste experientia, subeunt graves quædam in visceribus, præcipue abdominalibus, obortæ læsiones, ut sunt infarctus, scirrhi, inflammationes, exulcerationes, atque illis supervenientes calamitates aliæ corporis, ut tabes, affectus hydropici, soporosi, melancholici, maniaci, apoplectici, febres continuæ acutæ vel chronicæ.

§. DCCCXXVIII.

Ex ipsa natura caussarum proximarum mali hypochondriaci [§. 332.] sequitur, fieri nimirum posse, ut illarum caussarum una producta, inde mox suboriatur & altera, hacquæ suborta, prior modo desinat, modo pergat existere; pro differentia scilicet gradus, in quo vis inest ejusmodi caussis, ratione ægrotantium in casibus obviis [§§. 91. 92. 99. 101. 168. 173. 184. 386. 394. 492. 494. 644.]

§. DCCCXXIX.

Quare jam sequentia colligere licebit ex §. anteced.

I. Ob qualitates diversas caussarum proximarum mali hypochondriaci necesse erit; ut etiam in hoc morbo prodeant symptomata specie diversa. Ecce rationem diversitatis symptomatum in malo hypochondriaco obviorum [§. 827.]!

II. Hy

II. Hypochondriacorum ſtatus idem ſemper apparere nequit; ſiquidem cauſſarum proximarum morbi reciprocationes & complicationes hic fieri poſſunt. Unde ſatis perſpicua erit ratio, cur nimirum hypochondriaci ſe mox melius, mox pejus habere deprehendantur [§. 827.]?

§. DCCCXXX.

Symptomatum itaque in malo hypochondriaco provenientium [§. 827.] qualitates & quantitates ex eo principio, quod in §. anteced. proponitur, diſtincte intelligi poterunt; ſi hic imprimis ratio habeatur conſtrictionum in vaſis viſcerum abdominalium, & congeſtionum inter ſe reciprocantium, illorumque effectuum, qui inde ad alia corporis loca redeunt [§§. 332. 492 & 494.]

§. DCCCXXXI.

Signa pathognomica ſufficientia mali hypochondriaci depromenda erunt ex deprehenſis illis ſymptomatibus, quæ deſcribuntur in §. 827. Præcipue vero hic notari merentur incommoda illa, quæ ad coſtas ſpurias prodeunt [§. citat. *num.* 1 & 2.], ſub ſpecie tamen morbi chronici [§. 331.]

§. DCCCXXXII.

Fundamentum vero prognoſis in malo hypochondriaco tibi ſuppeditare poterunt indicata momenta ad *num.* 13 & 14. §. 827.

CAPUT XLIX.
DE
MALO HYSTERICO.

§. DCCCXXXIII.

PAssioni hystericæ (§. 331.) subjici deprehenduntur virgines puberes; viduæ juniores; feminæ post abortum, vel partum difficilem; aut quibus perturbationes, vel plenariæ cessationes menstruorum oboriuntur; tandemque etiam feminæ, in quibus illæ conditiones obtinent, quæ enarrantur ad §. 825. *numer.* 2. 3 & 4.

§. DCCCXXXIV.

Propositæ in §. anteced. subjectorum determinationes ortui caussarum proximarum mali hysterici (§. 332.) satis accommodatæ sunt.

§. DCCCXXXV.

In malo hysterico eadem quidem, quam in malo hypochondriaco, provenire observantur symptomata, sed longe acerbiora. Quibus sequentia adhuc accedunt; frequentiores cordis palpitationes; spasmi gulæ; affectus syncoptici; furor uterinus; stranguria & dysuria. Eumdem quoque eventum, ut malum hypochondriacum, nancisci solet passio hysterica. Non numquam vero docuit experientia, feminas hystericas ex suffocatione & apoplexia subito periisse.

§. DCCCXXXVI.

Ex notionibus mali hypochondriaci & hyſterici conſtat, quod ambo affectus iſti ratione formæ inter ſe conveniant, nec alio modo a ſe diſtinguantur, quam per ſexus differentiam (§. 331.) Hinc neceſſe erit, ut eadem principia hic quoque valeant, quæ de malo hypochondriaco propoſita ſunt in Cap. præced.

§. DCCCXXXVII.

Quare ſymptomata mali hyſterici ab ejus cauſſarum proximarum diverſitate, reciprocatione & complicatione eodem modo derivare conveniet, ac præcipitur in §. 830. (§. anteced.)

§. DCCCXXXVIII.

Si ad hoc principium cognoſcendi (§. anteced.) adhuc acceſſerint aliæ conditiones corporis, quæ quidem in ſexu potiore deſiderantur, in ſequiore vero locum habent, ibique difficilem ſanguinis progreſſum per viſcera abdominalia efficere valent; quorſum abortus, partus difficilis & menſtruorum caſus pertinent (§. 833.), una cum nimia feminarum ſenſibilitate, & vaſorum in abdomine numero auctiore, ob uteri exiſtentiam; nullum tunc dubium erit, quin etiam cauſſis illis, a quibus ſanguinis motus per vaſa viſcerum abdominis impeditur (§. 332.), major vis attribui debeat in malo hyſterico, quam in hypochondriaco.

§. DCCCXXXIX.

Ut itaque paſſio hyſterica gravitate ſuperet malum hypochondriacum, neceſſe erit (§§. anteced. & 835.)

§. DCCCXL.

In hyſtericis inſolitam facultatem verſus canendi, immo etiam alienas linguas loquendi obſervatam fuiſſe, aiunt. Si de hoc phænomeno tam copioſe, tamque certo conſtaret, ut contra illius exiſtentiam nullum prorſus dubium moveri poſſet; tunc ad momenti hujus explicationem vix alia principia admittenda forent, quam quæ redeunt ad vires imaginationis, in hoc morbo ſupra modum intenſas, atque ad concurſum actionum, quæ ſimul producuntur in muſculis, inſervientibus formandæ loquelæ,

§. DCCCXLI.

Quod denique ad mali hyſterici ſigna tam pathognomica, quam prognoſtica attinet; illa cum ſignis mali hypochondriaci congruant, neceſſe erit (§. 836.) Quibus adhuc ea accedunt, quæ per ſexus differentiam neceſſaria ſunt. Hinc jam evolvenda erunt, quæ indicantur in §§. 831. 832 & 835.

CAPUT L.
DE
CARDIALGIA.

§. DCCCXLII.

Cardialgiæ (§. 299.) obnoxia fieri deprehenduntur subjecta sequentis conditionis.

I. Quibus cruditates in ventriculo & intestinis hærent.

II. Quæ flatulentiis exponuntur.

III. Quæ malo hypochondriaco aut hysterico vexantur; concurrente imprimis ataxia hæmorrhoidum vel mensium.

IV. Quæ alvi obstructione laborant.

V. Quæ nimiam ventriculi repletionem admittunt.

VI. Quæ iram, præsertim inter pastum, concipiunt.

VII. Quibus venena aut emetica drastica offeruntur.

VIII. Quibus refrigerationes scrobiculi cordis, aut ejusdem compressiones, vel contusiones obveniunt.

IX. In quorum intestinis colluvies vermium adest.

§. DCCCXLIII.

Ex iis conditionibus subjectorum, quæ in §. anteced. describuntur, cardialgiæ (§. 299.) ortum intelligere licebit.

§. DCCCXLIV.

Cardialgiæ symptomata observantur esse sequentia:

I. Calor & frigus inter se alternant cum sudoribus anxiis, frigidis.

II. Ægri de tensionibus & pressionibus circa scrobiculum cordis, nec non anxietatibus præcordiorum conqueruntur.

III. Non raro eveniunt lipothymiæ.

IV. Nausea, ructus, immo vomitus persæpe consequuntur; & ægri multum levaminis ex istis rejectionibus percipere solent.

§. DCCCXLV.

Quum in spasmis motus febriles non deficiant (§. 497.), sequitur, idem quoque symptomata cardialgiæ conjungi debere (§. 299.); idque eo magis ob locorum afflictorum nimiam sensilitatem & concursum illarum caussarum determinantium caussam proximam morbi, a quibus ventriculus & intestina valdopere afficiuntur [§. 842.]

§. DCCCXLVI.

Quare necesse est [§. anteced.], ut etiam calor & æstus inter se alternent, & sudores anxii, frigidi erumpant [§. 844. *numer.* I.]

§. DCCCXLVII.

Ob incommoda doloris in partibus a ſpaſmo affectis, & congeſtiones, quæ inde ad alia quoque loca corporis produci ſolent [§§. 490 & 492.], in cardialgia oriantur, neceſſe erit, tenſiones & preſſiones circa ſcrobiculum cordis, una cum anxietatibus præcordiorum [§§. 299 & 844. *numer.* 2.]

§. DCCCXLVIII.

Poſita cardialgia [§. 299.], poni ſimul debet reſpectiva debilitas aliarum fibrarum ventriculi. Hinc nauſea, ructus, vomitus [§§. 302. 308 & 844. *numer.* 4.]

§. DCCCXLIX.

Cardialgia ſupra modum increſcente, fieri poterit, ut, congeſtionibus encephalon verſus concitatis [§§. 299 & 492.], inde oriantur ſatis conſpicuæ imminutiones functionum vitalium & animalium. Unde affectus lipothymici [§§. 349. 350 & 844. *numer.* 3.]

§. DCCCL.

Quid præterea de ſpaſmo in genere prædicatur, illud quoque ad cardialgiam transferre licebit [§. 299.] Hinc ſalutaris ſolutio cardialgiæ contingere poterit per excretiones moderatas, eaſque accommodatas qualitati cauſſæ, a qua origo morbi ducenda eſt in caſu obvio [§§. 483. *num.* 5. 499. 502. 844. *num.* 4.]

§. DCCCLI.

Tensiones & pressiones circa scrobiculum cordis, de quibus æger conqueritur; una cum sensu illo incommodo, quem percipit, ac si bolus sub deglutitione circa cardiam hæreat [§§. 299. & 844. *numer.* 2.], signa cardialgiæ pathognomica sufficientia esse possunt.

§. DCCCLII.

Cardialgiæ vero signa prognostica intelligere poteris ex iis, quæ continentur in §. 850.

CAPUT LI.
DE
VOMITU IN GENERE.

§. DCCCLIII.

VOmitus [§. 307.] accidere deprehenditur subjectis, quorum conditiones ad sequentia momenta redeunt.

I. Quæ atrocissimis cephalalgiis vexantur, aut quibus grave vulnus ad loca capitis inflictum est.

II. Quæ cruditates in ventriculo alunt, aut cardialgiis diuturnis torquentur.

III. Quæ malo hypochondriaco aut hysterico laborant.

IV. Quæ ab obstructionibus viscerum abdominalium, vel calculo renum & vesicæ afficiuntur.

V. Quæ alvi obſtructionibus aut flatulentiis affliguntur.

VI. Quæ ex rebus auditis, vel viſis, vel odore perceptis, ingentem aliquam averſationem patiuntur, aut quæ ſe in gyrum agunt, vel quæ a tergo ſedent, dum curru vehuntur.

VII. Quæ irritationem faucium admittunt.

VIII. Helluones & polyphagi eodem morbo ſæpe afficiuntur.

IX. Feminis tandem ſenſibilioribus ſtatim poſt conceptionem, nec non infantibus difficulter dentientibus vomitus evenire ſolet.

§. DCCCLIV.

Deſcriptæ in §. anteced. determinationes ſubjectorum cauſſam proximam vomitus producere poſſunt [§. 308.]

§. DCCCLV.

In vomitu ſequentia ſymptomata prodire, experientia teſtatur: cardialgia; anxietates præcordiorum; crebræ horripilationes; vertiginoſæ capitis afflictiones; nauſea.

§. DCCCLVI.

Ob reſpectivam fibrarum ventriculi debilitatem, quæ in vomitu obtinet, cardialgiæ ortus hic facilis erit [§§. 299. 308 & 855.]

§. DCCCLVII.

Anxietates præcordiorum, quæ in vomitu deprehenduntur [§. 855.], pro ſui cauſſa agnoſcunt tam

cardialgiam [§§. 855 & 844. *numer*. 2,] quam etiam illam caussarum morbi qualitatem, quæ præ reliquis ortui ejusdem symptomatis respondet, exempli caussa malum hypochondriacum vel hystericum.

§. DCCCLVIII.

Sub vomitu nascuntur caussæ congestionum ad loca superiora corporis producendarum. Quare tunc etiam vertiginosæ capitis afflictiones oboriri poterunt]§§. 355 & 855.]

§. DCCCLIX.

Omnem vomitum nausea antecedere solet: quare & de hujus symptomatis ortu hic constabit [§. 855.]

§. DCCCLX.

Ob cardialgiam, quæ in vomitu oboriri solet [§. 855.], necessariæ hic quoque erunt commotiones febriles [§. 845.]. Ut de eo nihil dicatur, quod vomitus produci possit a caussis, ubi motus febriles, tamquam effectus necessarii, deprehenduntur, exempli loco malum hypochondriacum, hystericum, flatulentia, hujusque indolis plures aliæ caussæ [§. 853.]. Unde jam patebit ratio, quare in hoc morbo crebræ horripilationes fieri animadvertantur [§. 855.]?

§. DCCCLXI.

Per vomitum rejiciuntur massæ, quæ in ventriculo continentur. Habet præterea vomitus sibi so-

ciam musculorum abdominalium actionem intensioris gradus. Ex quibus consequitur, fieri posse; ut vehemens diuque durans vomitus vitæ ægrotantium admodum noceat, ob graves ad loca superiora corporis congestiones [§. 858.]; concoctionem ciborum lædat, eoque modo nutritioni corporis officiat; nocivos illos effectus corpori inducat, qui a nimia compressione viscerum in abdomine proficisci solent, ut exempli loco herniæ productio; tandemque vero se ipsum salutariter solvat, si a cruditatibus ventriculi quibuscumque productus fuerit.

§. DCCCLXII.

Vomitus signa pathognomica sufficientia ex illius definitione [§. 307.] satis manifesta erunt; prognosticorum fundamenta, præter ea, quæ ad §. anteced. exstant, tibi suppeditabunt caussarum morbi (§. 853.) qualitates intellectæ.

CAPUT LII.

DE ANOREXIA ET NAUSEA.

§. DCCCLXIII.

IN hunc morbum [§. 303.] incidere observantur subjecta vitæ sedentariæ dedita; aut quorum ventriculo multæ cruditates inhærent; vel quibus febres, præsertim acutæ, oboriuntur.

§. DCCCLXIV.

Sub enarratis in §. anteced. conditionibus ſubjectorum, cauſſarum proximarum anorexiæ & nauſeæ oritur [§. 304.] ibidem facile fieri poterit.

§. DCCCLXV.

Ob morbi hujus longam durationem neceſſe erit, ut tandem in ventriculo deficiat maſſa, ad chyli confectionem neceſſaria. Dum vel plane nullus, vel ſaltem ad perexiguam quantitatem aſſumi ſolet cibus appetitu deficiente; vel ſi etiam, reluctante natura, ad majorem quantitatem ingeſtus eſſet, vix ita in ventriculo adaptari poterit, ut inde proveniat chylus bonæ indolis, atque ad decentem quantitatem [§. 304.] Ex quibus jam ſatis conſtabit de fundamento derivandi ſymptomata, quæ in hoc morbo contingere poſſunt; cognitis iis, quæ de chyli uſu in phiſiologicis traduntur.

§. DCCCLXVI.

Anorexiæ & nauſeæ ſigna pathognomica ſufficientia intelliguntur ex definitione ad §. 303. propoſita; prognoſticorum vero rationes cognoſcere licebit ex §. anteced. & cauſſarum qualitatibus [§ 863.], a quibus morbus in caſu obvio dependet.

CAPUT LIII.

DE ADDEPHAGIA ET OREXI CANINA.

§. DCCCLXVII.

HUnc morbum [§. 305.] deprehendere licet in infantibus atrophicis; in hypochondriacis & hystericis; in casibus a chronica corruptione seri & lymphæ obortis, ut in scabie; nec non post febrem intermittentem superatam; vel etiam febre hectica ad consummationem fere perducta; tandemque admisso abusu acidorum, aromatum, aut quorumcumque aliorum ingestorum, quæ stimulando ventriculum ejus motum peristalticum admodum augere valent.

§. DCCCLXVIII.

Morbi istius caussam proximam [§. 306.] ab enarratis in §. anteced. conditionibus subjectorum derivare licebit.

§. DCCCLXIX.

In addephagia mala concoctio fieri debet. Unde glandularum in intestinis & mesenterio obstructiones, atrophia, & qui inde plures alii morbi sequuntur. Quocum etiam observationes consentiunt.

§. DCCCLXX.

Quoniam orexis canina non nisi majore gradu ab addephagia differt: illius adeoque caussæ & effectus in corpore majore vi polleant, necesse erit.

§. DCCCLXXI.

Signa pathognomica sufficientia addephagiæ & orexis caninæ ex suis definitionibus [§. 305.] intelliguntur; de prognosticis autem ex §. 869 & 870. nec non ex recta æstimatione casuum ratione caussarum morbi differentium [§. 867.]

CAPUT LIV.

DE SPASMO OESOPHAGI SIVE GULÆ.

§. DCCCLXXII.

QUæ hic valere possunt principia cognoscendi, illa non alia erunt, quam quæ jam prostant in Cap. de spasmo in genere. Quibus enim recte applicatis ad casum nunc pertractandum, distincta ratione intelligere licebit, quando nimirum spasmus gulæ necessarius sit, cujusque indolis ejus symptomata esse debeant? In idem passim consentientibus observationibus, ut ex sequentibus constabit.

§. DCCCLXXIII.

Spasmo intestinorum vel ventriculi exacerbato; aut modo dictis partibus nimium distensis, spasmus œsophagi oriri potest (§. 494.)

§. DCCCLXXIV.

Quare liquet, cur subjecta hypochondriaca, hysterica, iracunda, flatulenta hunc morbum sæpe patiantur? Quocum congruunt observata.

§. DCCCLXXV.

Si ſpaſmus pectoris, dorſi, brachiorum, temporum, colli fuerit exacerbatus, ſpaſmus in œſophago produci poterit (§. 494.)

§. DCCCLXXVI.

Patet itaque, quare pleuritides, rheumatiſmi artuum, hemicrania ſpaſmum œſophago inferre ſoleant? Atque huic quoque adſtipulantur obſervationes.

§. DCCCLXXVII.

Ex cauſſarum externarum admiſſionibus ad œſophagum, producentium in ejus fibris nimias contractiones, ſpaſmus gulæ neceſſarius quoque erit (§. 83.)

§. DCCLXXVIII.

Hinc frigida, acria, auſtera, hujuſque indolis plura alia, quæ vi pollent fibras conſtringendi, ſi œſophagum contingunt, ſpaſmum in eodem producere debent. Quocum etiam conveniunt obſervationes.

§. DCCCLXXIX.

A ſpaſmo œſophagi congeſtiones ad ventriculum, diaphragma, pectus, pulmones & caput concitari poterunt (§. 492.)

§. DCCCLXXX.

Fieri adeoque poterit, ut a ſpaſmo gulæ oriantur affectus aſthmatici, inſultus apoplectici, invaſiones

catarrhi ſuffocativi, ſingultus, immo etiam inflammationes ad diaphragma & ventriculum (§. anteced.) Neque hic etiam obſervationum conſenſus deficit.

§. DCCCLXXXI.

Signa pathognomica ſufficientia ſpaſmi œſophagi ex eo colligere licebit, quando nimirum bolus inter deglutiendum per œſophagum difficulter deſcendere atque intra dictum canalem quaſi hærere videtur.

§. DCCCLXXXII.

Quod vero ad prognoſin in eodem morbo reſpicit; tunc neceſſe erit, ut hic ea rite conſiderentur, quæ exponuntur in §. 502. conferenda cum dictis in §. 880.

CAPUT LV.

DE FLATULENTIA.

§. DCCCLXXXIII.

FLatulentiæ (§. 309.) ſubjecta ad ſequentes conditiones redire obſervantur.

I. Quæ eſculenta & potulenta ingerunt, unde inteſtina redduntur debilia, vel in iiſdem vehemens quædam fermentatio ſuboritur.

II. Quæ multas cruditates in primis viis alunt.

III. Quæ

III. Quæ ſpaſmis ad hæmorrhoides valde afficiuntur.

IV. Feminæ male menſtruatæ, aut quibus fluxus lochialis multis ſpaſmis ſtipatus oboritur.

V. Quibus tandem humores ſecreti ad canalem inteſtinorum copioſius deponuntur, ut exempli gratia ſerum, bilis.

§. DCCCLXXXIV.

Ab illis conditionibus ſubjectorum, quæ in §. anteced. deſcribuntur, flatulentia dependere poterit [§. 309.]

§. DCCCLXXXV.

Quare jam intelligere licebit, cur ex refrigeratione corporis, vel vermium colluvie, in inteſtinis præſente, flatulentia oriatur? Cur porro hypochondriaci, hæmorrhoidarii, hyſtericæ, puerperæ, tandemque feminæ magis, quam viri, huic malo ſubjiciantur? Quibuſcum obſervationes conſentiunt.

§. DCCCLXXXVI.

In flatulentia oboriantur neceſſe erit commotiones febriles, congeſtiones ad loca ſuperiora corporis, cardialgia, colica, dyſpnœa, anxietates præcordiorum, vertiginoſæ capitis afflictiones [§. 309.] Quæ ſingula cum obſervatis quoque conſentiunt.

§. DCCCLXXXVII.

Sed conſtat porro ex obſervationibus, quod in caſibus flatulentiæ mox adſint pertinaces alvi obſtructiones, nec non cardialgia & colica intenſioris gradus; mox vero alvi excretio ſatis bene ſuccedat, neque etiam tanto incommodo eſſe videantur ægro cardialgia & colica.

§. DCCCLXXXVIII.

Neceſſe igitur erit, ut differentes iſtæ mutationes in flatulentia (§. anteced.) dependeant vel a differentiis locorum, ubi potius canalis inteſtinorum diſtenditur, vel a varietate diſtenſionis, ad quam inteſtina adiguntur.

§. DCCCLXXXIX.

Conſequens ergo erit (§. anteced.), neceſſarium fore, ut, inteſtinis tenuibus, atque ex parte inteſtino colo, a flatibus diſtenſis, alvi obſtructiones, una cum majoris gradus cardialgia, ſuboriantur; colica vero tum acerbior fiat in flatulentia, quando nimirum inteſtina inæqualiter diſtenduntur.

§. DCCCXC.

Signa pathognomica ſufficientia in flatulentia eſſe poſſunt ſtrepitus in inteſtinis & ventriculo percepti, una cum abdominis diſtenſione hic ſæpius admodum conſpicua.

§. DCCCXCI.

Prognoſis tandem flatulentiæ ſequenti fundamento innititur; niſi mature oboriantur flatuum

ceſſiones, ſtatus ægrotantium periculoſus fieri poterit; ſymptomatibus morbi ad intenſiorem gradum productis, quæ exponuntur in §. 886.

CAPUT LVI.

DE COLICA.

§. DCCCXCII.

COlicæ (§. 314.) obtemperare coguntur, uti obſervationes docent, ſubjecta conditionis ſequentis.

I. Quæ nimirum in §. 883. deſcribuntur.

II. Quæ nephritide calculoſa decumbunt.

III. Quæ refrigerationes abdominis admittunt.

IV. Quibus alvus admodum obſtructa eſt.

V. Quibus partium Saturninarum delationes ad tubum cibarium fiunt.

VI. Quæ ex labe ſcorbutica ægrotant.

VII. Quorum inteſtinis vermium colluvies inhæret.

§. DCCCXCIII.

A ſubjectorum in §. anteced. deſcripta indole ortum colicæ (§. 314.) derivare licebit.

§. DCCCXCIV.

Pro differentia caussarum istarum, quæ in ca sibus obviis concurrunt ad productionem colicæ ejus species diversæ a Medicis constituuntur. Hin colica hæmorrhoidalis, hypochondriaca, hyster ca, nephritica, biliosa, flatulenta, & sic porr

§. DCCCXCV.

In quavis colica, præsertim biliosa hæmorrho dali, hysterica, hypochondriaca, nec non n phritica, possibiles erunt inflammationes intestin rum, anxietates præcordiorum, motus febril (§. 314.) Quod etiam ab observationibus confi matur.

§. DCCCXCVI.

Fieri solet, ut in colica alvi excretiones sup modum tam augeri, quam etiam imminui depr hendantur. Cujus rei rationem necessariam tibi quentem in modum concipere poteris. Si nem in colica ita afficiuntur intestina, ut eorum mot peristalticus descendens multoties superet asce dentem; diarrhœa tunc magis consequatur, opo tebit. In casu vero contrario magis necessariæ eru obstructiones alvi pertinacissimæ, una cum vom tu, tandemque etiam cum passione iliaca in quentibus.

§. DCCCXCVII.

Colicæ signa pathognomica sufficientia per lius definitionem (§. 314.) facile constare poteru

§. DCCCXCVIII.

Signorum vero prognosticorum in colica in-
ntio sibi vindicat rectam aestimationem caussa-
m morbi (§. 892), ejusque effectuum (§§.
5 & 896.) in casibus obviis.

CAPUT LVII.

DE PASSIONE ILIACA.

§. DCCCXCIX.

DOcent observationes, quod passioni iliacae [§. 315.] sequentis conditionis subjecta fieri so-
nt obnoxia.

I. Quae a quacumque alia colica pertinaci
torquentur.

II. Quae contumacissimas alvi obstructiones
patiuntur.

III. Quibus herniae incarceratae oboriuntur.

IV. Quibus graves quaedam contusiones, a
caussis externis violentis productae, ad regio-
nem umbilicalem eveniunt.

§. DCCCC.

Hoc morbo defunctorum corporibus dissectis,
statu intestinorum sequentia constiterunt.

I. Inteſtina a ſphacelo corrupta reperieban-tur, præſertim ad inteſtini ilei finem, ubi eju inſertio in colon fit.

II. Non numquam etiam inteſtina inter convoluta fuiſſe apparebant.

§. DCCCCI.

Obliqua ilei in colon inſertio ab ejus ligame-tis recte conſtitutis dependet. Unde jam valvu ſic dicta coli oritur. Ligamentis itaque iſtis admodum debilitatis, vel plane ſolutis, valvu coli deſtructio neceſſaria erit.

§. DCCCCII.

Quia igitur ex iis momentis, quæ indican in §§. 899 & 900. colligere licet, quod in partim ligamenta coli debilia reddi aut plane vi poſſint; partim etiam motus periſtalticus in ſtinorum deſcendens valdopere imminui que hinc jam patebit ratio neceſſaria, quare nimir deſcripto ibidem hominum generi paſſio iliaca cidere ſoleat [§. 316.]?

§. DCCCCIII.

In paſſione iliaca anxietates præcordiorum, tus febriles, obſtructiones alvi longe acerbiores debent, quam in ulla alia colicæ ſpecie [§. 315

§. DCCCCIV.

Ubi vero jam prævaluit paſſio iliaca; ibi e ructus, tandemque vomitus ſtercorii eveni oportebit. [§. 315.]

§. DCCCCV.

Ob ſymptomatum in paſſione iliaca qualitatem & quantitatem (§§. 903 & 904.) contingere poterunt graves quædam congeſtiones ad encephalon; ſi imprimis æger tædio ſibi fuerit maximo, imminentibus illis fœtidis ructibus & vomitibus. Unde affectuum lipothymicorum & convulſivorum acceſſiones, quas ad præcedentia paſſionis iliacæ ſymptomata ſæpius fieri, comprobant obſervationes [§. 350 & 587.]

§. DCCCCVI.

Signa pathognomica ſufficientia paſſionis iliacæ colligere licebit ex obſtructionibus alvi pertinaciſſimis; ex dolore ardente inteſtinorum, non numquam percepto circa loca umbilici; tandemque ex ructibus fœtidis & rejectionibus excrementorum, per vomitum factis [§§. 900. 902. & 904.]

§. DCCCCVII.

Prognoſis vero paſſionis iliacæ ſequentia ſibi vindicat fundamenta.

I. Quando paſſio iliaca in caſu obvio magis dependet a plenaria ligamentorum coli ſolutione; illa tum conſideranda erit inſtar morbi majoris, in relatione ad ſui ortum ex debilitate eorumdem ligamentorum.

II. Quo majoris gradus inflammatio eſſe deprehenditur in paſſione iliaca; eo magis periclitabitur vita ægrotantium. Quod etiam de nimiis inteſtinorum convolutionibus tenendum erit.

III. Semel oborta paſſio iliaca, licet ita ſalutariter ſoluta eſſe videatur, ut iterum per viam ordinariam e corpore ſecedant excrementa, mox iterum redire obſervatur; quam primum una atque altera cauſſa flatulentiæ ad corpus admittatur.

IV. Quam mediocriter ſeſe etiam habere non numquam videantur res ægrotantium ex hoc morbo; ob ejus tamen frequentem reditum natura in negotio digeſtionis & confectionis chyli adeo perturbabitur, ut tandem corpori inducatur tabes.

V. Reſtat, ut hic etiam id ſingulare momentum ex obſervationibus notetur. Contigit nimirum in caſibus paſſionis iliacæ, ut feces ex parte exirent per novam aperturam, ex ruptione abſceſſus exortam in muſculis abdominis circa umbilici regionem, per quam pars coli ſoluti prominebat.

CAPUT LVIII.

DE OBSTRUCTIONE ALVI.

§. DCCCCVIII.

ALvi obſtructiones [§. 313.] in corporibus oboriri ſolent, in quibus una atque altera conditionum ſequentium adeſt: variarum cauſſarum admiſſiones, unde inteſtina debilia fiunt; inſignes humorum commotiones; validæ ſphincte-

is ani constrictiones, aut intestini recti compressiones.

§. DCCCCIX.

A descriptis in §. anteced. subjectorum determinationibus obstructionem alvi derivare licebit (§. 313.)

§. DCCCCX.

Inde jam intelligi poterit (§. anteced.), cur alvi obstructio, ut observationes docent, tam frequenter accidere soleat otiosis; voracibus; cibos concoctu difficiles ingerentibus; multas aquas calidas ingurgitantibus; vino aut potu alio exæstuante, austero abutentibus; prodigis in profundendo semine; affectis a morbis vesicæ spasticis, tandemque feminis gravidis, præsertim ultimis mensibus gestationis.

§. DCCCCXI.

In obstructione alvi nimiæ intestinorum distensiones fiunt, quæ a mole excrementorum, ibi justo longius commorantium, dependent. Hinc necesse erit, ut hic simul oboriantur difficultates respirandi, anxietates præcordiorum, cardialgia, inflammationes intestinorum, imo etiam passio iliaca, nec non massæ humorum corruptiones. Quibus quoque observationes annuunt.

§. DCCCCXII.

Signa pathognomica sufficientia obstructionis alvinæ ex definitione (§. 313.) patent; prognostica autem hic facile cognoscere licebit ex morbi magnitudine (§. anteced.)

CAPUT LIX.

DE

DIARRHOEA.

§. DCCCCXIII.

QUamcumque diarrhœam (§. 310.) ſtrepitu in ventre & affectionibus colicis, quamvis differentis gradus, ſtipatam eſſe, experientia docet.

§. DCCCCXIV.

In quavis diarrhœa juſto major quantitas fluidorum ſecretorum in canali inteſtinali adeſſe debet (§. 310.)

§. DCCCCXV.

Si quæ fluida ſecreta jam acria fuerint, quæ in canalem inteſtinalem deponuntur; vel ibi ob moram talia fiant, ſive adhuc majoris gradus acrimoniam concipiant: tum ſtrepitus ventris & affectus colici eo acerbiores erunt.

§. DCCCCXVI.

Ex quo intelligi poterit, quare nimirum in diarrhœa bilioſa, ſeroſa, aut quæ ſcorbuticis, vel ſcabie infectis accidit, hæc incommoda in abdomine vehementiora iis eſſe deprehendantur, quæ ſocia ſunt diarrhœæ colliquativæ. (§§. 312 & anteced.)?

§. DCCCCXVII.

Quid igitur fluidorum depositionem ad inteſtina promovebit, id etiam diarrhoeæ producendæ inſervire poterit (§. 914.)

§. DCCCCXVIII.

Hinc hecticis, iracundis, ſudorum repreſſiones & cauſſas varias admittentibus, unde ventriculus & inteſtina debilia redduntur, diarrhoea frequenter oboriatur, neceſſe erit (§. anteced.) Quód etiam cum obſervationibus congruum eſt.

§. DCCCCXIX.

Experientia docet, diarrhoeam lientericam & coeliacam (312.) non niſi aliam diarrhoeæ ſpeciem excipere ſolere.

§. DCCCCXX.

Lienteria & diarrhoea coeliaca ſupponunt majorem debilitatem inteſtinorum, præcipue vaſorum tunicæ villoſæ (§. anteced.)

§. DCCCCXXI.

Omnis quidem diarrhoea ſucceſſu temporis atrophiam corpori inducere poterit, quam vero citius ibi ſuboriri oportebit, ubi ad diarrhoeam producendam in caſu obvio adſunt cauſæ, quibus jam per ſe conſideratis vis ineſt lædendi nutritionem corporis [§§. 278. 312 & 914.). Atque id etiam de differentia graduum ratione commotionum febrilium, tamquam præſentium in quavis diarrhoea, [notan-

dum erit. Utrumque hoc momentum congruit cum obſervationibus.

§. DCCCCXXII.

Signa pathognomica ſufficientia diarrhœæ in genere ejuſque ſpecierum ex definitionibus; prognoſtica vero ex morbi magnitudine illiuſque cauſſarum qualitatibus facile cognoſci poterunt (310. 312. 916. 918. 920 & 921.)

CAPUT LX.

DE

DEBILITATE VENTRICULI ET INTESTINORUM.

§. DCCCCXXIII.

Nimiæ ventriculi & inteſtinorum diſtenſiones & ſpaſmi harum partium iiſdem inducere valebunt debilitatem (§. 20.)

§. DCCCCXXIV.

Subjecta igitur cardialgiis, vomitibus, flatulentiis, colicis, obſtructionibus alvi, diarrhœis obnoxia, debilitate tandem ventriculi & inteſtinorum afficiantur, oportebit (§. anteced.); in idem paſſim conſentientibus obſervatis.

§. DCCCCXXV.

Caussæ externæ ad intestina & ventriculum admissæ, unde fibrarum in dictis partibus cohæsio imminui poterit, debilitatem ventriculo & intestinis inducent (§. 20.)

§. DCCCCXXVI.

Quare nimiæ ventriculi repletiones, ingestiones ciborum difficilis concoctionis, abusus potus aquei calidi atque esculentorum pinguium ad caussas quoque debilitatis in ventriculo & intestinis efficiendæ pertinebunt (§. anteced.); idem confirmantibus observationibus.

§. DCCCCXXVII.

Ob ventriculi & intestinorum debilitatem motus peristaltici imminutio in dictis partibus necessaria erit (§. 20.)

§. DCCCCXXVIII.

Ventriculo & intestinis igitur debilitate affectis, mala digestio nascitur; hinc cruditates primarum viarum, indeque plures alii morbi facillime generantur (§. anteced.)

§. DCCCCXXIX.

Signa pathognomica sufficientia debilitatis ventriculi & intestinorum colligi poterunt ex anorexia & ortu perquam facili cruditatum in ventriculo ab ingestis, nec qualitate, nec quantitate peccantibus (§. anteced.) prognostica autem ex morbi magnitudine ejusque caussarum conditionibus eruenda erunt (§§. 924. 926 & 928.)

CAPUT LXI.

DE

SODA.

§. DCCCCXXX.

SOda (§. 300.) aggravari obſervantur ſubjecta ſequentis indolis.

I. Quibus nempe ventriculus debilis eſt, vel in eodem multæ cruditates continentur.

II. Quibus copioſæ effuſiones bilis oboriuntur; aut quibus ſolemne eſt, in magna copia ad ventriculum deferre pinguia, acida, aromata, nec non valde ſalita.

§. DCCCCXXXI.

A deſcriptis in §. anteced. ſubjectorum determinationibus ortum ſodæ deducere conveniet (§. 300.)

§. DCCCCXXXII.

Ex hoc morbo ægrotantes conqueruntur de ardore ſub ſcrobiculo cordis, ſe non numquam per œſophagum diffundente. Ibidem porro obſervantur nauſea, ructus, immo vomitus.

§. DCCCCXXXIII.

In quavis ſoda ventriculus debilis reddatur, oportebit (§§. 20 & 300.)

§. DCCCCXXXIV.

Quoniam ex arrofione circa cardiam fodæ exiſtentia putatur (§. 300.); hinc etiam de ſenſu ardoris ſatis conſtabit, quem ſub ſcrobiculo cordis percipiunt, quotquot a ſoda afficiuntur. Quod vero ad ſenſus hujus diffuſionem per œſophagum attinet, illa ideo fieri poterit, quia in ventriculo, qui hic debilis fit (§. anteced.), maſſæ ibidem contentæ fermentatio magis increſcit, qua efficitur, ut, ſalibus ad volatilitatem in ventriculo perductis, horum actio ad œſophagum facile penetrare poſſit.

§. DCCCCXXXV.

Sales vero iſti, qui hunc ardoris ſenſum circa orificium ventriculi ſuperius atque in œſophago excitant (§. anteced.), vel copioſe jam inſunt eſculentis & potulentis, quæ ventriculo ingeruntur, vel mora temporis per fermentationem certi gradus generantur; referendi tandem ad ſpecies ſalium mox acidæ, mox alcalinæ, mox mediæ naturæ.

§. DCCCCXXXVI.

Dum præter inſignem maſſæ in ventriculo contentæ fermentationem, id adhuc in affectu ſodæ obtinet, ut fibræ ventriculi in ratione ad ſe diverſa debiles fiant: hinc etiam neceſſe erit, ut hic ſuboriantur ructus, vomitus, nauſea (§. 932.)

§. DCCCCXXXVII.

Soda vehementioris gradus ſucceſſu temporis inflammationem ventriculi producere poteſt [§. 300.) Quocum etiam obſervationes conſentiunt.

§. DCCCCXXXVIII.

Signa pathognomica ſufficientia ſodæ eſſe poſſunt ardor ſub ſcrobiculo cordis, qui ad œſophagum uſque divagatur, maxime ſub ructibus [§. 932.); prognoſtica vero ex morbi effectibus illiuſque cauſſarum conditionibus facile depromere licebit (§§. 930. 933-937.]

CAPUT LXII.

DE

TENESMO PARALYSI ET PROCIDENTIA ANI.

§. DCCCCXXXIX.

EX teneſmo oriri poſſunt ani paralyſis & procidentia [§§. 317. 318. 319. 599. & 601.]. Id quod etiam cum obſervationibus congruit.

§. DCCCCXL.

Conditionis ſequentis eſſe deprehenduntur ſubjecta quibus teneſmus oboriri ſolet.

Quæ ſcilicet a ſpaſmis vehementioribus circa loca hæmorrhoidalia, ſub ortu moliminum ad hæmorrhoides, præcipue externas, comprehenduntur.

II. Qua

II. Quæ a diarrhoeis acrioribus torquentur.

III. Quæ a calculo renum & vesicæ urinariæ afficiuntur.

IV. In quorum intestinis vermium colluvies hæret, atque imprimis intestinum rectum inde afficitur; id quod maxime fieri solet, præsente illa vermium specie, quam ascarides dicunt.

V. Quæ caussas externas, unde anus irritari possit, admittunt.

VI. Gravidis tandem idem morbus accidere solet.

§. DCCCCXLI.

Ab enarratis in §. anteced. subjectorum conditionibus tenesmi ortum deducere licebit (§. 317.)

§. DCCCCXLII.

In tenesmo adesse debent frequentes, sed irriti conatus ad desidendum (§. 317.) De quo etiam satis constat per observationes.

§. DCCCCXLIII.

Ex tenesmo stranguriæ & dysuriæ ortus facilis esse poterit, præsertim in sexu potiore (§§. 317. 323 & 324.)

§. DCCCCXLIV.

Tenesmus in gravidis abortum producere poterit (§. 317.); in idem frequenter consentiente experientia.

§. DCCCCXLV.

Sub conditione paralyſis ani neceſſe erit, ut feces alvinæ ſine ullo ſenſu excernantur [§§. 319 & 605.]

§. DCCCCXLVI.

Ex ani procidentia inflammatio ad inteſtinum rectum accedere poterit [§. 318.] Quod etiam conſentaneum eſt cum obſervationibus.

§. DCCCCXLVII.

De ſignis pathognomicis ſufficientibus teneſmi ex §. 942. paralyſis vero ani ex §. 945. prociden-tiæ tandem ani ex §. 218. conſtare poterit.

§. DCCCCXLVIII.

Ratione prognoſis, in iiſdem morbis invenien-dæ, conveniet ad conditiones cauſſarum [§. 940.] & effectuum productorum [§§. 942-946.] attendere.

CAPUT LXIII.

DE VERMIBUS.

§. DCCCCXLIX.

AD frequentiſſimas cauſſas morborum, ſpeci & magnitudine diverſorum, pertinet vermiu colluvies in ventriculo & inteſtinorum canali; i ſatis docente experientia. Qui vero in his loc corporis humani reperiri ſolent vermes, illi a

res species reducuntur. Prima nempe species figuam exhibet vermium teretum, rotundorum atque pparentium instar lumbricorum terrestrium; seunda vero latorum, fere ut semina cucurbitina, & tæniæ nomen sibi vindicantium. Ambæ hæ vernium species in intestinis tam tenuibus, quam rassis nidulari, ibidemque hærere observantur vel olitarie, vel ad catenæ modum, cujus singulæ artes sibi innectuntur, vel instar glomeris convouti; adeo, ut ejusmodi vermium fasciculus, facta ui explicatione, aliquot ulnas superasse deprehenus sit. Ad tertiam denique vermium speciem refeuntur ascarides, quo nomine intelliguntur aninalcula parva, gracilia, similia illis, quæ in caeis & carnibus putridis reperiuntur. Hæ bestiolæ n intestino recto nidos suos exstruere solent.

§. DCCCCL.

Probabile est, vermes ex ovulis insectorum, el ope esculentorum aut potulentorum, vel alia atione ad intestina delatis, ibidem excludi.

§. DCCCCLI.

Quod jam ad illud genus hominum attinet, uorum intestinis vermium colluviem præ reliquis ngenerari experientia edocuit; tunc hoc nomine enient infantes voraces; immo etiam adultiores, norbis ex mala digestione oriundis affecti; lacticiniorum & dulcium abusum admittentes, feminæ andem, quibus mensium suppressiones aut cessaiones oboriuntur.

§. DCCCCLII.

Sub conditionibus, in §. anteced. propositis, facilior generatio vermium in intestinis fieri poterit (§. 950.)

§. DCCCCLIII.

Ob vermium colluviem in ventriculo & intestinis facile generari poterunt massæ tenacis, acris & putridæ indolis. Unde diversi gradus distensiones, constrictiones, arrosiones, vasorumque obstructiones ibidem efficiantur, necesse erit.

§. DCCCCLIV.

Hinc flatulentia, colica, intestinorum inflammationes, cardialgia, nausea, vomitus, addephagia, alvi obstructio, diarrhœa, massæ humorum depravationes, læsiones viscerum, atrophia, spasmus, paralysis, varii in corpore effectus ob congestiones ad caput, ut sunt sensuum externorum & internorum vitia diversæ indolis, tandemque etiam convulsiones ad morbos in colluvie vermium frequenter obvios pertinebunt (§. anteced.) Quocum etiam observationes conveniunt.

§. DCCCCLV.

Ascarides tenesmum producere possunt (§§. 317 & 949.); idem etiam probante experientia.

§. DCCCCLVI.

Quoniam ex colluvie vermium corruptiones humorum atque insignia in ventriculo & intestinis incommoda suboriri possunt (§. 954.): necesse ideo-

ue erit, ut, si ad hunc corporis statum accesserit bris quædam acuta maligna, illa gradu malignitatis increscat, valdeque etiam impediatur, quo inus salutariter solvi possit. Quod apprime congruit cum observationibus.

§. DCCCCLVII.

Experientia testatur, quod in illis ægrotantibus, quorum ventriculo & intestinis vermium colluies adest, deprehendere liceat nares oppletas; pruritum narium, præsertim tempore matutino; tandemque colorem subcæruleum in tunica albuginea oculorum.

§. DCCCCLVIII.

Annotata in §. anteced. phænomena sufficere oterunt ad diagnosin colluviei verminosæ in ventriculo & intestinis. Ad prognosin vero quod hic ttinet; illam ex qualitate & quantitate effectuum §§. 953-956.], in casibus subnatis deprehensoum, facile invenire poteris.

CAPUT LXIV.

DE

INFARCTU HEPATIS.

§. DCCCCLIX.

DOcent observationes, quod hepatis infarctus [§. 320.] subjectis accidere soleat indolis quentis.

I. Quæ diuturnis passionibus hypochondriacis & hystericis affliguntur.

II. Quæ adstringentibus, emeticis, in febribus præsertim intermittentibus, abutuntur.

III. Quæ potum frigidum corpori nimis calido ingerunt.

IV. Quæ sanguinem spissum alunt.

V. Quæ iræ indulgent, aut varias caussas externas violentas ad hypochondrium dextrum admittunt.

VI. Quibus fluxus hæmorrhoidum aut mensium supprimitur.

§. DCCCCLX.

A descripta in §. anteced. subjectorum indole infarctum hepatis derivare licebit [§. 321.]

§. DCCCCLXI.

In infarctu hepatis non alia symptomata prodire poterunt, quam quæ necessaria sunt ob relationem tumoris ad hoc viscus, & nexum, quem istud cum reliquis partibus vicinis habet [§. 320.]

§. DCCCCLXII.

Quare jam fieri poterit, ut in infarctu hepatis, præter dolorem gravantem & obtusum in hypochondrio dextro, adhuc oboriantur cardialgia, anorexia, alvi obstructiones frequentes, tussis sicca, motus febriles [§. anteced.] Quæ passim confirmantur ab observationibus.

§. DCCCCLXIII.

Sed ex eodem quoque fundamento, ex quo factum eſt in §. anteced. ulterius colligere licebit; fieri nimirum poſſe, ut hepatis infarctus in ſcirrhum tranſeat, una cum tabe corporis illum inſequente, vel in eodem etiam viſcere inflammatio naſcatur. Quod ſimiliter obſervationibus conſonum eſt.

§. DCCCCLXIV.

Signa pathognomica ſufficientia infarctus hepatis eſſe poſſunt dolor gravativus, obtuſus in hypochondrio dextro, nec non tumor mollis ibidem depre-henſus [§§. 320 & 962.]

§. DCCCCLXV.

Signorum prognoſticorum in infarctu hepatis inventio poſtulat, ut rite conſiderentur morbi ſymptomata [§§. 962 & 963.], una cum illarum mutationum in corpore acceſſionibus, unde morbi vel imminutiones, vel augmenta provenire poſſunt. Hic igitur uſui eſſe poterunt propoſitiones ſequentes.

I. Quo magis alvi obſtructiones, aut flatulentia invaleſcunt; eo majora augmenta ad infarctum hepatis accedunt [§. 321.]

II. Quo magis dolor ille obtuſus, ad hypochondrium dextrum ab ægrotante perceptus (§. 962.], eidem videatur in pungentem & ardentem commutari; eo magis metuendum erit, fore, ut hepatis infarctus in inflammationem tran-

ſeat. Quo facto, ſtatus ægrotantis periculo non carebit.

III. Tuſſis moderata in hoc morbo ſalubris eſſe poterit [§. 822.] Quod etiam de motibus febrilibus determinati gradus, nec non de fluxu hæmorrhoidum vel menſium valebit [§§. 713 & 735.]

CAPUT LXV.
DE
SCIRRHO HEPATIS.

§. DCCCCLXVI.

HEpatis ſcirrhus [§. 210.] eidem hominum generi, quod deſcribitur in §. 959. oboriri, per obſervationes conſtat.

§. DCCCCLXVII.

Ex allegatis in §. anteced. determinationibus ſubjectorum ſcirrhus hepatis oriri poterit.

§. DCCCCLXVIII.

Scirrhus hepatis, in relatione ad ejus infarctum, morbus major erit [§§. 210 & 320.]

§. DCCCCLXIX.

In ſcirrho hepatis eadem quidem, quæ in ejus infarctu, obtineant ſymptomata neceſſe erit, ſed paulo acerbiora [§§. 210. 320 961. & 968.] Quocum etiam obſervata conſentiunt.

§. DCCCCLXX.

Sed ad hæc ſymptomata (§. anteced.) adhuc accedere poterunt icterus, immo etiam tumores hydropici (§§. 248. 250 & 346.); in idem conſentiente experientia.

§. DCCCCLXXI.

Signorum pathognomicorum ſufficientium ſcirrhi hepatis cognitio haurienda erit ex dolore gravante & obtuſo in hypochondrio dextro, nec non tumore duro ibidem palpabili (§ 210.), tandemque ex ſymptomatibus deprehenſis, quatenus hæc differunt a ſymptomatibus in infarctu hepatis (§§. 969 & 970.)

§. DCCCCLXXII.

Prognoſis vero ſcirrhi hepatis illis fundamentis ſuperſtruenda erit, quæ exponuntur in §§. 455. 965. 969 & 970.

CAPUT LXVI.

DE INFARCTU LIENIS.

§. DCCCCLXXIII.

INfarctus lienis (§. 320.), experientia teſte, in corpora cadit iis ſimilia, quæ jam deſcripta exhibentur in §. 959.

§. DCCCCLXXIV.

Sub conditionibus ſubjectorum in §. anteced. citatis oriri quoque poterit lienis infarctus (§. 320.)

§. DCCCCLXXV.

Infarctus lienis, præter dolorem obtuſum & gravantem in hypochondrio ſiniſtro, ratione aliorum ſymptomatum conveniet cum infarctu hepatis [§§. 320. 961. 962 & 963.]

§. DCCCCLXXVI.

Hiſce ſymptomatibus in infarctu lienis [§. anteced.] adhuc accedere poterit vomitus cruentus, per quem ille lenitur [§. 679.]

§. DCCCCLXXVII.

Ad ſigna pathognomica ſufficientia in infarctu lienis pertinebit dolor gravans & obtuſus in hypochondrio ſiniſtro, una cum tumore molli ibidem deprehenſo [§. 320.]

§. DCCCCLXXVIII.

De ſignis vero prognoſticis ejuſdem morbi conſtare poterit ex iis, quæ in §§. 965. 973-976. traduntur.

CAPUT LXVII.

DE SCIRRHO LIENIS.

§. DCCCCLXXIX.

Lienis fcirrhus (§. 210.) eidem generi hominum accidere deprehenditur, quorum corpora ad fimiles conditiones redeunt, quæ enarrantur in §. 959.

§. DCCCCLXXX.

Modo dictæ determinationes fubjectorum (§. anteced.] cauffam proximam excitare poterunt ad producendum in liene fcirrhum (§. 210.)

§. DCCCCLXXXI.

Si a gradu vehementiæ difcefferis, fymptomata fcirrhi lienis cum illis conveniunt, quæ in ejus infarctu prodeunt (§§. 210. 320. 975 & 976.)

§. DCCCCLXXXII.

Scirrhi lienis figna pathognomica fufficientia colligere licebit ex dolore gravante & obtufo ad hypochondrium finiftrum, nec non ex tumoris ibidem percepti duritie (210.); quibus adhuc accedere poterit differentia illa, quæ infarctus & fcirrhi lienis fymptomata intercedit (§. anteced.)

§. DCCCCLXXXIII.

Quæ ad prognosin in ſcirrho hepatis & infarctu lienis formandam adducuntur principia in §§. 972 & 978., ea quoque in ſcirrho lienis valebunt (§§. 979. 981.).

CAPUT LXVIII.

DE

OBSTRUCTIONE INFARCTU ET SCIRRHO GLANDULARUM MESENTERII ET INTESTINORUM.

§. DCCCCLXXXIV.

MOrbis iſtis glandularum meſenterii & inteſtinorum frequenter ſubjici obſervantur infantes, quibus noctu corpore ſudante potus frigidus offerri ſolet; vel quibus diarrhœæ improvide cohibentur; vel qui ſtatim poſt ablactationem victu crudo uti coguntur, aut etiam cibis bonæ alias notæ, ſed in larga quantitate datis opplentur; vel qui tandem ex vermium colluvie in inteſtinis ægrotant. Sed ne adultior quidem ætas hic eximitur. Idem enim genus mali juvenibus quoque voracibus, prouti experientia docet, accidere ſolet; aut quibuſcumque aliis abuſum ſpiritus vini admittentibus, vel morbis obnoxiis, qui vim aliquam habent obſtructiones inducendi viſceribus abdominis, ut ex-

mpli gratia esse possunt hæmorrhoidum vel mensium anomaliæ; passiones hypochondriacæ & hystericæ, pertinaces febres intermittentes.

§. DCCCCLXXXV.

Obstructionis, infarctus & scirrhi ortus in intestinorum & mesenterii glandulis deduci poterit ex enarratis in §. anteced. subjectorum determinationibus (§§. 99. 320 & 210.

§. DCCCCLXXXVI.

Docent porro observationes, quod in iisdem affectibus glandularum mesenterii & intestinorum comparere soleant phœnomena sequentia.

I. Abdomen turgescit, sæpius etiam induratum esse tactu deprehenditur.

II. Non desunt commotiones febriles, eæque post pastum exacerbatæ.

III. Sed hoc etiam notari meretur, quod plerumque die tertio aut quarto istæ motuum febrilium exacerbationes magis eminere videantur.

IV. Neque hoc loco rara est diarrhœa lienterica vel cœliaca.

V. Atrophia corpori inducitur, prodit rachitis.

VI. Determinati gradus febris, excretiones hœmorrhoidum aut mensium efficiunt quandoque salutarem solutionem morbi, quo alias ita conficiuntur ægrotantes, ut eos tandem necessario occumbere oporteat.

§. DCCCCLXXXVII.

Ad ſymptomatum in §. anteced. deſcriptorum rationes quod attinet, eas ſatis diſtincte intelligere licebit ex illis locis, ubi nimirum ſermo erat tam de cauſſis proximis atrophiæ, quam etiam de ſtaſium, obſtructionum & congeſtionum effectibus in genere; ſingulis hiſce ad caſum præſentem rite applicatis. Quorſum itaque ſpectabunt §§. 278. 400 & ſeqq. 404 & ſeqq.

§. DCCCCLXXXVIII.

Obſtructionis, infarctus & ſcirrhi glandularum meſenterii & inteſtinorum ſigna pathognomica ſufficientia conſtare poterunt ex deprehenſis illis ſymptomatibus, quæ deſcribuntur in §. 986. præcipue ad *num.* 1. & 5. Sed & prognoſis fundamenta hic rite formandæ apparebunt ex §§. 984. & 986.

CAPUT LXIX.

DE CALCULO RENUM ET VESICÆ.

§. DCCCCLXXXIX.

TEſtantur obſervationes, calculum renum & veſicæ non niſi in corporibus ſequentis conditionis generari.

I. Quæ frequentiſſimis congeſtionibus ad renes & veſicam, indeque morbis aliis pertinaci-

bus oriundis ſubjiciuntur. Hujus loci exempli cauſſa erunt affectus hæmorrhoidum vel menſium, inflammationes renum, mictus cruentus.

II. Quæ ſpaſmis acerbiſſimis ad partes modo dictas, vel alias illis vicinas, affliguntur. Quorſum exempli loco pertinebunt dyſuriæ & ſtranguriæ caſus, ſpaſmus Paracelſi fixus, malum iſchiadicum, atque affectus alii rheumatico-arthritici.

III. Ubi tandem urinæ excretiones valde impeditas, aut plane ſuppreſſas fuiſſe ſæpius apparuit. Huc exempli gratia referri poterunt caſus mictionibus ſtudio ſuppreſſæ, iſchuriæ, ſtranguriæ, dyſuriæ.

§. DCCCCXC.

Calculi renum & veſicæ ratione magnitudinis, figuræ & gradus, quo illorum particulæ inter ſe cohærent, haud parum inter ſe differunt; lamellas ſibi ſuperſtratas exhibent; deſtillationi tandem ſubjecti ſatis notabilem quantitatem ſalis volatilis & olei empyreumatici ſuppeditare deprehenduntur.

§. DCCCCXCI.

Ex ſectionibus cadaverum conſtitit, renes calculoſorum fiſtulis exeſos & materia ulceroſa refertos fuiſſe.

§. DCCCCXCII.

Factis per intervalla præcipitationibus partium terrearum ex urina & materia ulceroſa in renibus: non poterunt non calculi inde generari, quorum

ortus conditionibus naturæ apprime refpondebit [§§. 989. 990 & 991.)

§. DCCCCXCIII.

Calculus veficæ partim in vefica generatur, partim ex renibus ibidem delatus majus augmentum capere poteft (§. anteced.)

§. DCCCCXCIV.

Confideratis illis conditionibus corporis, fub quibus nempe eidem ingenerari deprehenditur calculus (§. 989.); haud difficulter intelligi poterit ratio, quare etiam viri; maxime arthritici, multo frequentius quam feminæ a calculo renum & veficæ affici obferventur?

§. DCCCCXCV.

Effectus quos renum & veficæ calculi producere valent, ex horum magnitudine, figura, numero & gradu, quo eorumdem particulæ inter fe compinguntur, derivare conveniet; habita nimirum ratione qualitatum & nexus earum partium, quibus calculi infunt.

§. DCCCCXCVI.

Quare fieri poterit, ut a calculo renum fuboriantur fpafmi circa vertebras lumbares & dorfales, colica, cardialgia, vomitus, mictus cruentus, inflammationes in renibus partibufque vicinis (§. anteced.) Id quod etiam obfervationes confirmant.

§. DCCCCXCVII.

§. DCCCCXCVII.

Ex eodem fundamento (§. 995.) licebit quo-
ne colligere: a calculo veſicæ, præter effectus in
anteced. indicatos, adhuc produci poſſe malum
hiadicum, lumbaginem, ſtranguriam dyſuriam,
neſmum. Quibuſcum etiam obſervationes con-
ntiunt.

§. DCCCCXCVIII.

Signa diagnoſtica ſufficientia calculorum præ-
ntium in renibus eſſe poterunt expoſiti in §.
96. effectus; eorum tamen cauſſis aliis, quæ exi-
re poſſunt, prius remotis. Calculi autem veſicæ
gnoſcuntur ex deprehenſis illis effectibus, qui
ntinentur in §. anteced. ita tamen, ut ab his ef-
ctibus ſeparentur prius cauſſæ aliæ, a quibus iidem
am proficiſci poſſunt. Quibus adhuc accedere
terit reſiſtentia illa, quam, cathetere per ure-
ram veſicæ immiſſo obſervare licebit.

§. DCCCCXCIX.

Prognoſis vero in renum & veſicæ calculis ad
rum æque, ac effectuum, qui inde produci
caſu obvio deprehenduntur, quantitatem &
alitatem redibit; numquam neglecta ratione
rum, per quas calculi excernendi tranſire debent.

CAPUT LXX.

DE STRANGURIA ET DYSURIA.

§. M.

STranguriæ & dyfuriæ (§. 323.) obnoxia fieri deprehenduntur fubjecta indolis fequentis.

I. Quæ fpafmis ad hæmorrhoides externas vexantur; præcipue ætate fenili accedente.

II. Quæ gonorrhœa maligna, aut fluore albo maligno laborant.

III. Quæ a calculo renum aut veficæ afficiuntur.

IV. Quæ diureticorum, aphrodifiacorum vel Veneris abufum admittunt.

V. Quæ abdominis vel etiam totius corporis refrigerationes patiuntur.

VI. Quæ flatulentiis, diuturnis diarrhœis paulo vehementius affliguntur.

VII. Quæ tenefmo & pertinacioribus alvi obftructionibus laborant.

VIII. Gravidis tandem circa ultimum geftationis tempus idem quoque incommodi genus accidere folet.

§. MI.

Deſcriptæ in §. anteced. conditiones ſubjecto-um cauſſam proximam ſtranguriæ & dyſuriæ pro-ucere poſſunt (§. 324.)

§. MII.

Symptomatum ortus in ſtranguria & dyſuria a auſſarum diverſitate, illarumque vi differente de-endebit [§§. 324. 1000 & 1001.) Hinc, præ-er doloris incommoda, commotiones febriles, nictus cruentos, inflammationes partium, in iſto norbo præcipue affectarum, hic adeſſe poterunt, andemque inſequi iſchuria, incontinentia urinæ. Quod etiam cum obſervationibus probe congruit.

§. MIII.

Stranguriæ & dyſuriæ ſigna pathognomica ſuf-icientia ex ſuis definitionibus ſatis intelliguntur [§. 323.]

§. MIV.

Neque etiam difficile erit, hic invenire ſigna prognoſtica; conſideratis nempe ſymptomatum qua-itatibus & quantitatibus, nec non illorum relatio-nibus ad cauſſas, unde morbus in caſu obvio pro-venit (§. anteced.)

CAPUT LXXI.

DE ISCHURIA.

§. MV.

Ischuriæ [§. 323.] subjecta conditionis sequentis esse solent, id testantibus observationibus.

I. Quæ plethoram alunt, atque in ætate juvenili aut puerili adhuc versantur.

II. Quæ stranguriæ & dysuriæ per longum aliquod tempus erant obnoxia; hic præcipue concurrentibus calculis renum & vesicæ.

III. Quæ conatus ad excernendam urinam supprimunt.

IV. Convulsis denique, hydropicis, feminis gravidis idem morbi urinarii genus oboritur.

§. MVI.

Nunc modo recensitæ subjectorum determinationes [§. anteced.] ortui caussarum proximarum ischuriæ bene respondent [§. 324.]

§. MVII.

In ischuria [§. 323 & 324.] non deficient spasmus Paracelsi fixus, malum ischiadicum, lumbago, cardialgia, vomitus, dolor premens & ten-

ivus in regione pubis, tandemque commotiones ebriles. Quocum etiam conveniunt obſervationes.

§. MVIII.

Ex iſchuria [§§. 323 & 324.] porro naſci poteunt inflammationes renum, ureterum & veſicæ, nec non tumores hydropici. Quod ſimiliter eſſe congruum cum obſervationibus deprehenditur.

§. MIX.

Iſchuriæ ſigna pathognomica ſufficientia ex illius definitione ſatis conſtare poterunt [§. 323.]; prognoſtica vero hic facile eruere licebit ex acerbitate ſymptomatum propoſitorum in §§. 1007 & 1008. Præ reliquis hic in conſiderationem venient ſymptomata, quæ indicantur in §. anteced. His enim productis, ægrotantis ſtatus periculoſiſſimus erit; maxime, ſi jam urinæ acceſſerit putrefactio, nimis coacervatæ intra receptacula ſua.

CAPUT LXXII.

DE INCONTINENTIA URINÆ.

§. MX.

INcontinentiam urinæ [§. 326.], prout obſervationes docent, patiuntur ſubjecta indolis ſequentis.

I. Quorum corpora ſtranguriæ, dyſuriæ, iſchuriæ, horumque morborum cauſſis admodum patent.

II. Quibus inflammatio veſicæ oboritur, quæ per apoſtema ſolvitur; a quacumque etiam cauſſa illa producta fuerit.

§. MXI.

Ex enarratis in §. anteced. ſubjectorum determinationibus incontinentiæ urinæ ortum [§. 326.] intelligere licebit.

§. MXII.

Symptomata in urinæ incontinentia ad illos effectus reducere licebit, qui in partibus genitalibus externis, aliiſque iiſdem vicinis ideo oboriri poterunt, quia ab urina continuo madefiunt. Hinc fieri poterit, ut hic producantur arroſiones, inflammationes, pſoriaſis, fiſtula ani, immo etiam ſimiles arroſionis effectus in ipſa veſica; ejus ſcilicet ſphinctere exulcerato, indeque producta cauſſa proxima incontinentiæ urinæ [§. 326.]

§. MXIII.

Signa pathognomica ſufficientia incontinentiæ urinæ ex definitione patent [§. 326.]; prognoſtica vero facile cognoſci poterunt ex juſta ſymptomatum morbi, hujuſque cauſſarum æſtimatione. Quare hic conferre juvabit (§§. 1012. 1010. & 326)

CAPUT LXXIII.

DE DIABETE.

§. MXIV.

Diabetes [§. 325.], experientia teste, illi hominum generi oboritur, ubi nimirum læsio visceris cujusdam, præsertim in abdomine, post morbum quemdam acutum corruptum, obtinuit.

§. MXV.

Docet porro experientia, diabete affectos conqueri de siti immodica, de eximii gradus calore, eoque magis sicco, tandemque tabe perire.

§. MXVI.

Constitit etiam ex observationibus, urinam diabeticorum nullum sedimentum deponere, odorem & saporem subdulcem, colorem vero ad albedinem vergentem referre.

§. MXVII.

Urinæ diabeticorum lympha immixta esse videtur [§. anteced.]

§. MXVIII.

Nihil, aut certe parum a vero recedet, si tibi diabeten concipias instar modi cujusdam singularis, quo febres hecticæ lethaliter solvuntur, in

quibus alias idem consequi solet per sudores colliquativos, aut diarrhoeas colliquativas [§§. 312 325. 1014 & 1017.]

§. MXIX.

Si itaque diabeten, tamquam symptoma febris hecticæ jam perductæ ad intensiorem gradum considerare liceat [§ anteced.]; tunc etiam facilis erit ad intelligendum ratio, quare nimirum in diabeticis sitis immodica, ingens magisque siccus calor, una cum morbi ortu insequente viscerum abdominalium læsiones, productas ab acutorum incongrua solutione, deprehendantur [§§. 1014 & 1015]? Clariora hæc fient ex theoria febrium, suo loco proponenda.

§. MXX.

Quod jam ad signa pathognomica sufficientia in diabete attinet; illa partim ex morbi definitione [§. 325.], partim ex urinæ, quæ a diabeticis excernitur, supra descriptis qualitatibus [§§. 1016 & 1017.] cognoscuntur.

§. MXXI.

Fundamenta denique prognosis in diabete continentur in §§. 1018 & 1019.

CAPUT LXXIV.

DE

ICTERO.

§. MXXII.

Icterus [§. 345.] in illis prodire solet subjectis, quibus sequentes conditiones inesse observantur.

I. Quæ fortioribus emeticis in febribus, præcipue intermittentibus, abutuntur, vel potum frigidum corpori admodum calenti immodice ingerunt.

II. Quæ ira excandescunt, eamque præsertim coguntur supprimere.

III. Quibus hæmorrhoidum aut mensium suppressiones oboriuntur.

IV. Quæ ex febre biliosa, vel scirrho hepatis ægrotant.

V. Infantibus addephagis, quin immo adultis, quibus nimiæ in ventriculo & intestinis distensiones oboriuntur, icterus haud raro contingit.

§. MXXIII.

A conditionibus subjectorum, quæ in §. anteced. exponuntur, icteri ortum derivare licebit (§. 346).

§. MXXIV.

De ictericis ſequentia adhuc ex obſervationibus annotanda erunt, unde reliqua phœnomena, hic etiam obvia, facile intelligere licebit.

I. Urina ſæpius adeo flaveſcit, ut etiam lintea eidem immerſa flavo colore tingantur.

II. Sanguis flavus apparet, inſtar urinæ jumentorum.

III. Viſcera flavo colore imbuta fuiſſe videbantur.

IV. Infantes ex matre icterica prognati oſſa impetrarunt flava.

§. MXXV.

In ictero bilis per omnem maſſam ſanguinis ſit diffuſa, oportet (§. anteced. *numer.* 2.)

§. MXXVI.

Bilis in corporibus ictericorum fluidis ſecretis, iiſque etiam, quæ in minimis vaſis continentur, admixta eſſe debet (§§. 1025 & 1024. *numer.* 1. 3. & 4.)

§. MXXVII.

In ictericis tunica albuginea oculorum flaveſcere debet (§. anteced.). Quocum obſervata congruunt.

§. MXXVIII.

Ictericis ſapor amarus ſit, oportet (§. 1026.) Atque hoc etiam congruum eſſe deprehenditur cum indicio ſenſuum.

§. MXXIX.

Hoc ſuppoſito ex Phiſiologicis, quod nempe bilis ciborum digeſtionem in inteſtinis promoveat, alvi excretionem juvet, neceſſe erit, ut in corporibus ictericorum oboriantur læſa digeſtio, cardialgia, alvi obſtructio, quandoque diarrhœa, ſed icteritia (312.), ſiquidem hic viæ conſuetæ præcluduntur, per quas bilis ad canalem inteſtinorum duci ſolet (§. 346.). Singula hæc cum obſervationibus probe conveniunt.

§. MXXX.

Fieri etiam poterit, ut in ictero oboriantur perniciosiſſimæ inflammationes, vel chronicæ viſcerum læſiones (§. 1025. 1026. & 1029.]; in idem quoque conſentientibus obſervationibus.

§. MXXXI.

Neque igitur febris in ictero deficiet, diverſa & gradu, & ſpecie (§§. 1029. & 1030.); idem etiam probantibus obſervationibus.

§. MXXXII.

Quoniam experientia teſte icterum flavum ſucceſſu temporis niger excipere ſolet; eodemque ſuborto, morbi ſymptomata hactenus propoſita majorem ſimul gradum nanciſci deprehenduntur: patebit jam, quid de ictero nigro judicandum ſit.

§. MXXXIII.

Signa pathognomica ſufficientia icteri flavi eſſe poſſunt color flavus in tunica albuginea oculorum

nigri vero præsentiam ex colore ejusdem tunicæ oculorum magis jam ad nigredinem vergente, nec non ex insigni symptomatum morbi augmento colligere licebit (345. 1029-1032.)

§. MXXXIV.

Icteri signa prognostica sufficientia invenire poteris, attentus ad morbi magnitudinem illiusque caussarum conditiones. Sequentes inde jam provenient propositiones, præ reliquis hic annotandæ.

I. Icterus, qui pro sui caussa magis agnoscit graves ad loca hepatis obstructiones, illum magnitudine superabit, qui aliis caussis originem suam debet.

II. Si in corporibus ictericorum excretiones naturales mox insequi deprehendantur symptomatum morbi decrementa, una cum imminutionibus coloris icteritii, ratione habitus externi corporis; bonam tunc prædictionem formare licebit.

III. Conveniet hic etiam ad motus febriles animum dirigere suum; maxime in casibus icteri, qui ab obstructionibus in hepate proficiscitur. Quandoque enim contingit, ut hæc caussa morbi a febre ex voto subigatur.

IV. Quando vero febris de die in diem magis urgere, icteri symptomata plus increscere, tandemque coloris flavi commutationes in nigrum potius fieri videntur: tunc fere conclamatum erit; inducta necessitate moriendi vel ex inflammatione, vel ex tabe (§§. 1030 & 1032.)

CAPUT LXXV.

DE

HYDROPE IN GENERE.

§. MXXXV.

QUod ad illud genus hominum attinet, cui generatim hydrops, ſive tumoris (§. 39.) ea ſpecies oboriri ſolet, quæ fluido lymphatico-ſeroſo ad certa corporis loca nimis coacervato originem ſuam ibidem debet: notari jam merentur conditiones illæ, ſub quibus hunc morbum corporibus humanis accidiſſe, ex obſervationibus multoties conſtitit. Quorſum momenta ſequentia pertinebunt.

I. Cauſſarum illarum ad corpus frequentes admiſſiones, unde validæ compreſſiones, aut conſtrictiones in vaſis efficiuntur.

II. Ubi obſtructiones in viſceribus invaluerunt; imprimis ſubortæ in caſibus febrium intermittentium.

III. Ubi vaſa admodum debilia adſunt; prouti exempli gratia in corporibus ſpongioſi habitus, aut iis, quæ continuo patent aëri humido.

IV. Ubi hæmorrhagias excedentes adfuiſſe conſtitit, aut ſubito ſuppreſſas. Præcipue hic in conſiderationem veniunt illarum hæmorrhagiarum ſuppreſſiones, unde viſceribus abdominis

facile induci observantur læsiones; exemplo infarctus aut scirrhi in hepate, vel liene producti ab hæmorrhoidum vel mensium suppressionibus.

V. Ubi porro notabilem quemdam defectum ratione excretionum serosarum deprehendere licuit. Cujus nominis exempli loco sunt urinæ & sudoris diuturnæ interceptiones; vel etiam exanthematum, præsertim scabiei, repressiones.

VI. Ubi tandem serosa colluvies sanguinis, sive nimia seri in sanguine copia obtinuit; vel etiam massa humorum viscitatem contraxit, eamque potius productam ex abusu spirituosorum.

§. MXXXVI.

Quæ in §.anteced. describuntur subjectorum conditiones, illæ sufficient ad producendas caussas proximas hydropis in genere; pro illarum scilicet ratione diversa ad partes, quibus hydrops inducitur [§§. 39. 248 & 250.]

§. MXXXVII.

Ex observationibus sequentia porro annotanda erunt de affectibus hydropicis generatim.

I. Omnis pars, cui tumor hydropicus inest, pallida & frigida esse deprehenditur.

II. Ejusmodi tumor, qui initio exigui ambitus erat, se tandem ulterius extendit; ita, ut hydrops, in una parte corporis subnatus, hydropem in alia quoque parte producere videatur.

III. Hydropicis oboriri ſolent appetitus proſtratio, poſt paſtum cardialgia & anguſtiæ præcordiorum.

IV. Idem etiam ægrotantium genus difficulter ſudat; urinas paucas, eaſque initio tenues, inſtar aquæ limpidæ, deinceps vero, auctis nempe motibus febrilibus, denſas parumque pellucidas excernit.

V. Proficere ſolent corporibus hydropicis excretiones naturales, præſertim illæ, quarum ope ſerum ad notabilem quantitatem evacuari poteſt, quorſum exempli loco pertinebit diaphoreſis, aut diureſis,

VI. Quandoque etiam contingit, ut, productis continui ſolutionibus in partibus externis, ab hydrope affectis, ſerum inde effluat in commodum ægrotantium; niſi jam adfuerit valde putrida conſtitutio humorum.

VII. Alias ſuccedente tempore in tabem corporis tranſeunt hydropes, vel ob inflammationes iiſdem ſupervenientes adhuc citius enecare ſolent ægrotantes.

§. MXXXVIII.

Non a ſanguine cum impetu ad quædam loca corporis affluente, ſed a fluidi lymphatico-ſeroſi ibidem facta coacervatione tumores hydropici producuntur. Hinc etiam neceſſe erit, ut omnis pars hydropica pallida & frigida appareat (§. anteced. *numer.* 1.)

§. MXXXIX.

Suborto tumore hydropico in parte aliqua hujus diſtenſio perficitur a fluido lymphatico-ſeroſo, quod ibidem coacervatum hæret. Sed hoc fieri non poterit ſine compreſſione vaſorum in locis corporis, quæ vicina ſunt affectis. Unde jam tranſibit tumor hydropicus ex una parte ad aliam; idque eo magis, ſi nempe vaſorum compreſſioni mox acceſſerint aliæ ejuſdem tumoris cauſſæ, ut ſunt vaſorum debilitas, diſruptiones, obſtructiones (§. 248.) Ex quibus igitur ſatis conſtare poterit de ratione, quare nimirum tumores hydropici increſcant, & quaſi extendant limites ſuos (§. 1037. *numer.* II.)?

§. MXL.

Ob nimias fluidi lymphatico-ſeroſi collectiones, quæ in certis locis corporum hydropicorum evenire ſolent, fieri omnino poterit, ut, hic jam in genere præſentibus cauſſis debilitatis, ventriculus & inteſtina reddantur quoque debilia, atque ad ipſum ſuccum gaſtricum accedat ſegnities. Hinc jam patebit ratio phænomenorum deſcriptorum ad §. 1037. *numer.* 3.

§. MXLI.

Ut ſeri e corpore excretiones rite ſuccedant, requiritur inter alia, ne materia evacuanda deficiat in iis locis corporis, per quæ tranſire debet, neque ipſa organa excretoria comprimantur, aut ad ſui orificia conſtringantur, aut a materia ſtagnante red-

dantur

dantur impermeabilia; id præcipiente Phyſiologia. Sed hujus jam conditionis cauſſæ ineſſe poterunt corporibus hydropicis, a quibus generatim ſeri e corpore evacuationes, præſertim vero ſudoris & urinæ excretiones impediuntur (§§. 248. 250 & 1035.) Exin ideoque cognoſcere licebit rationem, quare nimirum in hydropicis ſudor difficulter proveniat, urina parce excernatur, eaque initio admodum diluta, ſaturatior vero ſub augmento febris, qua humor lentus & ſtagnans magis moveri poteſt (§. 1037. *num.* 4.)?

§. MXLII.

Ex Phyſiologicis conſtat, ſerum eſſe, quod per ſudoris vel urinæ excretionem e corpore ſecedit; idque ad quantitatem ſatis notabilem in ſtatu ſanitatis. Non poterit igitur fieri, quin etiam ſeri quantitas in iis locis corporis, ubi illud coacervatum efformat tumorem, imminuatur, ibidemque productus tumor decreſcat; quam primum in hydropicis proveniant liberaliores ſeri excretiones. Quare etiam perſpicua erit ratio phænomeni annotati ad §. 1037. *numer.* 5.

§. MXLIII.

Quia generatim per ſeri evacuationes e corpore tumor hydropicus imminui poteſt (§. anteced.): neque ideo mirum erit, quod hydropicis inde levamentum quoddam accedat, quando illis ad loca affecta ſolutiones continui inſtar fonticulorum, ſerum plorantium, oboriuntur (§. 1037. *num.* 6.) Præter cauſſam vero nimiæ extenſionis fibrarum

a qua in locis externis, ab hydrope affectis, ejusmodi solutiones continui proficiscuntur, eædem quoque a putrefactione seri ibidem præsentis effici poterunt. Atque hoc si contigerit; tunc necesse erit, ut parum commodi inde ad ægrotantes redeat; siquidem ob liberum aëris externi ad partes solutas accessum seri jam putridi major adhuc fiet corruptio, corporibus hydropicis pessimos inductura effectus. Unde jam liquida erit ratio, cur hydropicis magis nocere deprehendantur ejusmodi excretiones seri e partibus externis, quæ ab illius putrefactione producuntur (§. 1037. *numer. 6.*)?

§. MXLIV.

Præter frequentissimas viscerum læsiones, quæ in affectibus hydropicis, obtinent, ibidem semper aderunt vasorum lymphaticorum in locis quibusdam corporis distensiones, compressiones, constrictiones, obstructiones, immo etiam ipsius fluidi lymphatico-serosi extravasationes, corruptiones, atque inde compluribus partibus solidis illatæ destructiones (§§. 248. 250 & 1035.) Exinde satis jam conspicua erit ratio tristis illius eventus, quem hydropes nancisci solent (§. 1037. *numer. 7.*)

§. MXLV.

Si adhuc alia in affectibus hydropicis symptomata deprehendere licet, præter ea, quæ hactenus exposita sunt; illa magis dependebunt a qualitate partium, quibus hydrops inhæret, ad hujus itaque species magis referenda. Notatu etiam di-

gnum eſt, hydropicos circa veſperam ſe pejus habere, quam alio tempore.

§. MXLVI.

Signa pathognomica ſufficientia hydropis in genere ex definitione & cauſſis morbi (§§. 39. 1035 & 1036.) intelligi poterunt; vel etiam, ſi ille magis occupaverit partes externas, ex deprehenſa tumoris indole, quæ indicatur ad §. 1037. *num.* 1.

§. MXLVII.

Cognitio vero ſignorum prognoſticorum in affectibus hydropicis generatim petenda erit a morbi magnitudine, cauſſarum conditionibus, nec non a partium, quæ a morbo affliguntur, indole & natura. Hic igitur valebunt propoſitiones ſequentes.

I. Quo magis putreſcere deprehenditur fluidum lymphatico-ſeroſum in corporibus hydropicis; eo major morbus erit.

II. Quo plurium vaſorum ſolutiones in corporibus hydropicis fiunt; eo majoris gradus morbus erit.

III. Si etiam hydrops, aut ejus cauſſæ in viſceribus locum ſuum magis habuerint; tunc neceſſe erit, ut in ejuſmodi caſibus morbus magnitudine præ reliquis emineat; imprimis hic ſimul concurrentibus reſpirandi difficultatibus, aut aliis functionum vitalium læſionibus.

IV. Si hiſce fundamentis præſagiendi ea adhuc accedant momenta, quæ jam in §§. 1041-1044. expoſita proſtant; tunc ſatis conſtare poterit de prognoſi in affectibus hydropicis.

CAPUT LXXVI.

DE LEUCOPHLEGMATIA ET ANASARCA.

§. MXLVIII.

Tumor universæ cutis mollior esse & tactui facilius cedere debet in leucophlegmatia, quam in anasarca (§. 247.)

§. MXLIX.

In leucophlegmatia & anasarca simul adesse debent hydrocephalus externus, hydrocele & œdemata (§§. 247 & 249.)

§. ML.

Præter somnolentiam, perexiguas quoque commotiones febriles observare licet in iis, quibus leucophlegmatia vel anasarca oboritur sine prægressis ascite & tympanite, vel aliis hydropibus internis. Dum e contrario satis notabiles esse deprehenduntur motus febriles in leucophlegmatia vel anasarca quæ ascitem & tympanitem, vel alios hydropes internos insequitur.

§. MLI.

Ægrotantes adeoque ex leucophlegmatia vel anasarca urinam modo tenuem, modo crassam excernent; pro ratione nimirum motuum febrilium ibidem obortorum (§§. 1041 & anteced.) Quocum etiam observationes consentiunt.

§. MLII.

Ascites & tympanites, vel alii hydropes interni, viscerum læsiones supponunt; quemadmodum id ex sequentibus mox constabit. Si jam exinde corpori inducitur leucophlegmatia vel anasarca; morbus tunc erit illo major, qui sine conditione modo indicata suboritur (§. 1047. *numer.* 3.) Quod etiam observationes probant, quarum beneficio constitit, leucophlegmatiam vel anasarcam, ortam sine ascite & tympanite, aut aliis hydropibus internis sibi præviis sponte sæpius cedere, facilisque sanationis esse; refractarium vero morbum esse in casu opposito.

§. MLIII.

Ad signa pathognomica sufficientia leucophlegmatiæ & anasarcæ quod attinet; tunc priorem morbum dignoscere licebit ex tumore molli, pallido & frigido universæ cutis; posteriorem vero ex tumore ad tactum magis resistente, pallido & frigido, ad totum quoque habitum corporis externum oborto (§§. 1037. *numer.* 1. & 1048.)

§. MLIV.

Ad prognosin vero in leucophlegmatia & anasarca sufficient prolata in §§. 1047 & 1052.

CAPUT LXXVII.

DE ASCITE ET TYMPANITE.

§. MLV.

PEr paracentesin institutam in ægrotantibus ex ascite vel tympanite (§. 249.), vel etiam per sectiones, in defunctis hoc morbo susceptas, sequentia innotuerunt.

I. Aqua continebatur modo in duplicatura peritonæi, modo in cavo abdominis peritonæum inter & viscera.

II. Glandulæ mesenterii, pancreas, hepar, lien, partim infarcta a fluido lymphatico-seroso, partim etiam scirrhosa facta esse observabantur.

§. MLVI.

Infarctus, scirrhi viscerum abdominalium magis idonei sunt ad ascitem & tympanitem, quam aliam hydropis speciem, producendam (§§. 248. 249 & 250.)

§. MLVII.

Intelligi inde poterit, quare nimirum fieri soleat, ut ascites vel tympanites corpori induci observetur, facto abusu adstringentium in febribus, præcipue intermittentibus; hæmorrhoidibus vel mensibus suppressis aut excedentibus; vel etiam visceri-

bus abdominalibus admodum debilitatis vel obſtructis, quacumque id etiam ratione fiat.

§. MLVIII.

Ex aſcite & tympanite facile oriri poterunt hydrocele & pedum œdemata (§§. 249. & 1039.) Quod etiam frequentiſſimæ obſervationes probant.

§. MLIX.

In aſciticis & tympaniticis dyſpnœa adeſſe debet, eaque ſæpius intenſioris gradus (§§. 249 & 294.) Atque hoc quoque congruum eſt cum experientia; ſiquidem eadem præceptrice innotuit, quod aſciticis vel tympaniticis haud raro accidere ſoleat orthopnœa, ſive tanta reſpirandi difficultas, ut in ſitu magis elevato & recto ſervare thoracem & cervicem cogantur miſeri, ne ſuffocandi periculum ſubeant.

§. MLX.

Quare hic etiam majores anguſtiæ præcordiorum, quam in ulla alia ſpecie hydropis, proveniant, neceſſe erit (§. anteced. & 1040.); in idem conſentiente experientia.

§. MLXI.

In aſciticis & tympaniticis admodum inſignes eſſe obſervantur commotiones febriles.

§. MLXII.

Urinæ igitur aſciticorum & tympaniticorum, quæ excernuntur, magis ſaturatæ erunt (§§. an-

teced. & 1041.); idem etiam probante ſenſuum judicio.

§. MLXIII.

Deprehenſis ad abdomen turgidum illis indiciis, unde tumores hydropici generatim cognoſcuntur (§. 1038.), una cum eorum gradu, in quo conſtituti plus minuſve tactui reſiſtunt; conſtabit jam de ſignis pathognomicis ſufficientibus in aſcite & tympanite (§. 249.)

§. MLIV.

Ad prognoſin vero in aſcite & tympanite ſufficiet eorum recta applicatio, quæ exponuntur in (§§. 1047. 1056 & 1059.)

CAPUT LXXVIII.

DE OEDEMATE.

§. MLXV.

OEdemata (§. 249.) ſubiectis evenire ſolent naturæ ſequentis.

I. Quibus remediorum refrigerantium, adſtringentium atque exſiccantium abuſus circa artuum vulnera aut ulcera oboritur.

II. Quæ ad membra aquas frigidas frequenter admittunt.

III. Quibus atrocissimi spasmi in artubus erant perferendi.

IV. Quibus translationes materiæ febrilis ad artus fiunt.

V. Feminis gravidis, atque etiam illis quæ obnoxiæ sunt mensium perturbationibus, nec non viris, ex suppressione hæmorrhoidum laborantibus, pedum œdemata imprimis familiaria esse deprehenduntur; eademque phthisicis sæpius oboriri, justoque longius stantibus, præcipue in locis humidis, haud raro accidere observantur.

VI. Plura repeti poterunt ex §. 1035. hic quoque notanda.

§. MLXVI.

Ex recensitis in §. anteced. subjectorum determinationibus œdema potius, quam alia hydropis species, nasci poterit (§. 249.)

§. MLXVII.

Sensus ponderis incommodus in partibus, ab œdemate affectis, ulcerum pessimæ indolis productio perquam facilis ad morbi hujus symptomata, præter alia, quæ tumoribus hydropicis communia sunt (1037. *numer.* 6.), pertinebunt (§.249.) Quod etiam cum sensuum judicio convenit.

§. MLXVIII.

Oedematis signa pathognomica sufficientia ex illius definitione (§. 249.) cognosces, attentus scilicet ad ea loca corporis, quæ huic speciei hydro-

pis ſedem præbent. In artubus itaque conſpecto tumore hydropico, quem pallidum & frigidum eſſe (§. 1038.), & tactui, pro differentia gradus, parum aut nimis reſiſtere oportebit: de œdematis exiſtentia ſatis conſtabit.

§. MLXIX.

Oedematum prognoſis eadem principia agnoſcit, quæ in §. 1048. de hydrope in genere traduntur; iiſdem ad caſum præſentem convenienter applicatis (§. 249.)

CAPUT LXXIX.

DE FLUORE ALBO BENIGNO.

§. MLXX.

DOcent obſervationes, fluorem album benignum (§. 327.) ſexui ſequiori accidere ſub conditionibus ſequentibus.

I. Puellæ viro maturæ, venerem ſupra modum appetentes, hunc morbum facile concipiunt.

II. Viduis quoque junioribus idem mali genus haud raro oboriri ſolet.

III. Feminis, quibus fluxus menſtruus difficilis eſt, hujus loco fluor albus benignus plerumque evenire deprehenditur.

IV. Neque minus in feminis annoſioribus, in quibus jam ob ætatis rationem ſanguinis menſtrui excretio ceſſat, fluor albus benignus frequenter provenit, maxime, circa periodos menſtruas ipſis antea conſuetas.

V. Non numquam etiam impuberes puellæ fluxum hunc patiuntur poſt phlegmatorrhagiam ſuppreſſam, aut ſcabiem, vel cruſtam lacteam inconſiderate repulſam.

VI. Feminis gravidis, aut illis, quæ frequentem abortum fecerunt, fluor albus benignus perquam familiaris eſt.

VII. Idem etiam morbus in feminis conſpicuus fit, quæ Venere abutuntur, aërem humidum, calidum ad genitalia crebro admittunt.

VIII. Feminis porro in otio magis viventibus frequentius, quam vitæ mobili deditis, contingere ſolet fluor albus benignus.

IX. Si his conditionibus inſuper accedere obſervantur in feminis ſpongioſus habitus corporis, colluvies ſanguinis ſeroſa, ſudoris atque aliarum ſeri excretionum ſuppreſſiones; prodire tunc quoque ſolet fluor albus benignus, iſque largior.

§. MLXXI.

A determinationibus ſubjectorum, quæ in §. anteced. deſcribuntur, ortum fluoris albi benigni derivare licebit (§. 328.)

§. MLXXII.

Fluor albus benignus, generatim consideratus, ad morbos nimiæ excretionis pertinebit (§. 327.) Hinc necesse erit, ut hic etiam incommoda quædam ad loca excretoriis vicina proveniant, quæ originem suam debent humorum congestioni, qua morbi auctæ excretionis stipati esse solent. Unde jam patebit ratio gravitatis pedum, de qua præ aliis incommodis feminæ, fluori albo benigno obnoxiæ, statim sub initio morbi plerumque conqueri deprehenduntur.

§. MLXXIII.

Fieri poterit, ut mucus, qui in fluore albo benigno nondum corruptus excernitur (§. 327.), intra rugas vaginæ uteri coacervatus hæreat, ibidemque ob liberas aëris externi accessiones mora temporis putrescere incipiat; maxime hic simul concurrentibus caussis aliis, quæ idoneæ sunt ad massam humorum facile corrumpendam, atque sexui frequenter oboriri solent, ut exempli gratia malum hystericum, læsa viscera. Succedente igitur tempore fluor albus malignus ex benigno (§§. 327 & 328.), præter contagii externi admissiones, oriri poterit. Quod etiam accuratæ observationes quandoque edocuerunt.

§. MLXXIV.

Atque hoc fluoris albi benigni transitu facto in malignum (§. anteced.); necesse omnino erit, ut genitalia, tamquam partes perquam sensiles, adeo pru-

riant, ut feminis sæpius extorqueantur actiones, quibus hunc sensum incommodum lenire conantur; exemplo passuum accurtatorum, quibus tunc temporis incedere observantur.

§. MLXXV.

Auctis excretionibus in locis corporis inferioribus, constrictiones in superioribus oboriri solent. Unde feminarum, fluori albo benigno obtemperantium (§. 327.), pallor in facie, ibi vero magis conspicuus, ubi simul adfuerit seri in sanguine abundantia; hisce annuente sensuum judicio.

§. MLXXVI.

In fluore albo majoris gradus, quamvis etiam ille benignus fuerit, uterus ejusque vagina a seri colluvie ibidem facta supra modum inundari poterunt (§. 327.) Ineptum jam inde fiet ad imprægnandam feminam semen virile utero injectum, si etiam optimæ notæ foret; neque illud uterus insuper debilis factus retinere valebit, cui erat sub coitu insinuatum. Ex quo cognoscere licebit rationem, cur feminæ plerumque steriles esse deprehendantur, quibus inveteratus est fluor albus benignus?

§. MLXXVII.

Signa pathognomica sufficientia fluoris albi benigni (§. 327.) ad sequentia potissimum momenta redire poterunt.

I. Ægra humiditatem genitalium insolitam in se deprehendat, necesse erit; sed sine pruritus incommodo, ibidem percepto (§§. 317 & 1074.)

II. Flocculi albicantis coloris, ut in urinis fiant conſpicui, oportebit. Nam per lotii excretionem mucus, feminæ genitalibus adhærens, ex parte abſtergitur, & candidum colorem exhibet, quando adhuc nullam corruptionem contraxit.

§. MLXXVIII.

Ad prognoſin vero in fluore albo benigno recte concipiendam ſequentia valebunt.

I. Ut in caſibus obviis de morbi magnitudine ſatis conſtet; conveniet cauſſarum conditiones, a quibus ille proficiſcitur (§§. 1070 & 1071.), rite conſiderare.

II. Fluor albus benignus, qui initio per intervalla modo prodiit, mox vero continuus fieri obſervatur, accenſendus erit morbis pertinacibus, qui per integros annos durant. Et tunc imprimis eminebunt morbi effectus, ſupra expoſiti.

III. Quia fluor albus benignus, tamquam ſingularis quædam ſpecies excretionis ſeroſæ auctæ, conſiderari poteſt, & quidem ita, ut fluidum, quod hic excernitur, a corruptione adhuc liberum ſit (§. 327.): ſequitur, idem etiam hic futurum eſſe, quod ordinario fieri ſolet in corpore humano per ſudoris univerſalis acceſſiones ad particulares ſeri excretiones auctas. Sed docent obſervationes, producto ſudore univerſali, alias ſeri excretiones particulares imminui, quandoque etiam prorſus abſorberi. Hinc febris, quæ per largos ſudores ſolvitur, acceſſiones ad fluorem album benignum, illum imminuere, aut plane e medio tollere poterunt; in idem conſentiente experientia.

CAPUT LXXX.
DE
FLUORE ALBO MALIGNO.

§. MLXXIX.

HUic morbo (§. 327.) ſubjici obſervantur feminæ a fluore albo benigno diu vexatæ; vel quibus ulcus putridum in utero eſt; vel quæ cum mare coëunt, obnoxio gonorrhœæ malignæ, aut jam prorſus inquinato a lue venerea; vel quæ tandem ipſæ a lue venerea inficiuntur per contagium alio modo, præter coitum impurum, ad ſe admiſſum.

§. MLXXX.

Nullum eſt dubium, quin feminis ſub illis conditionibus, quæ in §. anteced. exponuntur, fluor albus malignus ingenerari queat (§§. 327. & 328.)

§. MLXXXI.

Putridæ indolis mucus eſt, qui e genitalibus feminæ, fluore albo maligno inquinatæ, profluit; utpote quo momento ſe potiſſimum fluor albus malignus a benigno diſtinguit, qui præterea cum hoc in eo convenit, ut ambo eidem generi ſubſint, referendi ſcilicet ad morbum auctæ excretionis ſeroſæ (§§. 327 & 328.) Veritati itaque vel maxime reſpondebit, ſi fluoris albi maligni ſymptomata deducantur a putrida qualitate muci, qui

feminæ partibus genitalibus ineſt, atque ex iiſdem prodit; non neglectis earumdem partium relationibus aliis, exemplo nimiæ ſenſibilitatis, vel nexus.

§. MLXXXII.

In fluore igitur albo maligno aderunt ſtranguria, dyſuria, arroſiones & inflammationes partium genitalium, una cum variis inde productis effectibus, qui ibidem ac in locis vicinis prodire ſolent (§. anteced.) Quocum etiam obſervationes conſentiunt.

§. MLXXXIII.

Unde porro conſequitur (§. 1081 & 1082.) fieri nimirum poſſe, ut ægrotantibus ex eodem morbo ſucceſſu temporis oboriantur ulcera in partibus genitalibus, eaque peſſimæ indolis, cancroidea dicta, nec non bubones, hæmorrhoides ſerpiginoſæ, fiſtulæ ani, uteri & veſicæ, tandemque lues venerea. Quæ ſingula ab obſervationibus quoque confirmantur.

§. MLXXXIV.

Quæ in §§. 1082 & 1083. exponuntur ſymptomata; ea non deſtituuntur pluribus aliis; ſicut id ſatis conſtare poterit ex evolutione eorum locorum Pathologiæ, quæ huc pertinent. Hinc fluoris albi maligni caſus inter ſe different magnitudine.

§. MLXXXV.

Loco palloris illius cachectici, quem in facie feminarum, fluori albo benigno obnoxiarum, deprehender

hendere licet [§. 1075.], color ibidem magis luridus, præsertim circa orbitas, prodire observatur, suborto fluore albo maligno.

§. MLXXXVI.

De fluoris albi maligni signis pathognomicis sufficientibus sequentem in modum constare poterit.

I. Urina, quæ ab ægrotantibus ex fluore albo maligno excernitur, mucum putridæ indolis [§§. 327 & 328.], hinc magis flavum, similemque materiæ ulcerum putridorum, in se continebit, fœtoremque sparget.

II. Sub initio morbi, præter insolitam partium genitalium humiditatem, ægra ibidem percipiet pruritus sensum incommodum [§§. 327. 328. 1073. 1074 & 1081.]; morbo vero increscente, ardores atque alia incommoda, quæ indicantur in §§. 1083 & 1084.

§. MLXXXVII.

Signorum vero prognosticorum in fluore albo maligno rationes præcipue redibunt ad momenta, quæ nunc jam sequuntur.

I. Putridæ naturæ materia est, quæ partibus genitalibus feminæ, hoc morbo affectæ, inhæret [§§. 327 & 328.] Si igitur illa inde non removeatur tempestive; certo tunc provenient effectus, qui descripti in §§. 1082-1084. prostant.

II. Hæc materiæ putridæ a partibus genita-libus abſterſio [*num.* anteced.] præſertim fieri poterit per urinæ excretionem.

III. Productis vero illis effectibus, qui a pravitate materiæ fluoris albi maligni tandem oriri ſolent [§§. 1082-1084.]; tum ex illorum diverſitate ratione ſpeciei & gradus, morbi totius eventus præſagiendus erit. Præ reliquis hic animum dirigere conveniet ad inflammationem, ejuſque differentes ſolutiones [414.]

CAPUT LXXXI.

DE GONORRHOEA BENIGNA.

§. MLXXXVIII.

INdolis ſequentis eſſe deprehenduntur mares, quibus gonorrhœa benigna [§. 329.] accidere ſolet.

I. Qui nimirum ſpaſmis circa veſicam urinariam vexantur.

II. Qui Venere ſupra modum abutuntur.

III. Quibus pollutiones nocturnæ frequenter oboriuntur.

IV. Qui abuſum diureticorum & aphrodiſiacorum admittunt.

§. MLXXXIX.

Ortui gonorrhœæ benignæ sufficere poterunt conditiones subjectorum, ad §. anteced. prolatæ [§. 330.]

§. MXC.

In gonorrhoea benigna paulo majoris gradus jactura satis notabilis fieri potest fluidi, quod, intra corpus retentum, ad sanguinem deferri, atque in corporis nutritionem converti potuisset [§. 329.]; id præcipiente Physiologia. Unde jam corpus debile & macilentum reddatur, oportebit. Quod etiam consonum est cum observatis.

§. MXCI.

Inter alias conditiones, quibus mari necesse est ad coitum fœcundum, ea quoque requiritur, ne ipsi oboriatur penuria seminis; id tradente Physiologia. Hinc etiam fieri poterit, ut a gonorrhœa benigna, imprimis inveterata, impotentia tandem virilis proveniat [§. 329.] Quocum similiter observationes consentiunt.

§. MXCII.

Materia gonorrhœæ benignæ per urethram transit, omnis putredinis expers est [§. 329.], neque jam tam facile, quam fieri potest in fluore albo benigno [§. 1073.], subibit; & quidem ideo, quoniam illa a parietibus urethræ per succedentes urinæ excretiones magis abstergitur, neque tantopere patet aëri externo. Ex quibus jam conficiendum erit;

gonorrhœæ benignæ in malignam [§. 330.] tran-
ſitum ſpontaneum, ſi non prorſus impoſſibilem,
certo tamen difficilem fore. Quod etiam ſatis ac-
curatis obſervationibus reſpondet.

§. MXCIII.

De ſignis pathognomicis ſufficientibus gonor-
rhœæ benignæ ſequentem in modum conſtare pot-
erit.

I. Præter inſolitam lubricitatem intra præpu-
tium & glandem penis, nullo cum ſenſu pru-
ritus ibidem percepti conjunctam, in urina æ-
grotantis continebuntur flocculi candidi. Nam
integra adhuc eſt materia atque ab omni pu-
trefactione libera, quæ in gonorrhœa benign
prodit ex urethra [§. 329.], atque intra præpu-
tium & glandem penis colligitur.

II. Præſente vero gonorrhœa benigna paul
majoris gradus, materiam albicantis coloris e
urethra egredientem, atque ad hujus orificium
exterius apparentem inſtar guttularum ſimilium
albumini ovorum videre licebit; accedente im
primis ad glandem penis compreſſione [§. 329.

§. MXCIV.

Prognoſis in gonorrhœa benigna, ob ſui con
venientiam cum fluore albo benigno [§§. 327 &
329.], ad eadem quoque momenta redibit, qu
jam exſtant in §. 1078.

CAPUT LXXXII.
DE
GONORRHOEA MALIGNA.

§ MXCV.

GOnorrhoeæ malignæ [§. 329.] vix alii ſubjiciuntur, quam qui contagium venereum aliunde in corpus receperunt [§§. 330 & 1092.]

§. MXCVI.

Qui feminis, fluore albo maligno, aut labe venerea infectis, utuntur; vel etiam alio modo, præter coitum impurum, ad ſe admittunt contagium venereum, ita tamen, ut illud ſtatim ad partes genitales pertingat; illi præ reliquis citius gonorrhœam malignam concipient. Sed quorum corpora contagium venereum aliter, quam modo dictum eſt, in ſe recipiunt; in illis etiam neque prius gonorrhœa maligna proveniet, quam poſt inflictam aliis partibus a materia venerea calamitatem. Neceſſe enim eſt, ut materia maligna ibi prius effectus ſuos edat, ubi ejus factæ ſunt inſinuationes. Quibuſcum obſervationes probe conſentiunt.

§. MXCVII.

Ex ſectionibus cadaverum conſtitit, in gonorrhœa maligna adeſſe modo tumores, modo exulcerationes tam in proſtatis, quam etiam in glandulis urethræ.

§. MXCVIII.

Observare porro licet, gonorrhœam malignam præcedere pruritum & ardorem in præputio & glande penis.

§. MXCIX.

Contagium venereum per vasa inhalantia præputii & glandis penis defertur ad prostatas & glandulas urethræ; suborto nempe casu gonorrhœæ malignæ, ducentis originem suam a coitu impuro (§§. 1096 & 1098.)

§. MC.

Gonorrhœæ malignæ & fluoris albi maligni notionibus (§§. 327 - 330.) inter se rite jam comparatis; non poterit non intelligi, quod ad cognitionem symptomatum gonorrhœæ malignæ idem quoque principium valeat, quod locum habuit ad symptomata in fluore albo maligno evolvenda (§. 1081.]

§. MCI.

In gonorrhœa itaque maligna evenire poterunt stranguria, dysuria, phimosis, inflammationes totius penis & testiculorum, bubones, excrescentiæ in glande penis vel ejus præputio, nec non in urethra (ubi carunculæ venereæ dicuntur), ulcera in penis glande adeo pravæ indolis, ut cancroideæ appellentur, psoriasis, hæmorrhoides serpiginosæ, fistulæ ani & vesicæ, lues denique venerea (§. anteced.) Quibuscum observationes passim conveniunt,

§. MCII.

Proposita in §. anteced. symptomata gonorrhœæ malignæ, complura alia sibi connexa habent. Quare hic etiam simili ratione, prouti factum erat in §. 1084. colligere licebit; fieri nimirum posse, ut gonorrhœæ malignæ casus acerbitate inter se discrepent.

§. MCIII.

Signa pathognomica sufficientia in gonorrhœa maligna (§. 329.) sequentem in modum invenire licebit.

I. Non nisi putridæ indolis materia est, quæ in hoc morbo ex urethra excernitur (§§. 329 & 330.) Unde necesse erit, ut, præter insolitam lubricitatem, quæ intra præputium & glandem penis fit, ibidem oboriatur simul pruritus, ægro magis magisque molestus.

II. Sub morbi vero progressu, materia colore flavo, viridescente, illique simili prædita, quem plerumque ulcerum putridorum materia præ se ferre solet, satis patebit visui; si imprimis glans penis comprimatur (§. 329.) Comparebunt tunc etiam in urina flocculi flavescentis coloris, in illa fœtorem excitantes; quia particulæ sunt materiæ putridæ, quæ adhærebant urethræ, unde per succedentem fluxum urinæ abluuntur (§. citat.) Quibus mox accedent morbi effectus alii satis conspicui, quos exhibet §. 1101.

§. MCIV.

Quod denique ad prognosin in gonorrhœa maligna attinet; necesse erit, ut illa conveniat cum prognosi fluoris albi (§. 1087.); siquidem uterque morbus sibi similis est. Quare hic etiam attendere oportebit ad materiæ putridæ e corpore exterminationem, ope excretionis urinæ potissimum perficiendam; ad morbi effectus [§. 1101.], specie & gradu differentes, omnium maxime ad inflammationis efficaciam.

CAPUT LXXXIII.

DE

LUE VENEREA.

§. MCV.

LUis venereæ [§. 344.] tres gradus constitui solent. *Primus* nempe *gradus* æstimatur ex fluidi lymphatico-serosi corruptione universali, sed integris adhuc partibus solidis. *Secundus* vero *gradus* supponit solutionem, partibus solidis flexilibus inductam a corruptione totius massæ lymphatico-serosæ. *Tertius* denique *gradus* ex eo dijudicatur, quando jam massæ lymphatico-serosæ tanta corruptio inest, ut inde partes quoque inflexiles, sive ossa solvantur.

§. MCVI.

Hiſtoriarum documenta teſtantur, luem venercam genti Americanæ eſſe endemiam, nec prius in Europa innotuiſſe, quam circa illud tempus, ex quo nempe navigationes in Americam inſtitutæ erant ab Hiſpanis; a quibus jam hoc mali genus in Neapolim prius tranſportatum, ac inde per univerſam Europam diffuſum fuiſſe dicitur.

§. MCVII.

Lues venerea inter gentes Europæas generari poterat ſine prævio contagio, in Europam aliunde delato (§. 1073. 1083. 1095 & ſeqq.

§. MCVIII.

Probabile tamen eſt, corpora Europæorum ex eo tempore majorem impetraſſe diſpoſitionem ad luem veneream concipiendam, ex quo inter Europæ & Americæ incolas commercia obtinuerunt (§. 1106.)

§. MCIX.

Sanguis venereorum frigeſcens lentorem concipere, atque in grana ſubalbida glutinoſa coire, non numquam etiam fœtorem ſpirare obſervatur.

§. MCX.

Ex §. anteced. ſatis clare eluceſcit veritas eorum, quæ ſumuntur ad conficiendam luis venereæ definitionem (§. 344.)

§. MCXI.

Lues venerea vexas ſuas magis exercebit in glandulis æque, ac partibus aliis, quæ cum illis ratione

humoris lymphatico-ſeroſi, in ſe copioſius contenti, conveniunt (§. 344 & anteced.). Quod etiam judicio ſenſuum reſpondere obſervatur.

§. MCXII.

Si lues venerea ex prægreſſione fluoris albi maligni, vel gonorrhœæ malignæ oritur, atque ad ſecundum gradum pertingere conatur: tum neceſſe erit, ut materia venerea tyrannidem ſuam in glandulis faucium & palati prius exerceat, quam reliquæ glandulæ & partes aliæ ſolidæ ab eadem afficiantur. Sin autem virus venereum glandulis faucium & palati prius inſinuatur, inde vero ad maſſam humorum tranſit, eoque modo ſuborta lues venerea ad ſecundum gradum proxime accedere videtur: tunc gonorrhœa maligna in maribus, & fluor albus in feminis, una cum reliquis partium genitalium calamitatibus provenient, antequam complures aliæ partes ſolidæ corporis ſubjiciantur efficaciæ miaſmatis venerei (§§. 344. 1110 & 1111.). Idem etiam accuratæ obſervationes probant.

§. MCXIII.

In lue venerea, eaque modo primi gradus, adeſſe jam poterunt tumores glandularum aliarumque illis ſimilium partium, inflammationes, dolores arthritico-rheumatici, ſcabies, angina, raucitas, cephalalgia (§§. 344. 1105. 1109-1112.). Quod etiam obſervationes confirmant.

§. MCXIV.

Quibus ſymptomatibus (§. anteced.) porro accedent ulcera in compluribus locis corporis, eaque

fœtida, lardo rancido ac infumato ſimilia, tandemque caries oſſium, immo etiam ſpina ventoſa; perducta ſcilicet lue venerea ad ſecundum & tertium gradum (§§. 344. 1105 & 1113.). Quocum obſervationes conſentiunt.

§. MCXV.

Indicata in §§. 1113 & 1114. ſymptomata luis venereæ hujus conditionis erunt, ut inde plures alii effectus in ægrotantibus prodeant, ſpecie & magnitudine diverſi; pro ratione ſcilicet differente locorum corporis præ reliquis afflictorum, nec non putrefactionis ibidem ſubortæ, humorumque eam ſubeuntium. Hinc perſpicuum erit, cur luis venereæ caſus ratione individuorum inter ſe diſcrepent; & quænam potiſſimum loca pathologiæ hic conferri mereantur, ut differentia iſta plenius intelligatur?

§. MCXVI.

Aegrotantes ex lue venerea, præſertim ſecundi & tertii gradus, puſtulas in fronte habere, inſimulque faciem pallidam, vel potius lureſcentem præ ſe ferre deprehenduntur.

§. MCXVII.

Experientia porro docet, venereos noctu ſe longe pejus habere, quam ullo alio tempore.

§. MCXVIII.

De ſignis pathognomicis ſufficientibus luis venereæ diverſorum graduum conſtare poterit ex definitionibus (§§. 244 & 1105.); ex morbi ſympto-

matibus (§§. 1111-1114.); tandemque ex deprehenso illo phænomeno, quod annotatum exstat in (§. 1116.)

§. MCXIX.

Ad prognosin vero luis venereæ inveniendam, necesse erit, ut rationem habeas gradus morbi (§. 1105.), ejus symptomatum, nec non locorum corporis, quæ præ reliquis in casu obvio afficiuntur (§§. 1113-1115). Præter hæc ad excretiones naturales hic etiam respicere conveniet; utpote quarum ope inhærentes corpori materiæ putridæ ex eodem exterminari solent. Atque hoc si ita contingit, ut mox insequantur symptomatum morbi satis conspicua decrementa; bonam inde formare licebit prædictionem. Sin autem secus, suborietur successu temporis tabes corporis, ægrum tandem enecatura; nisi forte perniciosæ inflammationis accessiones eventum morbi funestum magis accelerent.

CAPUT LXXXIV.

DE SCABIE.

§. MCXX.

SCabiem (§. 225.) concipere observantur subjecta indolis sequentis.

I. Quæ suppressiones hæmorhagiarum, aut aliarum excretionum naturalium patiuntur.

II. Quæ ratione victus cruda, acida, valde salita justo liberalius ad se admittunt.

III. Quibus vita magis otiosa est.

IV. Quibus tandem vel commercium intercedit cum infectis a scabie; vel illis alio modo insinuatur eadem miasmatis species.

§. MCXXI.

Quæ describuntur in §. anteced. subjectorum conditiones, illæ idoneæ erunt, ad scabiem corpori inducendam (§§. 225 & 227.)

§. MCXXII.

Licet ad vesiculas aut pustulas scabiosas circulum aliquem rubentem observare, quo illæ quasi cinguntur.

§. MCXXIII.

Materia, quæ in vesiculis vel pustulis scabiosis continetur, acris esse deprehenditur, ita, ut eadem delata ad cutis loca adhuc integra atque a scabie immunia, ibi mox proveniant pruritus, rubedo, vesiculæ aut pustulæ.

§. MCXXIV.

Quo profundius in cutim penetrat inflammatio: eo citius ex scabie sicca fiet humida (§§. 226 & 1122.); in idem consentiente experientia.

§. MCXXV.

Omnis scabies, per se considerata, indolem morbi maligni præ se fert; sub differente tamen gra-

du malignitatis (§. 77 & 137. *prolegomen.* 227. 1120. *numer.* 4. & 1123.)

§. MCXXVI.

Quo majoris gradus putredo fluidi lymphatico-serosi fuerit, eo magis eminebit malignitate scabies; qualis exempli caussa venereorum, aut scorbuticorum esse solet (§. 137. *proleg.* & anteced.)

§. MCXXVII.

Quoniam materia scabiosa hujus efficaciæ est, ut ab ejus contactu in iis locis cutaneis novæ prodeant vesiculæ aut pustulæ scabiosæ, ubi nullas deprehendere licuit (§. 1123.); consequens ideoque erit, scabiem morbis refractariis accensendam esse. Id quod etiam probe convenit cum observatis.

§. MCXXVIII.

Ob massæ lymphatico-serosæ acrimoniam, quæ in ægrotantibus ex scabie obtinet (§§. 227 & 1123), necesse erit, ut similis etiam conditionis succus gastricus in iisdem secernatur. In hoc igitur ægrorum genere fames supra modum excedet (306.), ad quam leniendam sæpius tantam ciborum copiam ventriculo ingerere coguntur, quanta ab illius actione subigi nequit. Exinde jam ortis cruditatibus in primis viis, majores ad massam humorum corruptiones accedent, statusque morbi deterior fiet. Quocum etiam observata consentiunt.

§. MCXXIX.

Scabiei materia arrosionis modo agere potest (§§. 227 & 1123.). Aucto igitur illius impetu ad loca

peripherica corporis, necesse erit, ut ibidem proveniant majora pruritus incommoda, tumores, inflammationes, ulcera. Quod pariter cum observationibus convenit.

§. MCXXX.

Ex observationibus abundanter constitit, ex subitaneis scabiei repulsionibus provenisse effectus in corpore, specie & gravitate inter se differentes. Huc scilicet pertinent spasmi, convulsiones, paralysis, tumores glandularum, hydropes, asthma, catarrhus suffocativus, inflammationes partium externarum ac internarum, viscerum obstructiones, illorumque læsiones aliæ.

§. MCXXXI.

Necesse est, ut horum effectuum (§. anteced.) ratio dependeat a qualitate materiæ scabiosæ (§§. 227 & 1123.), quatenus delatæ ad differentia loca corporis, pro conditione ægrorum peculiari in casibus obviis.

§. MCXXXII.

Docent porro observationes, scabie infectos permultum commodi percipere ex congruo excretionum naturalium successu. Præsertim utiles hic esse deprehenduntur excretiones seri; atque inter has vel maxime proficere solent illæ, quæ per alvi vel urinæ evacuationem fiunt.

§. MCXXXIII.

Tandem id quoque ex observationibus annotandum erit, quod nimirum scabie contaminati majo-

ra morbi incommoda noctu magis persentire soleant, quam diurno tempore.

§. MCXXXIV.

Scabiei signa pathognomica sufficientia ex illius definitione (§. 225.) satis constabunt; prognostica vero facile intelligentur, eorum rite facta applicatione ad casum, quæ exponuntur in §§. 1126-1132.

CAPUT LXXXV.

DE

IMPETIGINE ET LEPRA.

§. MCXXXV.

QUo plures validioresve caussæ locum invenient in corpore scabioso, ad inflammationem in cute producendam, eo citius generari poterit impetigo (§. 229.)

§. NCXXXVI.

Ex §. itaque anteced. illos casus in specie intelligere licebit, ubi subortam fuisse impetiginem, frequenter commonstrarunt observationes. Hujus nominis sunt: repellentium, aut humores ad periphemiam corporis valdopere cientium admissiones; materiæ, quæ in vesiculis aut pustulis scabiosis continetur, acrimonia gradus eminentis; spissitudo tandem

dem humorum, magnitudine gradus admodum conſpicua.

§. MCXXXVII.

Si etiam ad partem externam, cui inerat ulcus compoſitum, largius admittantur repellentia; tunc quoque orietur impetigo [§§. 198 & 229.]; in dem conſentientibus obſervatis.

§. DCXXXVIII.

Quoniam elephantiaſis ab impetigine tam ampliore ſui extenſione, quam etiam malignitatis gradu longe eminentiore differt [§. 229.]; hinc neceſſe erit, ut in corporibus leproſis totius maſſæ humorum, præcipue lymphatico-ſeroſorum, corruptio ad inſignem gradum obtineat, ut fieri ſolet exempli cauſſa in lue venerea.

§. MCXXXIX.

Obſervationes teſtantur, veram elephantiaſin pertinere ad morbos in permultis regionibus admodum raros, frequentiores vero inter Arabes; vim contagii habere; longæ durationis eſſe; atque incedere ſequentibus ſymptomatibus. Præter fœdiſſimam ſcabiem in totius corporis cute, tumor quoque adeſſe ibidem deprehenditur; iſque initio mollis, deinde durus, atque ad ingens quoddam volumen increſcens, notatus præterea ſtriis aut maculis rubris, quæ ſe ulterius extendunt, & colorem ſæpius induunt, ad nigredinem vergentem. Pruritus & doloris incommoda hic quidem continua ſunt, ſed differentis gradus. Exhalationes leproſorum abo-

minabilem concitant fœtorem; præsertim obortis jam gravibus quibusdam exulcerationibus in cute. Ulcera hæc ulterius serpunt; ossa a carie afficiuntur. Sequitur tandem morbi eventus lethalis, quem tabes aut graves quædam inflammationes miseris indicere solent.

§. MCXL.

Lepra spectari potest ut cancer totius cutis [§§. 212. 213. 229. 1138 & 1139.]

§. MCXLI.

Symptomata impetiginis derivanda erunt ab inflammatione cutis, & effectibus arrosionis ac exulcerationis ibidem factis per materiam acrem, contentam in vesiculis aut pustulis scabiosis [§. 229.]

§. MCXLII.

Simili etiam principio uti conveniet [§. anteced.] ad lepræ symptomata explicanda; si majoris malignitatis materiæ ac eorum ratio hic simul habeatur, quæ de affectionibus cancri [§§. 443 & seqq.] jam evicta supra prostant [§§. 229 & 1140.]

§. MCXLIII.

Signa pathognomica sufficientia impetiginis per sui definitionem [§. 229.] facile constabunt; lepræ vero cognosci poterunt partim ex definitione morbi [§. citat.], partim etiam ex illius facta descriptione ad §. 1129.

§. MCXLIV.

Prognosi tandem in utroque morbo inservient principia ad §. 1134. indicata. Quibus insuper adde eorum, quæ in §§. 1141 & 1142. exponuntur, congruam applicationem.

CAPUT LXXXVI.

DE HERPETE ET ZONA.

§. MCXLV.

SI ad corpus, scabie sicca deturpatum, accedunt caussæ, a quibus erysipelas produci potest; vel si ad erysipelas jam productum admittuntur debilitantia, aut inspissantia; vel si erysipelas oboritur subjectis cacochymicis; possibilis tum erit herpes [§. 230.]

§. MCXLVI.

Ex §. anteced. intelligi poterit ratio, quare nimirum scabie infecti serpiginem tunc facile concipiant, quando pruritum diuturna scalptione abstergere conantur, aut ira excandescunt, vel partem scabie affectam calori nimio exponunt? Porro, quare pinguedinum, aut spirituosorum liberaliores applicationes ad loca erysipelacea herpes ibidem insequi soleat? Cur tandem scabiosis, si etiam ex quacumque alia caussa erysipelas conceperint in

parte aliqua corporis, ibidem quoque herpes eveniat?

§. MCXLVII.

Zona [§. 230.] vero magis producitur, teste experientia, in illis subjectis, in quibus una vel altera conditionum sequentium obtinet.

I. Quæ scilicet emplastra vel epithemata acriora, debilitantia, inspissantia ad regionem hypogastricam & hypochondriacam sibi frequenter applicanda curarunt; aut scarificationes in dictis modo partibus consuetas neglexerunt.

II. Quæ passionibus hystericis, hypochondriacis, multisque spasmis ad ea loca corporis vexantur, quæ zonæ sedem constituunt, præsertim labe scorbutica insimul concurrente.

§. MCXLVIII.

Caussarum, a quibus in genere scabies produci potest, accessione facta ad eas subjectorum conditiones, quæ in §. anteced. describuntur; zonæ ortum intelligere licebit [§. 230.]

§. MCXLIX.

Pro diverso malignitatis gradu materiæ, unus herpes altero malignior esse poterit [§. 1126.] Quod etiam satis probant observationes.

§. MCL.

Herpetis symptomata dependebunt ab inflammatione, arrosione, exulceratione, tamquam affectibus, qui in iis locis, quæ morbus occupavit, a materia acri producuntur [§. 230.]

§. MCLI.

Signa pathognomica ſufficientia herpetis & zonæ ex definitionibus ſuis cognoſci poterunt; prognoſtica vero ex morbi magnitudine & qualitate cauſſarum, nec non iiſdem principiis eruere conveniet, quæ generatim ad prognoſin in ſcabie allegata ſunt in §. 1134.

CAPUT LXXXVII.

DE VARIS ET GUTTA ROSACEA.

§. MCLII.

OBſervatorum fide conſtat, varos & guttam roſaceam [§. 232.] in ſubjectis produci indolis ſequentis.

I. Quæ ad faciem ſudantem cauſſas admittunt, unde ſudor reprimitur.

II. Quæ faciem linteis immundis abſtergere, aut coſmeticis abuti ſolent acrioribus, adſtringentibus.

III. Quibus largæ profuſiones lacrymarum ſæpius oboriuntur.

IV. Quæ ſpirituoſis abutuntur, aut cauſſas alias externas admittunt, a quibus congeſtiones ad faciem determinantur; exemplo caloris ignis,

cui ante focum versantes nimium exponere solent faciem.

V. Quæ pertinaci coryza & morbis aliis chronicis laborant, a quibus congestiones ad sinus frontales fiunt; præcipue, si illi morbi originem suam magis debeant hæmorrhagiis suppressis.

VI. Feminis tandem magis familiaris esse deprehenditur morbus iste.

§. MCLIII.

In corporibus descriptæ indolis (§. anteced.) vari & gutta rosacea facile produci poterunt (§. 232.

§. MCLIV.

Cognosci inde poterit ratio (§. anteced.), quare coquis, fabris atque aliis opificibus, quos ante ignes versari oportet, feminis male menstruatis, præcipue honoratioris ordinis, tandemque hominibus, pietatis & religionis exercitia anxie sectantibus, frequenter accidere observentur?

§. MCLV.

Sub conditione cacochymiæ, accedentis ad varorum & guttæ rosaceæ caussas (§§. 1152 & 1153.), id mali genus & citius prodibit in corpore, & pertinacius erit, hoc modo productum (§§. 393 & 232. Quocum observationes probe consentiunt.

§. MCLVI.

Si etiam ad varos & guttam rosaceam caussæ accesserint, a quibus ad loca affecta congestionum majora incrementa fieri possunt; necesse tum erit, ut gutta rosacea magis augeatur, & vari modo in furunculos, modo in abscessus pessimi moris degenerent (§§. 175. 176 & 232.) Quod etiam bene congruit cum observationibus.

§. MCLVII.

Obortis porro guttæ rosaceæ & varorum repulsionibus subitaneis; insequi tunc solent, teste experientia, morbi oculorum vel aurium, dolores capitis, rheumatismi, immo etiam suffocationes.

§. MCLVIII.

Ad symptomata varorum & guttæ rosaceæ quod attinet, illa a partium, quæ huic morbo sedem suppeditant, tumore, inflammatione ac exulceratione deducenda erunt (§. 232.)

§. MCLIX.

Signa pathognomica sufficientia varorum & guttæ rosaceæ ex suis definitionibus (§. 232.) satis manifesta erunt; prognostica vero facile erui poterunt ex morbi magnitudine, caussarum & effectuum conditionibus (§§. 1152-1158.)

CAPUT LXXXVIII.

DE CRUSTA LACTEA.

§. MCLX.

Crusta lactea (§. 231.) ab iisdem conditionibus corporis provenire poterit, sub quibus generatim scabies oriri solet (§§. 1120 & 1121.); insuper concurrentibus ad caput congestionibus humorum (§. 175.)

§. MCLXI.

Ex §. anteced. cognoscere licebit rationem, cur nimirum hæc morbi species in infantibus tam frequenter observetur? Ætas enim infantilis congestionibus ad caput valdopere patet.

§. MCLXII.

Crusta lactea degenerare potest in ulcus satis putridum (§§. 231 & 1160.) Quod etiam cum observationibus convenit.

§. MCLXIII.

In crusta lactea continui adsunt effectus, a congestione humorum ad caput dependentes, morbumque ipsum magis augentes (§. anteced.) Quod etiam probant observationes.

§. MCLXIV.

Hinc jam facile erit ad intelligendum, cur adeo pertinax esse deprehendatur in infantibus crusta lactea (§. 1161 & 1163.)?

§. MCLXV.

Crustæ lacteæ subitaneas repulsiones, præter effectus in §. 1130. indicatos; in specie excepisse morbos visus & auditus, stupiditatem, scirrhos parotidum & glandularum colli, observationes commonstrarunt.

§. MCLXVI.

Signa pathognomica sufficientia crustæ lacteæ ex ejus definitione patent (§. 231.); prognostica vero inveniri poterunt ex iis, quæ de morbi magnitudine ejusque effectibus dicta modo sunt (§§. 1162-1165.); ulterius conferenda cum principiis allegatis in §. 1134.

CAPUT LXXXIX.

DE

GRAVEDINE CORYZA ET PHLEGMATORRHAGIA.

§. MCLXVII.

HÆ species morborum (§. 281.) in subjectis prodire observantur conditionis sequentis.

I. Quibus nempe sudores, aut aliæ excretiones seri subito supprimuntur.

II. Quorum corporibus sanguinis, præcipue serosi, abundantia inest, ibidemque congestiones humorum frequenter fiunt.

III. Quibus etiam caussæ aliæ externæ oboriuntur, nares nimium stimulantes.

IV. Feminis tandem atque infantibus iidem morbi serosi frequentius aliis accidere deprehenduntur.

§. MCLXVIII.

A conditionibus subjectorum, quæ in §. anteced. describuntur, gravedinis, coryzæ & phlegmatorrhagiæ originem deducere licebit (§. 282.)

§. MCLXIX.

Durantibus gravedine & coryza, durabunt congestiones humorum ad caput (§§. 175. 281 & 182.); in idem consentiente judicio sensuum.

§. MCLXX.

Hic igitur simul adesse poterunt commotiones febriles, sternutationes, sensus obtusus capitis, cephalalgia, branchus, raucitas, obnubilationes visus, difficilis auditus, susurrus & tinnitus aurium, animi tandem & corporis torpor (§. anteced.). Quibuscum observata quoque conveniunt.

§. MCLXXI.

Docet porro experientia, coryzam & gravedinem quandoque præ se ferre indolem morbi maligni;

Sed tunc acerbiora quoque ſymptomata in conſpectum prodire obſervantur.

§. MCLXXII.

Gravedinem & coryzam ſæpius fuiſſe plane ſublatas per phlegmatorrhagiam, iiſdem ſupervenientem, obſervationes commonſtrarunt. Sed eadem quoque præceptrice, experientia puta, multoties innotuit, ſingulas iſtas morborum catarrhalium ſpecies ſalutariter ſolutas fuiſſe per ſudorem, diarrhœam, nec non largam urinæ excretionem.

§. MCLXXIII.

Signa pathognomica ſufficientia in gravedine colligere licebit ex ſenſu obtuſo capitis, ægrotantibus magis circa frontem incommodo; quæ in coryza & phlegmatorrhagia ex definitionibus ſuis facile conſtare poterunt (§. 281.).

§. MCLXXIV.

Fundamenta vero prognoſis in iiſdem morborum ſpeciebus inveniendæ, tibi ſuppeditabunt prolata in §§. 1169 - 1172.

CAPUT XC.

DE

BRANCHO ET RAUCITATE.

§. MCLXXV.

Branchus (§. 285.), teste experientia, illi generi hominum, qui congestionibus ad pectus, ortis a caussis debilitantibus, exponuntur, accidere solet.

§. MCLXXVI.

Allegata in §. anteced. indoles subjectorum productioni caussæ proximæ branchi respondet (§. 286.).

§. MCLXXVII.

Fieri adeoque poterit, ut post catarrhos suffocativos sæpe redeuntes, immo post tusses diuturnas branchus tandem suboriatur (§. anteced.); in idem consentiente experientia.

§. MCLXXVIII.

Qui igitur pertinacibus coryzis, asthmatibus, phthisi pulmonali, tophis pulmonum, atque aliis morbis, a quibus tusses provenire solent, subjiciuntur, illis quoque branchus accidere poterit (§. anteced.). Quibuscum etiam conveniunt observata.

§. MCLXXIX.

Ex obſervatione ſatis conſtat, brancho affectos vocem obtuſam habere, difficulter reſpirare, atque inter reſpirandum motum muci, ſimilem aquæ ebullienti, in larynge experiri.

§. MCLXXX.

A brancho ſucceſſu temporis produci poterunt tuſſis atque affectus anginoidei (§. 286.); idem etiam confirmante experientia.

§. MCLXXXI.

Raucitas [§. 287.] vero evenire obſervatur ſub conditionibus ſequentibus.

I. Quando nimirum tuſſis vehementia adeſt, vel ſtatus cacochymicus in corpore obtinet, unde præ reliquis partibus fauces afficiuntur.

II. Quando etiam variæ cauſſæ externæ ad corpus admittuntur, conſtrictionibus in trachea producendis idoneæ.

III. Feminis tandem, ex obſtructione menſium ægrotantibus, quandoque accidere obſervatur idem incommodi genus.

§. MCLXXXII.

Valent conditiones ſubjectorum, quæ in §. anteced. exponuntur, ad producendam raucitatem [§. 287.]

§. MCLXXXIII.

Præter vocem in raucitate magis ſuppreſſam, neceſſe erit, ut hic ſimul proveniant incommoda alia quæ per ſpaſmum differentis gradus in larynge ſubortum fieri poſſunt [§. 287.]

§. MCLXXXIV.

Signa pathognomica ſufficientia branchi & raucitatis cognoſcere licebit ex [§§. 1179 & 1183.

§. MCLXXXV.

Quod vero ad ſigna prognoſtica in iiſdem affectibus attinet: juvabit hic quoque ea notare, quæ de ſolutionibus gravedinis, coryzæ & phlegmatorrhagiæ in §. 1173. prolata ſunt; ſed conferenda cum cauſſarum conditionibus & effectibus in caſu obviis (§§. 1175-1183.)

CAPUT XCI.

DE SCORBUTO.

§. MCLXXXVI.

TEſtantur obſervationes, ſcorbutum (§. 343.) pertinere ad morbos perquam familiares gentibus ſeptentrionalibus, atque inhabitantibus loca maritima, paludoſa; vitam magis ſedentariam degenti-

bus præ reliquis accidere ; atque iis corporibus facile ingenerari, quæ plerumque aluntur carnibus fumo induratis, admodum ſalitis, piſcibus; in illis quoque ſæpius prodire, quibus cum afflictionibus hypochondriacis aut hyſtericis, vel etiam alio morbo colluctandum eſt, qui ſui originem debet obſtructionibus viſcerum abdominalium; tandemque per contagium tranſire ex uno corpore ad aliud.

§. MCLXXXVII.

A conditionibus ſubjectorum, quæ deſcribuntur in §. anteced. ſcorbuti ortum derivare licebit [§. 343.

§. MCLXXXVIII.

Docent porro obſervationes, ſanguinem ſcorbuticorum ſub morbi initiis grumoſum & nigrum eſſe, inſimulque copioſam aquam pravi odoris & ſaporis dimittere ; morbo tandem magis progrediente, apparere inſtar humoris cujuſdam admodum tenuis, coccineo colore præditi, excitantis quoque odorem adverſum, ſaporem vero acriorem.

§. MCLXXXIX.

Sanguis itaque in corporibus ſcorbuticis tarde putreſcit [§. anteced.]

§. MCXC.

Neque minus ex obſervationibus conſtat, effectus ſcorbuti tam ſpecie & gradu, quam etiam loco corporis, ubi nempe illi aut citius, aut ſerius prodeunt, differre. Imminente enim morbo, ægrotantes conqueri ſolent de laſſitudine quadam ſpontanea, totum quidem corpus, præcipue tamen crura & pe-

des comprehendente. Huic ſimul accedunt incommoda quædam ad ventriculum & inteſtina, ut ſunt ructus mali odoris & ſaporis, nauſea, conatus vomendi, appetitus proſtratus, quandoque ſupra modum auctus, affectus colici, qui mox mitiores, mox acerbiores ſunt, per intervalla plane evaneſcunt, iterum redeunt. Deinceps vero gingivarum caro laxa, tumida apparet, ſanguinem fœtidum dimittit, ipſaque ſæpius ad dentium uſque radices conſumitur. Proveniunt porro ad femur & tibiam maculæ plus minuſve liveſcentis coloris, initio parvæ, mox vero ad majorem ambitum perductæ. Morbo tandem magis increſcente, ejus quoque effectus latius patebunt; prioribus auctis, novis productis, eorumque omnium ſimiliter facto tranſitu ad complura alia loca corporis.

§. MCXCI.

Lentæ putrefactioni ſanguinis, quæ in malo ſcorbutico obtinet [§. 1189.], graduum differentia inſuper accedit, quam illa ſervat ratione diverſorum plexuum vaſorum ſanguineorum [§. anteced.]

§. MCXCII.

Ex §§. 1189 & 1191. ſatis clare intelligere licebit, quantum veritati reſpondeant ea, quæ in definitione ſcorbuti [§. 343.] continentur. Quæcumque igitur ex hac definitione de ſcorbuto colligi poterunt, ea ſimiliter vera erunt, atque obſervationibus plane congrua.

§. MCXCIII.

A ſanguine ſecernuntur reliqua fluida in cor-
ore humano ; id præcipiente Phyſiologia. Quo-
iam vero in corporibus ſcorbuticis maſſa ſangui-
ea putridæ indolis eſt [§. 343] : hinc ſequitur ,
t ſimilem quoque conditionem nanciſcantur fluida
ecreta (§. anteced.)

§. MCXCIV.

Hinc tota maſſa humorum in corporibus ſcor-
uticis putrida tandem fiet (§. anteced.)

§. MCXCV.

Humoribus in corpore humano putreſcentibus
crimonia accedere ſolet [§§. 190 & 192.] Quin
tiam acris fiat humorum maſſa in corporibus
corbuticis , dubitari nequit [§. anteced.]

§. MCXCVI.

A putrido itaque & acri, quod maſſæ humo-
um in corporibus ſcorbuticis ineſt , effectus ſcor-
uti, ſpecie & gradu inter ſe differentes , derivare
onveniet [§. anteced.]

§. MCXCVII.

Hinc cognoſci poterit, cur in ſcorbuto, præ-
er effectus jam enarratos ad §§. 1188 & 1190.
lures etiam alii provenire obſerventur ? Quorſum
empe ſpectabunt afflictiones variæ hypochondria-
æ ac hyſtericæ ; viſcerum infarctus & ſcirrhi ;
umores hydropici ; multiplices affectus ſpaſtici ,
onvulſivi ; difficultates reſpirandi ; partium exter-

narum ac internarum dolores, iique mox vagi, mox fixi, excretiones admodum fœtidæ; inflammationes perniciosissimæ; livescentis coloris ulcera fœtidissima; sanguinis profluvia supra modum excedentia sæpius, non numquam etiam in locis insolitis corporis prodeuntia; scabiei aut purpuræ exanthemata; virium prostrationes; affectiones lipothymicæ; motus febriles, iique degenerantes modo in febrem intermittentem, modo inflammatoriam, modo malignam, modo lentam & hecticam [§. 1196.]

§. MCXCVIII.

Poteris ideoque scorbutum tibi concipere instar morbi maligni, qui de tempore in tempus magis increscit, stipatus varietate effectuum in corpore, quod ab illo afficitur, ita provenientium, prouti nempe ægrotantes inter se differant vel ratione modi, quo putridum massæ humorum importatur, adeoque aut prius ortum in ventriculo & canali intestinali, indeque delatum ad sanguinem, aut per contagium aliunde receptum; vel etiam ratione ætatis, sexus, status præteritarum determinationum corporis, morborum aliorum jam præsentium in corpore, quibus scorbutus accedit, aut quarumcumque aliarum conditionum corporis, quæ ad differentias sic dictas individuales referri solent: adeo, ut, nisi humorum massa ope excretionum naturalium, congrue succedentium, a putrido mature liberetur, ægrotantibus ex hoc morbo dirissimo pereundum tandem sit vel ob tabem corporis subortam, vel ob frequentes, quæ hic fieri solent, ac-

cessiones variarum affectionum acutarum [§§. 1186-1197.]

§. MCXCIX.

Scorbuti signa pathognomica sufficientia tibi suppeditare poterunt prolata in §§. 1188. 1190 & 1197. Præsertim vero hic jam valere poterunt incommoda illa, de quibus ægrotantes conqueri solent, ac si totum quidem corpus, præter omnem caussam manifestam, adeo lassum foret, præ reliquis vero crura & pedes, ut ipsis deficere videatur potentia obambulandi; maculæ livescentes ad femur & tibiam imprimis conspicuæ; dentium & gingivarum pruritus, oris fœtor, stomacace, sive sanguinis putridi ex gingivis effluxus; sudores tandem putridi.

§. MCC.

Prognosis vero scorbuti innititur omnium illorum effectuum, quos in hoc morbo deprehendere licet, accuratæ considerationi, atque inde ratiociniis recte efformatis. Qua in re tibi jam facem præferent ea, quæ in peculiaribus quibusdam §§. hujus Cap. de scorbuto evicta traduntur.

CAPUT XCII.

DE HERNIIS.

§. MCCI.

Illi hominum generi herniæ [§. 251.] accidere observantur, quorum corpora ad conditiones sequentes redeunt.

I. Ubi nimirum validæ inteſtinorum diſtenſiones, aut quicumque alii tumores abdominis obtinent; exempli gratia caſus flatulentiæ, aut oborti in abdomine hydropis.

II. Quando etiam ad illa loca corporis, quæ concipiendis herniis idonea ſunt, læſiones fiunt, productæ a variis cauſſis externis, quandoque etiam internis.

III. Neque minus hic pertinebunt illi caſus, ubi abdomen valdopere concuſſatur, aut partium, intra illius cavitatem contentarum, nimiæ compreſſiones fiunt a diaphragmate & muſculis abdominalibus; exemplo equitationis, ſaltationis, tuſſis, clamoris, inflationis tubarum ſuſceptæ.

§. MCCII.

Herniarum productiones a recenſitis in §. anteced. ſubjectorum conditionibus derivare licebit (§§. 251 - 255.)

§. MCCIII.

Ex quacumque hernia vera fieri poteſt ſpuria, & in vicem verſam (§§. 251-255.) Quod etiam obſervationibus reſpondet.

§. MCCIV.

Præter exomphalum, nulla alia hernia ab omento tam facile formari poterit (§. 252.)

§. MCCV.

Ex bubonocele oriri facile poterit oscheocele; habita nimirum ratione ad sexum (§. 252.) Id quod sæpius evenisse observationes docuerunt.

§. MCCVI.

Symptomatum in herniis ortus a partium, hoc loco affectarum, & vasorum, illas ingredientium, extensionibus compressionibusque derivandus erit (§. 251.) Hinc fieri poterit, ut, præter alios effectus, hic proveniant intestinorum inflammationes, passio iliaca; si imprimis hernia vera fuerit. Quocum etiam observationes consentiunt.

§. MCCVII.

Herniarum tam in genere, quam in specie signa pathognomica sufficientia haud difficulter intelligi poterunt ex §§. 251 & 254.

§. MCCVIII.

Ad signa vero prognostica herniarum quod attinet, ne hæc quidem occulta tibi esse poterunt; rite intellecta morbi magnitudine, pro casus differentia. Conveniet hic igitur ea perpendere, quæ prostant in §. 1206.

CAPUT XCIII.

DE DOLORE GENERATIM.

§. MCCIX.

QUo propius continuum nervoſum ad plenariam ſui ſolutionem accedit, eo major eſſe debet dolor (§. 195.)

§. MCCX.

In omni dolore, teſte experientia, menti obverſatur idea ingrata. Deprehenduntur porro, ſi dolor ad gradum paulo majorem acceſſerit, motus febriles, convulſiones, inflammationes, eæque mox pronæ in gangrænam, affectus lipothymici.

§. MCCXI.

Ex mutatione illa, quæ continuo nervoſo ſolvendo infertur, motus ad cerebrum propagetur, neceſſe eſt (§. anteced.)

§. MCCXII.

Hinc opus eſt, ut nervi adhuc inter ſe cohæreant (§. anteced.)

§. MCCXIII.

Si continuum nervoſum partis cujuſdam dolentis planæ fuerit ſolutum: tunc fieri non poterit, ut pars iſta ulterius doleat; indeque menti obverſetur

idea illa ingrata (§. 195 & 1210.). Quod etiam cum obſervationibus congruit.

§. MCCXIV.

Sæviente dolore, actio nervorum intenſa eſſe debet; eamdem ſimul inſequentibus in aliis partibus corporis fibrarum viribus, ſupra modum initio auctis, deinceps vero imminutis [§. 1210.]

§. MCCXV.

Ex conditione cauſſarum doloris [§. 196.] perſpicuum quoque eſſe poterit, quibuſnam ille morbis neceſſario accedere debeat. Exempli loco hic pertinebunt luxationes, fracturæ, vulnera, ulcera, ſpaſmi, plethora, humorum ſpiſſitudo eorumdemque corruptiones variæ, tumorum varia genera.

§. MCCXVI.

Doloris ſigna pathognomica ſufficientia ex effato ægri conſtabunt, aut eruenda erunt beneficio definitionis ex deprehenſis doloris cauſſis, vel aliis munitationibus, in corpore ægrotante ſatis manifeſtis [§§. 195. 196. 1210. & 1215.)

§. MCCXVII.

Signa vero prognoſtica doloris inventurus animum dirigere debet ad morbi magnitudinem, nec non cauſſarum morbi & partium, quæ afficiuntur, conditiones (§. 196. 1209. 1210. 1213. 1214 & 1215.]

CAPUT XCIV.

DE CEPHALALGIA.

§. MCCXVIII.

Cephalalgia (§. 358.) oriri potest ab humorum ad caput congestionibus (§. 404.)

§. MCCXIX.

Perspicua inde est ratio (§. anteced.), quare, teste experientia, comitem sibi habere soleant cephalalgiam morbi primarum viarum; spasmi partium inferiorum, nec non capiti vicinarum; malum hypochondriacum aut hystericum; hæmorrhagiæ atque aliæ excretiones naturales suppressæ; plethora; tandemque etiam caussæ variæ externæ ad corpus admissæ, unde congestiones ad caput efficiuntur, quales exempli gratia esse possunt obversationes in aëre fervente, refrigerationes pedum, pathemata animi, capitis contusiones aut vulnerationes.

§. MCCXX.

Quoniam dolor ibi magis augebitur, quo major sensibilitas locorum affectorum fuerit, vasorumque ad eadem decurrentium talis conditio, ut congestionum caussæ (§§. 176 & 1219.) ibidem gradu & numero facile increscere possint: tunc etiam necesse erit, ut dolor ad intensiorem gradum perveniat.

Consequens ideoque erit, fore, ut ex cephalalgia mitiore mox acerbior fiat; ad illius productionem imprimis concurrente humorum spissitudine vel acrimonia.

Solet etiam iste intensior gradus doloris in capite *cephalæa* dici.

§. MCCXXI.

Sexus sequior præ potiore magis cephalalgiæ, & quidem ad intensiorem gradum, subjici observatur; præsertim sub concursu mali hysterici.

Qua occasione notandum erit illud vocabulum, quo uti solent ad summam cephalalgiæ acerbitatem in feminis hystericis indicandam. Ea nempe vocatur *clavus hystericus*; quia vix alius acerbior illo esse judicatur dolor, quem efficeret clavus capiti infixus.

§. MCCXXII.

Rite intellectis iis, quæ jam supra in peculiaribus capitibus de congestionibus & dolore tradita sunt, neque difficilis erit symptomatum in cephalalgia cognitio (§§. 358 & 1218.). Hinc inter alia provenire hic poterunt sensuum externorum ac internorum varia vitia, affectus soporosi & apoplectici; nisi matura productione illarum mutationum in corpore, quæ congestionibus ad loca capitis imminuendis sufficere possunt, cephalalgia discutiatur.

§. MCCXXIII.

Cephalalgiæ signa pathognomica sufficientia per ejus definitionem (§. 358.) & prolata in §. 1216. constabunt; prognostica vero cognosci poterunt ex §§. 1217 & 1222.

CAPUT XCV.

DE ODONTALGIA.

§. MCCXXIV.

EX carie dentium, variisque caussis aliis, quæ humorum congestiones ad loca dentium efficere valent, oriri potest odontalgia (§. 358.)

§. MCCXXV.

Unde jam ratio constabit (§. anteced.), quare odontalgia accidere soleat, ut observationes docent, cacochymicis, præsertim scorbuticis, feminis magis, quam viris, tandemque in sputa cruenta pronis, nec non obnoxiis variis affectibus spasticis?

§. MCCXXVI.

Odontalgiæ symptomata ad ea principia redibunt, quæ in illis capitibus jam prostant, ubi de congestionibus, carie ossium & dolore in genere actum erat (§. 1224.); horum omnium decenter facta applicatione ad casum præsentem. Atque eodem quo-

que modo intelligi poterit, cur dentium dolor per sputum cruentum sæpe leniatur? in idem consentientibus observationibus.

§. MCCXXVII.

De signis vero pathognomicis & prognosticis odontalgiæ ex ejus definitione (§. 358.) & citatis in §. anteced. principiis satis constare poterit.

CAPUT XCVI.

DE

LIPOTHYMIA ET SYNCOPE.

§. MCCXXVIII.

QUibus animi defectiones (§. 349.) oboriri solent, in illis præcedere observantur languor artuum atque insolita virium infirmitas; non numquam oscitationes & pandiculationes; anxietates præcordiorum; pulsus inæqualis, magis magisque obscurus; vertigo, aurium tinnitus & susurrus, una cum subitanea coloris faciei in pallidum mutatione.

§. MCCXXIX.

Congestiones itaque humorum ad cordis & capitis loca antecedunt in affectibus lipothymicis vel syncopticis (§. anteced.)

§. MCCXXX.

Hinc fieri poterit, ut inde cordi, cerebro ac cerebello inferatur debilitas (§. anteced.).

§. MCCXXXI.

Huic igitur morbo obnoxiis actiones cordis, cerebri ac cerebelli, artuum aliarumque partium, quæ imperio animæ ſubjacent, imminutæ eſſe debent (§§. 349 & 1230.)

§. MCCXXXII.

Unde etiam patebit ratio[§.anteced.], cur artuum languores, oſcitationes, pandiculationes ſtatim initio morbi neceſſariæ ſint (§. 1228.)?

§. MCCXXXIII.

In lipothymia aderunt pulſus admodum debilis, tremor cordis, reſpiratio obſcura; quæ ſingula multo majorem gradum in ſyncope nanciſcuntur, adeo, ut hic omnia fere veſtigia reſpirationis aut motus arteriarum & cordis abeſſe, atque extrema corporis, ut in demortuis, frigefacta eſſe videantur (§§. 349 & 1231.)

§. MCCXXXIV.

Cauſſæ, quæ congeſtiones humorum cor & caput verſus efficiunt, pro illarum æque, ac corporum, ubi ingruunt, conditionibus, modo lipothymiam, modo ſyncopen producere valebunt (§§. 349. 350. 1229 & 1230.)

§. MCCXXXV.

Intelligi inde jam poterit (§. anteced.), quare lipothymiam aut syncopen post se trahere observentur hæmorrhagiæ, vel etiam aliæ excretiones naturales modo excedentes, modo suppressæ; exanthematum ad loca interiora corporis regressiones; plethora; spissitudo sanguinis; gravia vulnera; contusiones partium sensilium; dolores atrocissimi; affectus spastici ac convulsivi; malum hypochondriacum & hystericum; pathemata animi; res variæ in sensus fortiter agentes, si imprimis nimia ægrotantium sensilitas fuerit; tandemque febres, præsertim malignæ?

§. MCCXXXVI.

Syncope est status morti similis (§§. 349 & 1233.)

§. MCCXXXVII.

Lipothymiæ & syncopes signa pathognomica sufficientia ex suis definitionibus (§. 349.) & prolatis in §. 1233. cognoscuntur; prognostica vero patebunt ex morbi magnitudine & caussarum conditionibus rite consideratis (1234-1236.)

CAPUT XCVII.

DE AFFECTIBUS SOPOROSIS.

§. MCCXXXVIII.

SEctiones institutæ in mortuis ex affectibus soporosis [§. 351.] commonstrarunt, vasa intra meninges modo a sero, modo a sanguine spisso admodum distenta fuisse; vel ibidem etiam adfuisse tumores, scirrhos, abscessus; vel denique seri per cerebri substantiam diffusiones adfuisse.

§. MCCXXXIX.

Docuit porro experientia, canes denudato in illis cranio, factaque cerebri compressione, in soporem incidere. Quod etiam in homine evenire observationes testantur. Hominis enim cujusdam, qui casu magnam cranii partem perdiderat, quoties denudatum cerebrum leviter comprimebatur, toties sequebantur oculorum obscurationes; & continuata hac compressione, producebantur aurium tinnitus & susurrus, vertigo, sopor; illaque tandem sublata, cessabant hæc omnia phænomena.

§. MCCXL.

Præter hæc observantur affectus soporosos antecedere lassitudo corporis, vertigo, tremor capitis ejusque dolor gravativus, in occipite potissimum, visus obnubilus, aurium denique tinnitus & susurrus.

§. MCCXLI.

Posita cerebri compressione certi gradus, ponitur sopor [§. 1239.]

§. MCCXLII.

In affectibus soporosis non deficiunt humorum congestiones ad caput [§. 1238.]

§. MCCXLIII.

Hinc fieri poterit, ut a caussis, humorum congestiones ad caput producentibus, affectus quoque soporosi proficiscantur (§. 351. 1241 & 1242.)

§. MCCXLIV.

Unde jam de ratione constabit [§. anteced.], quare nimirum affectus soporosi apoplexiam præcedere soleant? in febribus acutis, post deliria, capitis contusiones ac vulnera; nec non hæmorrhagias suppressas proveniant? plethoricis, ebrietati deditis, opiatorum abusum admittentibus, aëri humido ac calido corpus suum nimie exponentibus familiares sint?

§. MCCXLV.

Affectuum soporosorum signa pathognomica sufficientia, una cum prognosticis, ex illorum definitionibus, magnitudine ac caussarum conditionibus facile intelligere licebit [§§. 351. 353. 1241-1244.]

CAPUT XCVIII.

DE OPHTHALMIA ET LIPPITUDINE.

§. MCCXLVI.

HOc incommodi genus [§§. 354 & 356.], teste observatione, illis oboriri solet, quibus una atque altera conditionum sequentium inest.

I. Oculorum fatigationes per nimias lucubrationes, aut ad eosdem frigoris aut caloris nimii, vel aliarum caussarum externarum, quæ ibidem irritationem, rosionem, læsionem, debilitatem, vasorum constrictionem producere valent, factæ admissiones.

II. Humorum ad caput congestiones productæ a variis caussis, quales exempli gratia esse possunt compressiones colli, exanthematum, imprimis crustæ lacteæ recessiones ad interiora, hæmorrhagiæ suppressæ.

III. Status corporis cacochymicus; ætas infantilis.

§. MCCXLVII.

A recensitis in § anteced. determinationibus subjectorum ophthalmiam & lippitudinem derivare licebit [§§. 354 & 356.]

§. MCCXLVIII.

§. MCCXLVIII.

Ex ophthalmia lippitudo, atque ex lippitudine ophthalmia oriri poterit (§§. 354 & 356.); in idem consentiente quoque experientia.

§. MCCXLIX.

Ab ophthalmia & lippitudine successu temporis fieri poterit transitus ad cæcitatem (§§. 354. 356 & 357.); idem similiter probantibus observationibus.

§. MCCL.

Quæ hic porro de ophthalmiæ & lippitudinis symptomatibus dici possent explicatius, ea redibunt ad illa momenta, quæ jam supra in peculiaribus quibusdam capitibus de inflammatione & congestionibus generatim exstant; sed recte habita ratione partium, quæ hic afficiuntur. (§§. 354 & 356.)

§. MCCLI.

Ophthalmiæ & lippitudinis signa pathognomica sufficientia ex definitionibus suis (§§. 354 & 356.) patent; prognostica vero haud difficulter colligi poterunt ex eorum affectuum caussis atque efficacia (§§. 1246-1250.)

CAPUT XCIX.

DE CAECITATE.

§. MCCLII.

PRæter varietatem cauſſarum externarum, quibus vis quædam ineſt deſtruendi organon viſus, cæcitatis cauſſæ aliæ ab humorum congeſtionibus ad oculos dependere poterunt (§. 357.); maxime ſub concurſu ſtatus cacochymici in corpore.

§. MCCLIII.

Conſtat inde ratio [§. anteced.], quare nimirum cæcitatem poſt ſe traxerint caſus ſequentes? Quorſum exempli gratia pertinebunt ſpaſmi imi ventris; partus difficilis; crebra & gravis hemicrania; pertinax gravedo & coryza; vertiginis atque apoplexiæ inſultus; hæmorrhagiarum atque aliarum excretionum naturalium ſuppreſſiones; exanthematum ad interiora regreſſiones; ſcirrhi aut abſceſſus ad aures; orgaſmi venerei ſupra modum excedentes; pathemata animi; ebrietas; ophthalmia & lippitudo.

§. MCCLIV.

Ex obſervationibus conſtitit, cæcitatem modo perennem fuiſſe, modo etiam per aliquod tempus duraſſe, denuo rediiſſe, morbique periodici ſpeciem quandoque præ ſe tuliſſe.

§. MCCLV.

Pro differentia caussarum proximarum cæcitatis (§. 357.), productarum a remotis (§§. 1252 & 1253.), necesse omnino erit, ut casus cæcitatis modo constantis, modo temporariæ, modo etiam periodicæ suboriantur. (§. anteced.)

§. MCCLVI.

Ut cæcitatis signa pathognomica sufficientia ex illius definitione patent: ita etiam prognostica facile inveniri poterunt ex consideratione caussarum, quæ in casu obvio obtinent (§§. 357. 1252. & 1253.)

CAPUT C.

DE VERTIGINE.

§. MCCLVII.

VErtiginem (§. 355.) hæmorrhagias efferas insequi; illaque etiam in animalibus ex instituto concitata, eorumque cranio statim aperto, vasa cerebri sanguine turgida apparere, observationes docent.

§. MCCLVIII.

Quibus morbi aut caussæ quæcumque aliæ accidunt, unde humorum congestiones ad vasa cerebri fiunt; aut eadem inæqualiter distenduntur: illis

quoque oboriri poterit vertigo (§§. 355 & anteced.)

§. MCCLIX.

Hinc jam intelligi poterit (§. anteced.), quare vertigo ad casus sequentes accedere deprehendatur? Tales sunt morbi primarum viarum; spasmi partium inferiorum; nimiæ intestinorum distensiones; hypochondriorum, thoracis ac colli compressiones; hæmorrhagiarum suppressiones; plethora, humorumque validæ commotiones, aut eorum ad caput decubitus; febrium, apoplexiæ vel affectuum soporosorum invasiones.

§. MCCLX.

Ex vertigine successu temporis apoplexia oriri potest (§§. 628 & 1258.); in idem consentiente experientia.

§. MCCLXI.

Signa pathognomica sufficientia vertiginis ex ejus definitione cognoscuntur (355.); prognostica vero facile colligere licebit ex morbi magnitudine caussarumque in casu obvio præsentium indole (§§. 1258 - 1260.).

CAPUT CI.

DE OTALGIA.

§. MCCLXII.

AB humorum congestionibus ad aurem produci potest otalgia (§. 358.)

§. MCCLXIII.

Unde perspicuum erit [§. anteced.), quare, ut observationes commonstrant, otalgia insequi soleat hæmorrhagiarum vitia, affectus spasticos, tussis acerbitatem, morbos varios tubi cibarii, tumores pone aures, caloris nimii aut frigoris ad caput admissiones, febrium, præcipue acutarum, aggressiones?

§. MCCLXIV

Si quæ aliæ caussæ externæ rodentes, aut alio modo solutionem continui in meatu auditorio producentes ad aurem admittuntur; otalgia similiter necessaria erit (§. 358.)

§. MCCLXV.

Hinc patet (§. anteced.), quemadmodum observationes docuerunt, cur ab insectorum in aurem involatu, vel ceruminis ex aure exemptionibus improvidis otalgia producta sit?

§. MCCLXVI.

Fieri poteſt, ut ad otalgiam acerbiſſima quædam cephalalgia, immo etiam deliria accedant (§. 358.); in idem conſentiente experientia.

§. MCCLXVII.

Otalgiæ ſigna pathognomica ſufficientia æque ac prognoſtica ex illius definitione, magnitudine ac cauſſarum indole perquam facile colligere licebit (358. 1262-1266.)

CAPUT CII.

DE SUSURRU ET TINNITU AURIUM.

§. MCCLXVIII.

SI aër externus cum impetu ad tympanum allidit; aut cum vi quadam notabili in tubas Euſtachii irruit; aut tubæ nunc modo dictæ comprimuntur; aut vaſa quædam in meatu auditorio valdopere diſtenduntur; tunc facile fieri poterit, ut modo ſuſurrus, modo tinnitus in auribus producatur (§. 359.)

§. MCCLXIX.

Neceſſe igitur erit, ut hoc incommodi genus proxime adſtantibus ad tormenta bellica tonitruantia vel campanas ſonantes accidat; vel etiam oboriatur obnoxiis maxillæ inferioris ſpaſmis, contuſio-

nibus, luxationibus; vel tandem in corporibus prodeat, quæ nimiis humorum congeſtionibus ad caput, vel variis morbis, unde illæ producuntur, patent [§. anteced.] Quæ ſingula cum obſervationibus bene conveniunt.

§. MCCLXX.

Ad aurium ſuſurrus & tinnitus ſigna pathognomica & prognoſtica invenienda ſufficere poterit definitionis eorumque recta ad caſum obvium applicatio, quæ ad conditiones differentes cauſſarum, unde iſtud incommodi genus originem ſuam duxit, reſpiciunt [§§. 359. 1268 & 1269.)

CAPUT CIII.

DE SURDITATE.

§. MCCLXXI.

Fieri poteſt, ut ſuccedente tempore oriatur ex otalgia, aurium ſuſurru ac tinnitu ſurditas (§§. 358. 359. 360. 1268 & 1269.). Id quod etiam cum obſervationibus congruit.

§. MCCLXXII.

Docent porro obſervationes, ſurditatem illi hominum generi ſæpius accidere, quibus aëris humidi ad corpus frequentes fiunt admiſſiones; quibus apo-

ſtaſes febriles pone aures eveniunt; quibus cruſtæ lacteæ repreſſiones, aut ceruminis in aure prope tympanum indurationes oboriuntur; quibus tandem pertinacibus humorum congeſtionibus obtemperandum eſt.

§. MCCLXXIII.

Recenſitis in §. anteced. conditionibus ſubjectorum attribuere licebit ſurditatis originem (§. 360.)

§. MCCLXXIV.

Surditatis ſigna pathognomica ſufficientia, una cum prognoſticis, ope definitionis ac eorum facile inveniri poterunt, quæ ex conditionibus cauſſarum morbi in caſu præſente exiſtentium ſequuntur [§§. 360. 1271-1273.)

CAPUT CIV.

DE OLFACTUS DEFECTU.

§. MCCLXXV.

OLfactus deficere ſolet in iis hominibus, quorum corporibus una atque altera conditionum ſequentium ineſſe obſervatur.

I. Ubi nimirum coryzæ contumacia obtinet.

II. Ubi narium hæmorrhagiæ ſupra modum excedere, vel etiam difficulter ſuccedere deprehenduntur.

III. Ubi cavitates narium exulcerantur.

IV. Ubi ſternutatoriorum abuſus fit.

V. Ubi in genere excretiones ſanguineæ aut aliæ naturales in anomaliam degenerant; imprimis concurrente corporis diſpoſitione ad affectus paralyticos.

§. MCCLXXVI.

Enarratæ in §. anteced. conditiones ſubjectorum idoneæ ſunt ad derivandum inde olfactus defectum [§. 361.]

§. MCCLXXVII.

Sicuti ex abſentia perceptionis, quæ ſtatim ſubſequi ſolet illorum corporum admotionem ad nares, quæ præ reliquis vi gaudent olfactus ſenſum excitandi, tuto conjicere licet, quod ſenſus iſte organo olfactus deficiat: ita etiam de prognoſis hoc loco formandæ fundamentis congruis tibi ſatis conſtare poterit, morbi magnitudine illiuſque cauſſarum conditionibus in caſu obvio rite perpenſis [§. 361. 1275 & 1276.].

CAPUT CV.

DE GUSTUS DEFECTU.

§. MCCLXXVIII.

HOminum conditiones corporis, ſub quibus, teſte experientia, guſtus defectus oboriri videtur, ad momenta redeunt ſequentia.

I. Vel adeſt catarrhi pertinacia.

II. Vel non deficiunt ſalivæ & muci in ore inſpiſſationes, a variis cauſſis productæ.

III. Vel etiam non deſiderantur anginæ affectus frequentes invaſiones.

IV. Vel denique in lingua partibuſque eidem proximis deprehenduntur exulcerationes, aut aliæ ibidem factæ læſiones, ut tumores duri, paralytica debilitas.

§. MCCLXXIX.

Enarratæ in §. anteced. ſubjectorum conditiones ſatis reſpondent defectui guſtus [§. 362.]

§. MCCLXXX.

Ut guſtum deficere exinde certo colligere poteris, quando in illius organo, licet eidem applicentur ea corpora, quæ vi ſaporem movendi inter complura alia ſunt conſpicua, nulla ejuſmodi perceptio producitur: ſic etiam de ſignis prognoſticis ejuſ-

dem morbi certus fies, probe attentus ad ejus magnitudinem ac caussarum, unde idem in casu subnato provenit, naturam (§§. 362. 1278 & 1279.)

CAPUT CVI.

DE APHONIA.

§. MCCLXXXI.

APhoniæ [§. 363.] subjecta deprehenduntur esse sequentis conditionis.

I. Quæ ab arthritide vaga vexari solent.

II. Quæ vehementer convelluntur.

III. Quibus crustæ lacteæ, aut quorumcumque aliorum exanthematum, nec non sudoris regressiones introrsum eveniunt.

IV. Quibus vermium colluvies in intestinis est.

V. Quibus apoplexiæ oboriuntur invasiones.

VI. Quibus lingua exulceratur, aut alio modo destruitur.

VII. Quibus lingua non satis mobilis est ob frenuli ad ejus apicem magis adhærentis nimiam densitatem; quemadmodum iste casus aphoniæ in infantibus frequenter obtinere solet.

§. MCCLXXXII.

Descriptæ in §. anteced. conditiones subjectorum satis accommodatæ sunt productioni aphoniæ [§. 363.]

§. MCCLXXXIII.

Aphoniæ signa pathognomica sufficientia ex illius definitione [§. 363.] satis clare patent; prognostica vero facile inveniri poterunt, affectus hujus magnitudine & caussis, a quibus ille in casu suborto dependet, accurate consideratis [§§. 1281 & 1282.]

CAPUT CVII.

DE MELANCHOLIA.

§. MCCLXXXIV.

OBservationes testantur, in melancholiam [§. 367.] incidere homines indolis sequentis.

I. Quibus ex malo hypochondriaco aut hysterico, eoque magis inveterato, decumbendum est.

II. Quibus læsiones ad viscera abdominalia, imprimis scirrhi, oboriri solent.

III. Quibus hæmorrhagiarum salutarium suppressiones eveniunt.

IV. Quibus ſolemne eſt, animi pathematibus nimium indulgere.

V. Quibus admiſſa ſunt facultatum animæ inferiorum exercitia ſupra modum excedentia.

VI. Quibus ex parentibus melancholicis naſci contigit.

VII. Quibus ſanguis admodum ſpiſſus ineſt; aut iiſdem quæcumquæ aliæ cauſſæ oboriuntur, quæ vim habent ad encephali vaſa ſanguinem congerendi, ejuſdemque ſtaſin ibidem producendi.

§. MCCLXXXV.

Deprehenduntur porro in melancholicis ſequenta phænomena prodire.

I. Extrema corporis frigent.

II. Habitus corporis externus paleſcit.

III. Adſunt palpitationes cordis inſignes, anxietates præcordiorum, reſpiratio profunda & mirum in modum præcluſa.

IV. Sequitur capitis dolor aut ſaltem ſenſus gravativus.

V. Atque tum paululum rubeſcere incipiunt genæ, itidemque in labiis major rubor comparet.

VI. Lacrymæ frequenter effunduntur; ſomnus adeſt inquietus.

VII. Aliis terrifica, aliis grata ac jucunda oboriuntur phantaſmata: unde etiam tales actiones patrare conantur, quæ natis in mente repræſentationibus reſpondent.

VIII. Excretiones naturales vel prorsus sup-pressæ esse, vel admodum languescere depre-henduntur.

IX. Quod vero ad melancholicorum sangui-nem attinet, ille niger apparet, atque ex ven incisa difficulter effluere sæpius observatur.

§. MCCLXXXVI.

Hic etiam annotanda erunt de melancholicis ea quæ per sectiones cadaverum innotuerunt. Atqu illa jam ad sequentia momenta redibunt.

I. Vasa in cerebro distenta videbantur a san-guine aterrimo.

II. In aliis etiam seri sanguinei intra menin-ges satis notabiles extravasationes reperiebantu

III. Quædam insuper loca in cerebro tumida dura, sicca apparebant.

IV. Bilis perquam atrum colorem præ se ferr valdeque glutinosa esse deprehendebatur.

§. MCCLXXXVII.

In melancholicis fiunt humorum congestion ad caput; adest sanguinis spissitudo satis emine [§. 1285. *num.* 4. 5. 9. & §. 1286.]

§. MCCLXXXVIII.

Ex hoc principio [§. anteced.] non solum plu alia phænomena, quæ in historia melancholicoru describuntur [§. 1285.], explicari poterunt; se inde etiam affectus melancholici caussam prox

mam [§. 368.], ejusque ortum ab illis conditionibus subjectorum, quæ in §. 1284. enarrantur, derivare licebit.

§. MCCLXXXIX.

Sequitur inde porro [§§. 1287. & 1288.]; fieri nimirum posse, ut productis iis mutationibus in corporibus melancholicorum, per quas humorum congestiones circa caput tempestive discutiuntur, melancholia salutariter solvatur. Quorsum imprimis pertinebunt, teste experientia, exanthemata; diarrhœa; hæmorrhoidum aut mensium fluxus; motus febriles determinati gradus.

§. MCCXC.

Sed ex iisdem quoque rationibus (§§. 1287 & 1288.) intelligere licebit, unde scilicet fiat, ut melancholia in apoplexiam, epilepsiam, inflammationem meningum, nec non statum corporis hecticum transeat, soleatque ideo lethalem eventum nancisci? Quod multoties probarunt observationes.

§. MCCXCI.

Melancholiæ signa pathognomica sufficientia ex illius definitione satis erunt perspicua; prognostica vero facile colligi poterunt ex morbi magnitudine caussarumque conditionibus [§§. 1284-1288.], nec non iis, quæ jam prostant in §§. 1289 & 1290.

CAPUT CVIII.

DE MANIA.

§. MCCXCII.

EX observationibus constitit; maniam [§. 367.] eidem quoque hominum generi accidere, quod in §. 1284. describitur; conditionibus, quæ ibidem enarrantur, ita comparatis, ut iisdem in relatione ad ægrotantem in casu præsente major quædam vis inesse videatur, ad sanguinem commovendum, eumdemque cum impetu coacervandum circa encephalon.

§. MCCXCIII.

Prodire etiam observantur in hoc ipso hominum genere phænomena sequentia.

I. Oculi sanguine suffusi apparent.

II. Pallet facies; quæ vero magis rubet in delirio phrenitico.

III. Extrema ita calent sæpius, ut miseri nec acerbissimum frigus persentiant, nec ex ejus admissione ad corpus notabile quoddam damnum reportare videantur.

IV. Audaciam quoque in vultu præ se ferre videntur; ob quam rem mira suscipiunt. Alii enim impudicas & lascivas, alii petulantes ac hilares, alii denique truculentas actiones patrant.

V. Quando motus convulſivi, a quibus maniaci ſæpius valdopere torquentur, remittunt, omniſque paroxyſmus jam deferbuiſſe videtur: ſtupidi tunc eſſe apparent, atque de languore corporis conqueri ſolent.

§. MCCXCIV.

Cerebri quoque ſtatum in maniacis illi ſimilem iſſe, quem apud melancholicos invenire licuit ʒ. 1286.), ſectiones cadaverum docuerunt.

§. MCCXCV.

Ob ſimilitudinem ſubjectorum maniæ ac melanholiæ (§§. 1292 & 1294.) neceſſe erit, ut hic uoque transferantur ea, quæ proſtant in §§. 287-1290. Porro. Quam facilis etiam erit tran-tus melancholiæ in maniam, & maniæ in mencholiam! prouti nempe vel augeatur vel immiuatur vis illarum cauſſarum, a quibus depenent ſanguinis commotiones ejuſdemque coacervaones ad loca encephali. Quibuſcum etiam obrvationes probe conveniunt.

§. MCCXCVI.

Maniæ definitio (§. 367.) ſufficiet ad illius ſigna athognomica intelligenda; prognoſticorum vero ventioni eadem principia, quæ in §. 1291. incantur, ſatis erunt accommodata (§. anteced.)

CAPUT CIX.

DE NOCTAMBULATIONE.

§. MCCXCVII.

HUnc ſingularem affectum (§. 376.) in iis pro diiſſe, obſervationes multoties docuerunt quibus una atque altera illarum conditionum, qua in §§. 1284 & 1292. deſcribuntur, ineſt, au morbi primarum viarum oboriuntur; hic imprimis concurrente vermium colluvie in inteſtinis.

§. MCCXCVIII.

Noctambuli obſervantur quandoque ad loca quævis alta & periculoſa eniti. Alii tantum conſuetas actiones ſuas noctu repetunt, quas de die perpetrare ſolebant; deinde in lectum ſe conferunt, unde egreſſi erant, nihil ante actorum conſcii, dolentes tamen de capitis temulentia fere continua. Admiratione tandem dignum eſſe videtur, quod noctambulationis affectus lunæ phaſibus plerumque reſpondeat.

§. MCCXCIX.

Docuit porro experientia, noctambulationem vel in epilepſiam, vel in aliam melancholiæ ſpeciem tranſiiſſe.

§. MCCC.

Ex parte hic quoque valebunt ea, quæ continentur in capitibus de melancholia & mania.

§. MCCCI.

Noctambulationis ſigna pathognomica ſufficientia ex illius definitione (§. 376.) conſtant; prognoſtica vero cognoſci poterunt, intellectis iis, quæ ad §§. 1291 & 1292. allegantur, una cum cauſſarum conditionibus (§. 1297.)

CAPUT CX.

DE NOSTALGIA.

§. MCCCII.

Ex obſervatis conſtat, noſtalgiam (§. 377.) populis regiones montoſas inhabitantibus eſſe præ reliquis familiarem; ut exempli gratia Helvetis, ex parte etiam Hungaris. Eidem porro affectui ſubjici deprehenduntur nautæ, mutato vitæ genere.

§. MCCCIII.

Sed in noſtalgiam incidere quoque obſervatur illud hominum genus, quod valde ſenſibile eſt, quod domi erat molliter ac effeminate educatum; ſub acceſſionibus variarum calamitatum, in regionibus peregrinis perferendarum.

§. MCCCIV.

Licet vero in iſtiuſmodi ægris ſequentia obſervare.

I. Adeſt animus inquietus, una cum tædio vitæ præſentis.

II. De patriæ moribus ejuſque prærogativis quavis data occaſione loquuntur.

III. Quo minor ſpes illis affulget ſalutandi oras patrias; eo citius melancholia in maniam, aut delirium acutum tranſire deprehenditur.

IV. Appetitus proſternitur; male digeritur; noctes a ſomno vacuæ tranſiguntur; pulſus inæqualitas ſæpe fit admodum conſpicua; commotiones febriles ſæpius urgent, degenerant tandem in febres acutas vel hecticas.

§. MCCCV.

Noſtalgia initia ſua ducere videtur a boni, quod domi quondam perceptum erat, reminiſcentia, eaque a perceptionibus ingratis excitata (§§. 1302-1304.)

§. MCCCVI.

Ea hic etiam locum habebunt ſuum, quæ proponuntur in capitibus de melancholia & mania.

§. MCCCVII.

Noſtalgiæ ſigna pathognomica ſufficientia ex illius definitione (§. 377.) apparent; ad prognoſtica vero cognoſcenda juvabit deſcriptorum in

. 1304. effectuum morbi, illorumque principiorum decens consideratio, quæ proponuntur in §§. 1291 & 1296.

CAPUT CXI.

DE HYDROPHOBIA.

§. MCCCVIII.

DOcent observationes, sequentia in hydrophobis (§. 374.) fieri.

I. Loca corporis, quibus infligitur morsus a cane, lupo, aut alio quodam animali rabido, statim incipiunt vehementer dolere.

II. Obortus ibidem dolor de die in diem non solum magis augetur, sed etiam per alia loca corporis vagatur.

III. Sub ipsis etiam mali initiis conqueri solent miseri de artuum lassitudine & gravitate.

IV. Tristes deinde fiunt, somnum habent turbulentum, solitudinem quærere videntur, convelluntur.

V. Oboriuntur iisdem anxietates præcordiorum, respiratio difficilis, horror ad conspectum liquidorum aut splendentium.

VI. Quod si vero tentaveris hydrophobos liquidis assuefacere, eaque illorum ori admovere,

tunc ſemper conſequi ſolent incredibiles anxietates, tremores, convulſiones immanes, vomitus frequentes, quibus materia glutinoſa, vel bilis porracea ejicitur.

VII. Febris, quæ jam initio morbi comparet, mirum in modum augetur, quando deſcripta ad *numer. præced.* phænomena deprehenduntur.

VIII. Tunc etiam conatus ſeſe exſerunt, quævis obvia morſu aggrediendi.

IX. Plerumque inter atrociſſimas convulſiones perire ſolet hoc hominum genus miſerum.

X. Notatu porro dignum eſt, quod morſus hydrophoborum, aliis inflictus, vim contagii ſæpius habuerit.

XI. Quod etiam quandoque eveniſſe obſervatum erat ex contactis inſtrumentis, quibus animal rabidum occiſum erat; vel ex veſtibus, poſt annum ad corpus admotis, quas dilaceraverat caniculus rabidus.

XII. Sectiones cadaverum viſcera inflammata, imprimis pulmones, viſui offerebant.

§. MCCCIX.

Per morſum animalis rabidi materia quædam corpori humano inſinuatur, a qua non ſolum congeſtiones humorum caput verſus producuntur, quæ ſufficiunt delirio excitando (§§. 1287. 1288 & 1295.), ſed etiam a qua tam facile inflammantur viſcera [§. anteced.]

§. MCCCX.

Multum hic etiam valebunt ea, quæ in capibus de melancholia & mania proſtant.

§. MCCCXI.

Hydrophobiæ ſigna pathognomica ſufficientia ex illius definitione [§. 374.] intelliguntur; prognoſtica vero ab iiſdem principiis, quæ in §. 1291 & 1296. indicantur, nec non ab illis ſonticis effectibus, quos morbi hiſtoria enarrat [§. 1308.], derivanda erunt.

CAPUT CXII.

DE

TARANTISMO.

§. MCCCXII.

Ex obſervatis conſtat, quod in iſto ægrorum genere [§. 373.], poſt tarantularum ictum, ſequentia evenire ſoleant.

I. In parte affecta inſignis quidam dolor, qui ſe amplius extendit, cum circulo mox flavo, mox nigricante deprehenditur.

II. Statim vires deficere videntur, triſtitia concipitur, hominum conſortia fugiuntur, ſolitaria loca quæruntur.

III. Eorum quidam ululant, veſtimenta dilacerant, cœno corpus ſuum committunt, aut

quæcumque alia indecora ſuſcipiunt; quidam vero immobiles jacent, inſtar demortuorum.

IV. Alios iſte, alios alius color delectare ſolet; excepto tamen colore nigro, quem ſummopere abhorrent a tarantulis puncti.

V. Inſtrumentis quoque muſicis modo his, modo aliis delectantur, atque ad ſaltandum compelluntur; adeo, ut, corpore per motum ſatis exercitato, ſudores fundant, ſeque melius habere incipiant.

VI. Inſtrumentorum vero ſonos diſſonantes ſummæ anxietates, immo etiam convulſiones inſequi ſolent, tamque diu in hoc miſero hominum genere durare videntur, donec inſtrumentis iterum excitentur ſoni harmonici.

VII. Non quovis tandem anni tempore, ſed diebus tantum æſtivis, præcipue canicularibus, ictus tarantularum hos noxios effectus edere obſervantur.

§. MCCCXIII.

Hujus quoque conditionis materia ab ictu tarantularum corpori humano importari videtur, quæ, productis humorum ad caput congeſtionibus, delirium producere valet [§§. 1287. 1288. 1295. & 1312.]

§. MCCCXIV.

Similiter hujus quoque loci erunt ea, quæ in capitibus de melancholia & mania exhibentur.

§. MCCCXV.

Tarantismi signa pathognomica sufficientia illius definitio (§. 373.) tibi suppeditabit; prognostica vero facile colligere poteris partim ex iisdem principiis, quæ in §§. 1291 & 1296. adducuntur, partim ex illorum effectuum recta consideratione, quos annotatos in se comprehendit historia morbi (§. 1312.).

CAPUT CXIII.

DE CHOREA S. VITI.

§. MCCCXVI.

DIcunt hoc singulare incommodi genus (§, 372.) primum observatum fuisse in quibusdam Sueviæ incolis; eosdemque sub illius accessione dona obtulisse S. Vito, ac institutis ad ejus sacellum saltationibus solemnibus non solum liberatos fuisse a malo præsente, sed etiam ab eodem in posterum tempus defensos. Notari porro meretur, quod præcipue deprehensus fuerit idem affectus in feminis hystericis.

§. MCCCXVII.

Atque hic quoque locum inveniunt suum ea, quæ in capitibus de melancholia & mania continentur.

§. MCCCXVIII.

Signa pathognomica choreæ S. Viti ex ejus definitione (§. 372.) patent; prognoſtica vero ad eadem principia redibunt, quæ jam citata proſtant in §§. 1291 & 1296.

CAPUT CXIV.

DE FURORE POETICO.

§. MCCCXIX.

EX obſervatis apparuit, furorem poëticum (§. 375.) in illo hominum genere prodiiſſe, quod exercitationibus poëticis diu noctuque inhæret, aut ſaltem tanta animi mollitie præditum eſt, ut a carminibus ſupra modum flectatur; his inſuper accedente una atque altera illarum conditionum, quæ proponuntur in §. 1284.

§. MCCCXX.

A deſcripta hominum indole (§. anteced.) haud incongrua ratione derivare licebit furorem poëticum (§. 375.).

§. MCCCXXI.

In raptu poëtico verſantes ſpaſmo cynico aut riſu ſardonio affecti, nec non oculis plerumque clauſis ac ore ſpumante canere obſervantur.

§. MCCCXXII.

Juvabit hic quoque ea transferre, quæ exponuntur in capitibus de melancholia & mania.

§. MCCCXXIII.

Signa pathognomica furoris poëtici ex ejus definitione (§. 375.) & prolatis in §. 1221. facile cognoscuntur; prognosticis vero inveniendis eadem principia respondebunt, quæ exponuntur in §. 1291 & 1296.

CAPUT CXV.

DE EROTOMANIA ET FURORE UTERINO.

§. MCCCXXIV.

SI caussæ ad corpus admittuntur, sive illæ externæ fuerint, sive internæ, a quibus appetitus ad venerem in tanto gradu concitatur, ut vel ideo, vel aliunde simul producantur caput versus humorum congestiones, eæque sufficientes perturbandis facultatibus animæ inferioribus: tunc etiam necessaria erit erotomania (§. 371.)

§. MCCCXXV.

Hinc etiam patet ratio [§. anteced.], quare nimirum homines erotomaniaci (§. 371.], fiant, vel ob philtrum oblatum, vel ob abusum diureticorum, vel ob ejusmodi morbos, quibus jungi solet

ſenſus titillationis in partibus genitalibus, cum earum in majus volumen incremento, ad hæc accedente pathematum animi vehementia? Porro: quare ſexus amabilis, ob converſationem cum maribus, accedentibus inſuper anomaliis menſium, vel paſſione hyſterica, vel etiam clitoridis inſolita longitudine, corripi ſoleat a furore uterino [§. citat.]? Quibuſcum obſervationes congruunt.

§. MCCCXXVI.

Quo etiam loco ex parte repeti poterunt ea, quæ traduntur in capitibus de melancholia & mania.

§. MCCCXXVII.

Ut erotomaniæ ac furoris uterini definitionis [§. 371.) recta applicatio ad caſum ſignis pathognomicis inveniendis ſufficere poterit: ita etiam prognoſticorum cognitioni ſatis hic reſpondebunt propoſita in §§. 1291 & 1296. principia, una cum decente contemplatione cauſſarum, quæ hoc loco concurrere poſſunt [§. 1324 & 1325.]

CAPUT CXVI.

DE MOROSI ET DEBILITATE MEMORIÆ.

§. MCCCXXVIII.

NErvis in cerebro ſupra modum debilitatis: tam moroſis in genere, quam etiam in ſpecie debilitas memoriæ produci poterit (§§. 365. 369 & 379.)

§. MCCCXXIX.

Cognoſci ideoque poterit [§. ant.] ratio illorum caſuum, ubi hoc mali genus prodiiſſe multoties deprehendere licuit. Quorſum exempli gratia ſpectabunt a cauſſis externis cerebro inductæ læſiones; morbi capitis vehementes ac diuturni; facultatum animæ inferiorum ſummæ intenſiones; inſultus apoplectici; ſenectus tandem, imprimis decrepita.

§. MCCCXXX.

Moria carebit illis commodis, quæ, præcipiente Phyſiologia, a functionibus animalibus rite comparatis, ad quas etiam ſenſuum internorum functiones pertinent, redire ſolent ad alia functionum corporis humani genera (§. 365.)

§. MCCCXXXI.

Quoniam maraſmus ſenilis moroſin generatim involvit, quæ connectitur cum univerſali quadam ſoildorum debilitate, eaque ſimul tali, qualis eſt,

quæ a majore fluidi aquei in illorum elementis de-
fectu, quam qui in casu rigiditatis obtinet, pro-
ficiscitur, ac ordinario senibus decrepitis accidere
solet [§. 381.]; consequens omnino erit, quod
præter stupiditatis effectus [§. anteced.], hic etiam
illi in considerationem veniant, qui nunc modo
indicatæ solidorum debilitati originem suam de-
bent, ac facile intelligi poterunt ex §. 386.

§. MCCCXXXII.

Conveniente ad casum applicatione definitionum [§§. 365 & 379.] facile dignoscere licebit morosin ac debilitatem memoriæ; prognosis vero hic derivanda erit ab affectus magnitudine ac caussarum conditionibus [§§. 1328 & 1329.]

CAPUT CXVII.

DE

FEBRIBUS IN GENERE.

§. MCCCXXXIII.

Consideratis hucusque morborum tot speciebus diversis; eoque jam modo præmissis principiis quibusdam, ad febrium doctrinam facilius intelligendam necessariis, ordo tractationis postulat, ut nunc etiam de febribus agatur, & quidem prius in genere, deinceps in specie.

§. MCCCXXXIV.

Inter tot tamque diverſa in febribus occurrentia phænomena, ea præ reliquis, quæ in febris definitione [§. 238.] exhibentur, referri poterunt ad conſtantia, magiſque propria febribus, quam aliis morborum ſpeciebus, immo etiam idonea pluribus aliis inde facilius deducendis, quæ in corporibus febrientibus fieri deprehenduntur; id quod ex ſubſequentibus ſatis clare patebit. A ſpaſmo itaque peripherico & pulſu, qui eum ſequitur, celeri ac frequente, notæ redibunt ſufficientes, ad febris definitionem recte componendam [§. citat.]

§. MCCCXXXV.

Probe attentus ad ſymptomata in febribus obvia, hanc ibidem deprehendes differentiam ſatis notabilem. Quædam nimirum febres, a ſui initio uſque ad ſui plenariam ſolutionem, in eodem vehementiæ gradu, ratione ſymptomatum ſuorum perſeverant; quædam vero, priuſquam plenarie ſolvantur, ita comparatæ ſunt, ut illarum ſymptomata imminui videantur; quædam denique ejus conditionis eſſe deprehenduntur; ut illarum ſymptomata ad tempus aliquod ceſſare videantur, ſeu in quibus tempus vacuum a motibus febrilibus obſervetur, antequam ſuum decurſum prorſus abſolvant.

§. MCCCXXXVI.

Febris remittere dicitur, ſi illius ſymptomata intra tempus plenariæ ſuæ ſolutionis imminui obſervantur. Tunc vero *febris intermittit*, quando intra tempus plenarii decurſus ſui ſymptomatum ſe-

brilium per aliquod tempus cessationes, sive ubi tempus aliquod vacuum a motibus febrilibus oboriri, deprehendere licet [§. anteced.]

§. MCCCXXXVII.

Febris continens est febris, quæ nec remittit, nec intermittit; sive cujus symptomata a suo principio, usque ad sui plenariam solutionem in eodem gradu vehementiæ perdurant. Dicitur etiam hæc febris *continua non remittens*, *aut synocha simplex*, vel etiam *synochus imputris*. *Febris* vero *continua* vocatur, quæ remittit. *Febris* denique *intermittens* erit, quæ intermittit [§. anteced.]

Febrium itaque facta reductione ad tria genera: illarum quoque aliæ divisiones proponendæ erunt, eæque imprimis petendæ tam a differentibus morbi conditionibus, quæ in febribus conspicuæ fiunt, quam etiam a typo morbi. Cujus rei præcipua momenta in se jam continebunt §§. sequentes.

§. MCCCXXXVIII.

Erunt *febres* tam *acutæ*, quam *chronicæ*; prouti nempe in illis compareat schema morbi vel acuti, vel chronici [§. 46. *proleg.*]

§. MCCCXXXIX.

Febres quoque esse poterunt vel *benignæ*, vel *malignæ*, immo etiam *contagiosæ*; pro indole morbi modo benigni, modo maligni ac contagiosi, quam præ se ferre in casu obvio deprehenduntur [§. 77. *proleg.*]

§. MCCCXL.

§. MCCCXL.

Prouti febribus in casu præsente respondeat notio morbi endemici, aut epidemici (§. 82. proleg.): *illæ* tunc etiam dici poterunt mox *endemicæ*, mox *epidemicæ*.

§. MCCCXLI.

Solent etiam ad febres designandas nomina morborum certæ speciei, quibuscum illæ connectere deprehenduntur, transferri. Hinc *febris catarrhalis* dicitur, quæ cum catarrho (§. 347.), *inflammatoria*, quæ cum inflammatione (§. 116.) connectitur: & sic porro.

§. MCCCXLII.

Tandem ratione typi; *febres* erunt vel *typicæ*, sive *regulares*; vel *atypicæ*, sive *irregulares* (§. 64. *proleg.*)

§. MCCCXLIII.

Frequenter accidere solet inter homines, ut duo, aut plures simul incipiant conqueri de sensu quodam molesto tensionis vel gravitatis, quem ad spinam dorsi aut artus percipiunt; eidem mox junctis pluribus aliis incommodis. Quorsum scilicet pertinebunt sanguinis quasi ebullientis circa præcordia perceptiones, respirationis difficultates quædam, pandiculationes ac oscitationes, capitis dolor vel gravitas, visus obnubilationes, tandemque inertia quædam in exercitio motuum voluntariorum corporis. Præter hæc in eodem ægrotantium genere observabis habitum corporis externum tibi paulo

emaciatum videri, præcipue ad faciem; vasa ad frontem, ad tempora, ad manuum dorsa, quæ alias conspicua ibidem satis erant, nunc jam evanuisse; pulsum denique parvum ac debilem, sed celerem simul & frequentem apparere. Longioris durationis ac gradus majoris hæc omnia in illis esse videntur, quibus ad corporis extrema frigus simul oboritur, quam quibus hoc ibidem deficit. Deprehendes porro fieri, ut vasa in conspectum iterum prodeant, quæ visum tuum paulo ante subterfugiebant; habitus corporis externus, qui antea extenuatus esse videbatur, magis turgescat & incalescat; difficultates circa respirandum, una cum incommodis ad peripheriam corporis & præcordia subortis, imminuantur; pulsus nunc quidem ad magnitudinem, duritiem ac vehementiam prius accedere, deinceps vero indolem his contrariam, inter augmenta transpirationis, nec non sitis incommoda, adipisci, servare tamen videatur constanter celeritatem suam ac frequentiam.

MCCCXLIV.

Consideratis illis phaenomenis, quæ in §. anteced. describuntur, iisdemque probe inter se collatis, tuto colligere licebit ad febris existentiam, simulque intelligere, quod non nisi ab observatis rite abstracta notio definitionem febris (§. 238.) ingrediatur.

§. MCCCXLV.

Ex spasmi vero peripherici & pulsus, qui illum sequitur, celeris ac frequentis notione notio fe-

ris componitur; hæcque eorum fœcunda esse di-
itur, quæ ad febris naturam penitius cognoscen-
am facili studio inde erui possint (§§. 238. &
334.) Ostendendum itaque jam erit, quod hæc
um vero ita congrua sint, ut iisdem quoque obser-
ationes passim respondeant.

§. MCCCXLVI.

A spasmo peripherico produci simul poterunt
ontractiones fibrarum in vasis tam venosis, quam
rteriosis, quæ ad corporis peripheriam excurrunt.
§. 237.) Unde efficitur, ut circa cor magis tunc
emporis hæreat sanguis.

§. MCCCXLVII.

Quare tunc etiam sensus ebullitionis circa præ-
ordia, respirationis incommoda, angores cordis,
andiculationes ac oscitationes producantur, atque
d majorem gradum perveniant, necesse erit, quo
najor nempe fuerit spasmus periphericus (§ anteced.)
Quod per observata quoque confirmatur.

§. MCCCXLVIII.

Sanguinis influxu expedito in partes solidas cor-
oris humani opus esse ad calorem ibidem produ-
endum, ex Physiologicis satis constat. Sed hoc
eri non poterit, fibris arteriarum a spasmo affectis.
onsequens igitur erit: spasmum periphericum (§.
37.) in febricitantibus eo majoris gradus fore,
uo majus in iisdem frigus ad extrema corporis
eprehendatur.

§. MCCCXLIX.

Ex eo, quod corpus humanum magis immobile factum esse deprehenditur, ad illius quoque rigorem, qui sæpius originem suam pertinacibus spasmis debet, colligere solemus. Hinc necesse jam erit, ut in corporibus febrientibus majoris gradus adsit spasmus periphericus, quæ rigent; utpote quibus tunc etiam ad extremitates suas oboriri simul deprehenditur frigus satis validum, una cum augmento illorum incommodorum, quæ in (§. 1347.) indicantur.

§. MCCCL.

Deprehensis circa febris invasionem horroribus, sive horripilationibus: deprehendi quidem solet frigus ad extrema corporis, sed lene, brevis durationis, non numquam etiam intra momentanea quasi intervalla aliquoties recurrens. Neque ideo tanti gradus erit spasmus periphericus in febricitantibus, quibus modo sub febris accessione horripilationes oboriuntur, quanti in illis est, qui tunc temporis admodum frigent, aut rigent (§§. 1348. & 1349.)

§. MCCCLI.

Quoniam porro per ipsam naturam spasmi necesse est, ut, eodem in illis locis corporis humani oborto, vasa, alias conspicua ibidem, visui subtrahantur, ipsaque caro in arctius quasi spatium cogatur: non poterit non spasmo peripherico tribui, quare sub invasione febris vasa fiant evanida ad frontem, ad tempora, ad manuum dorsa, atque externi

habitus corporis apparentes prodeant extenuationes? Quocum etiam obſervationes conveniunt.

§. MCCCLII.

Unde ſimul de ratione conſtabit, quare phænomena iſta in illis febricitantibus, quibus modo ſub febris acceſſione oboritur ſenſus tenſionis vel gravitatis membrorum, tamquam effectus ſpaſmi peripherici levioris gradus, obſerventur non adeo diſtincte prodire, quam in illis, qui inhorreſcunt; atque omnium maxime conſpicua fieri in iis, qui tunc temporis validum frigus, aut rigorem perpetiuntur? (§§. 1348 1351.) Quæ etiam cum obſervationibus conſentanea ſunt.

§. DCCCLIII.

Quia circulo ſanguinis reſpondet pulſus (§. 124.); iſque celer ac frequens eſt in febre (§. 238.); atque hæc ſimul ſpaſmum periphericum ſibi vindicat (§. citat.), ſub cujus duratione ſanguis circa cor magis hæret, nata ad arteriarum extremitates ac circa pulmones reſiſtentia (§. 1346.): inde jam ſequitur, fore, ut, præſente ſpaſmo peripherico, circulus ſanguinis in corporibus febrientibus celer quidem dici poſſit, ſed debilis.

§. MCCCLIV.

Hinc jam cognoſcere licebit, quare nimirum in hocce febris ſtadio pulſus appareat parvus ac debilis (§§. 127. 128. 135. 136. 1343 & 1353.)?

§. MCCCLV.

Ex Physiologicis constat, sanguinem per carotides copiatim adire encephalon, unde ille per venas jugulares, admodum dilatabiles, tandem deducitur ad cordis ventriculum dextrum. Quoniam vero celer est in febre sanguinis circulus: tunc etiam increscet in vasis encephali sanguinis quantitas, illiusque coacervationes ibidem fieri facile poterunt. Unde jam prodibit in encephalo febricitantium status similis statui congestionum sanguinis ad caput (§. 175.).

§. MCCCLVI.

Satis vero notum est, quam diversi effectus in corpore humano producantur a sanguinis congestione, ad differentes gradus encephalon versus facta. Quin igitur ejusmodi effectibus febricitantium corpora subjiciantur, dubitari nequit (§. anteced.)

§. MCCCLVII.

Poteris jam inde cognoscere, unde caligo illa visus, capitis dolor vel gravitas, impotentia ad motus voluntarios, tamquam incommoda, de quibus ex febre ægrotantes conqueri solent, originem suam ducant (§. anteced.). Atque ex eodem fundamento tibi porro constabit, fieri quandoque posse, ut, accedentibus hic præcipue caussis validis, sive illæ externæ, sive internæ fuerint, magisque accommodatæ indoli febris certæ speciei, suboriantur pervigilia, affectus soporosi, deliria, convulsiones, lipothymiæ. Quibus etiam observationes respondent.

§. MCCCLVIII.

Inter multiplices illos effectus, qui in febricitantibus a diversi gradus congestione sanguinis ad caput dependent (§. 1356.), referri quoque poterit intensa cordis actio; manifesto illorum exemplo, quibus insultus apoplectici accidere solent. Fieri adeoque poterit, ut vis cordis ex febre ægrotantium increscat.

§. MCCCLIX.

Aucta vi cordis, augebitur quoque sanguinis motus in arteriis. Ergo fieri poterit, ut etiam fortis circulus sanguinis in febricitantibus locum inveniat (§. anteced.).

§. MCCCLX.

Sanguinis circulus fortis vim cordis auctam sibi vindicat, qua efficitur, ut sanguis majore cum vi in arterias impellatur, easdemque ad majorem diastolen ac systolen cogat; effectibus istis ad minimas quoque arterias atque a corde remotissimas tandem redeuntibus. Quo igitur modo superari jam poterit omne id, quod spasticum foret vel in arteriis, vel in partibus, quas illæ adeunt; idque multo magis, quum etiam venæ tunc temporis turgidæ fieri incipiant a sanguine, ipsis commisso ab arteriarum sibi vicinarum ramusculis. Ex quibus itaque colligitur: fieri omnino posse, ut, suborto in febricitantibus circulo sanguinis forti, spasmus periphericus sensim sensimque solvatur.

§. MCCCLXI.

Hinc ulterius conficitur (§. anteced.): tunc etiam futurum esse, ut in febricitantibus corporis habitus externus turgescat, & vasa in locis periphericis alias conspicua, quæ paulo ante visum subterfugiebant, iterum prodeant in conspectum (§. 1351.); calor ad extrema loca corporis redeat, isque auctus (§. 1348.); respiratio liberior reddatur, producto simul levamine circa præcordia (§. 1347.); pulsus fiat fortis, durus, ad magnitudinem, ad mollitiem accedat (§§. 129. 137 & 1354.); tandemque transpirationis augmenta ac sitis incommoda subsequantur.

§. MCCCLXII.

Omnes isti effectus, qui in febricitantibus a circulo sanguinis forti produci possunt (§§. 1360 & 1361.), in iisdem quoque prodire observantur (§. 1343.). Nullum igitur dubium erit, quin tunc etiam sanguinis circulus fortis, præter celerem, febricitantibus attribui debeat; quum ab effectu ad caussam omnino valeat consequentia.

§. MCCCLXIII.

Atque ita in omni febre prius ad cor magis ducitur sanguis, ejus circulo tunc existente celeri ac debili; deinceps vero ad loca corporis extrema expeditius fluit, illius circulo forti ad celerem accedente (§§. 1346. 1353. 1360. 1361 & 1362.) Vel ut in scholis Medicorum dici solet: duplex in quavis febre motus sanguinis obtinebit, alter scilicet

peripheria ad centrum, alter vero a centro ad peripheriam.

§. MCCCLXIV.

Sufficient etiam hucuſque prolata, ad febris ſtadia hæcce diverſa (§. anteced.) facile dignoſcenda. Quorſum ſequentes imprimis pertinebunt (§§. 1347-1354. 1360-1362.

§. MCCCLXV.

In Phyſiologicis evictum datur, a ſanguinis delationibus ad organa ſecernentia in corpore humano dependere ſecretiones, hiſque ceteris paribus reſpondere excretiones. Sed in febricitantibus circulus ſanguinis celer ac fortis locum habet (§. 1362.). In quibus adeoque ſecretionum ac excretionum augmenta evenire poterunt. Quod etiam cum obſervationibus congruit.

§. MCCCLXVI.

Pro fluidorum ſecretorum diverſitate, modo ratione qualitatis ſuæ, modo quantitatis, delatorum ad organa excernentia, præcipue illa, quæ in alias partes hiant, eaſque ſimiles vaſis in genere; atque pro harum partium differente conditione: diverſi etiam in febre occurrent effectus (§. anteced.). Idem ſimiliter probant obſervationes.

§. MCCCLXVII.

Quoniam in febricitantibus ſanguinis circulus celer ac fortis non deſideratur (§. 1362.); iiſdem-

que excretiones auctæ oboriri possunt (§. 1365.): hinc effici poterit, ut humorum massa in corporibus febrientibus & resolvatur, & inspissetur. Quibus etiam observationes respondent.

§. MCCCLXVIII.

Quare in corporibus febrientibus stases ac obstructiones resolvi, novæ produci, vel jam præsentes augeri poterunt (§. anteced.) in idem consentientibus quoque observatis.

§. MCCCLXIX.

Singulis his diligenter consideratis, quæ de febris affectionibus hucusque tradita sunt: poteris tibi jam concipere febrem, tamquam complexum morborum cordis, pulmonum, encephali, sensuum internorum externorumque, vasorum omnis generis & partium quas illa ingrediuntur, sanguinis tandem ac reliquorum fluidorum (§§. 1346-1368.)

§. MCCCLXX.

Hinc veritati apprime respondebunt ea, quæ jam a tot annis docuerunt Medici, dicentes: in omni febre lædi functiones vitales, animales, naturales [§. anteced.].

§. MCCCLXXI.

Probe attendenti ad eos casus, in quibus generatim febris [§. 238.], cujuscumque conditionis illa fuerit, prodire observatur, non poterit non innotescere, ejusdem ortum non sibi ibidem fieri,

ibi de ſtaſium ac obſtructionum in corpore exiſtentia te ſatis certum facere poſſunt principia pathologíca. Ut itaque febris in genere cauſſa proxima reduci poſſe videatur ad ſtaſes ac obſtructiones.

Peccata rerum ſex non naturalium, res aliæ ad corpus admiſſæ, morborum denique ſpecies variæ magis pertinebunt ad cauſſas remotas febris; ſi hæc iiſdem ſupervenire obſervetur. Ab ejuſmodi vero cauſſis remotis febris ejus cauſſa proxima, quæ in §. indicatur, ita jam oriri poterit, ut hic permultæ ſimul obtineant differentiæ, eæque magis petendæ mox a diverſitate modi, quo ſtaſes ac obſtructiones generantur (§§. 100 & 174.); mox a locorum corporis, ubi illæ exiſtunt, diverſis conditionibus; mox a materiæ ipſius, a qua ſtaſes ac obſtructiones perficiuntur, diſcrepantibus qualitatibus; mox denique ab horum omnium diverſis aliis ad ſe relationibus. Quæ ſi rite perpendantur in caſibus febris ſubortæ, tunc facile diſcuti poterit dubium illud; quod ſpeciem veri præ ſe ferre videtur, ac ſi nimirum vix fieri poſſit, ut ad tantam ſimplicitatem cauſſa febris in genere redeat; cujus tamen tot ſpecies exiſtunt, quæ tanta ſymptomatum multitudine, varietate & acerbitate conſpicuæ fiunt (ſicuti id ex capitibus ſubſequentibus ſatis conſtabit), ut longe aliam quoque ſui conditionem requirere videatur febris in genere cauſſa proxima. Conſtituuntur vero genera a ſpecierum, & hæ a ſingularum ſimilitudine, ac utraque agnoſcuntur per geneſin rerum, ſub iis contentarum. Clariora hæc omnia reddentur in prælectionibus.

§. MCCCLXXII.

Fieri poterit, ut febris se ipsam salutariter solvat; vim quandoque habeat remedii cujusdam salutaris in compluribus morbis; novos morbos corpori inducat, vel augeat antiquos; tandemque ex una sui specie in aliam degeneret [§§. 1368 & 1371.]. Quod etiam ab observationibus confirmatur.

§. MCCCLXXIII.

Febrium solutiones ita fieri observantur, ut eædem vel pedetentim eveniant ac fere quotidie, vel subito contingant stato quasi die. In casu *priore febris* solvi dicitur per *lysin*; in *posteriore* vero per *crisin*.

§. MCCCLXXIV.

Crises vel lyses in febribus fieri possunt vel per productionem novi morbi; vel per reditum sanitatis; vel per mortem [§§. 52. *proleg*. & anteced.].

§. MCCCLXXV.

Crises febribus acutis, in quibus nullæ, aut saltem perexiguæ remissiones observantur, hinc continentibus & quibusdam modo continuis competent; lyses vero omnibus chronicis atque iis continuis acutis magis propriæ erunt, ubi admodum notabiles remissiones deprehenduntur [§§. 1337. 1338 & 1373.].

§. MCCCLXXVI.

Crises bonæ esse dicuntur, quæ fiunt per ortum sanitatis, aut morbi minoris morbo solvendo;

nalæ autem appellantur, quæ per morbi majoris morbo solvendo productionem, vel per mortem iunt. Atque ita quoque *lyses* dividi poterunt.

§. MCCCLXXVII.

Ad formam solutionum, quæ in febribus contingere solent, quod attinet: sequentia hic jam annotanda erunt momenta ex observationibus. Materia nempe febrilis modo a febre ita mutatur; ut talem iterum nanciscatur indolem, ne corpori amplius nocere possit, intra idem retenta; modo etiam vi corporis febrientis extra hujus terminos proscribitur; modo denique ex uno loco corporis ad alium defertur. In casu *primo* dicitur *febris solutio* fieri per *assimilationem*; in *secundo* per *eccrisin*; in *tertio* tandem per *metastasin*.

§. MCCCLXXVIII.

Crises ac lyses fieri poterunt modo per assimilationem; modo per eccrisin; modo per metastasin (§§. 1373 & anteced.).

§. MCCCLXXIX.

Qui crises & lyses in febribus rite dijudicare vult: illum opportebit animum dirigere suum ad quantitatem & qualitatem materiæ febrilis; ad loca corporis, ubi vel eccrisis, vel metastasis febrilis fit; ad functionum in corpore febriente, præcipue vitalium, indolem; tandemque ad alias speciales in casu obvio ægrotantis conditiones (§§. 92. 93. 94. 135. *proleg.* 1378.).

§. MCCCLXXX.

Veteres Medici, præclara illa acuminis in obſervando exempla, in corporibus febricitantium certas mutationes, easque valde notabiles ſenſibusque admodum conſpicuas, ſtatis quibuſdam diebus intra illud tempus, quo febris ad naturalem decurſum ſuum uti ſolet, contingere ac criſin præcedere obſervarunt; hoſque etiam dies dignos eſſe voluerunt, qui nominibus ſuis notentur, atque a reliquis diſtinguantur. Juvabit adeoque horum dierum diagramma hoc jam loco exhibere; præmiſſis tamen prius, majoris claritatis cauſſa, definitionibus ſequentibus.

§. MCCCLXXXI.

Dies criticus erit, quo criſis fit. *Dies indicatorii*, ſeu *indicantes*, ſeu *contemplabiles*, ſive *contemplantes* dicuntur illi, quibus talia phænomena obſervantur in febribus prodire, unde ad criſeos futuræ conditionem tuto colligere licet: ſive, ubi ſymptomata in febribus eveniunt, quatenus ſunt ſigna prognoſtica criſeos. *Dies intercalares*, ſive *intercidentes*, ſive *provocatorii* appellantur illi, qui diebus indicatoriis ex parte aliqua ſimiles eſſe deprehenduntur. Sed diebus indicatoriis ac intercalaribus opponi jam ſolent *dies vacui*, ſive *medicinales*, ſive *non decretorii*. *Dies* tandem *pſeudocriticus*, ſeu *tyrannicus* vocatur ille dies febris, qui graviſſimis morbi exacerbationibus ſtipatus eſſe, ac proxime antecedere ſolet diem criticum, præcipue primum & quartum.

§. MCCCLXXXII.

Diagramma criticum.

SEPTENARIUM I.			SEPTENARIUM IV.
Dies			Dies
I.	Vacuus.	-	XXI.
II.	Vacuus.	-	XXII.
III.	Intercalaris.	-	XXIII.
IV.	Indicatorius.	-	XXIV.
V.	Intercalaris.	-	XXV.
VI.	Pſeudocriticus.	-	XXVI.
VII.	Criticus.	-	XXVII.
SEPTENARIUM II.			SEPTENARIUM V.
VIII.	Vacuus.	-	XXVIII.
IX.	Indicatorius (ſæpe exitialis).		XXIX.
X.	Vacuus.	-	XXX.
XI.	Indicatorius.	-	XXXI,
XII.	Vacuus.	-	XXXII.
XIII.	Intercalaris.	-	XXXIII.
XIV.	Criticus.	-	XXXIV.
SEPTENARIUM III.			SEPTENARIUM VI.
XIV. *.		-	XXXIV.
XV.	Vacuus.	-	XXXV.
XVI.	Vacuus.	-	XXXVI.
XVII.	Indicatorius.	-	XXXVII.
XVIII.	Vacuus.	-	XXXVIII.
XIX.	Intercalaris.	-	XXXIX.
XX.	Criticus.	-	XL.

Ex diagrammate iſto apparet, quod deſcriptæ ibidem rationes numerandi in iis modo febribus locum magis obtinere videantur, quæ minimum ad ſui decurſum uno ſeptenario utuntur. Nonne vero ejuſdem diagrammatis uſus ad eas quoque febres trans-

ferri poterit, quæ brevius uno ſeptenario decurrunt, aut illas chronicas, quæ, licet durationis admodum longæ ſint, non numquam tamen acutarum naturam affectant, ſimiliter diſtributo tempore, intra quod febres iſtæ decurſum ſuum abſolvunt? Id quod a vero non ita alienum eſſe, in prælectionibus probabitur congruis argumentis; ſimul additis quorumdam vindiciis contra recentiorum dubia, quibus veterum Medicorum impugnari ſolet auctoritas & fides in doctrina de criſibus febrium.

§. MCCCLXXXIII.

Signa pathognomica ſufficientia febris in genere per hujus definitionem (§. 238.), ad caſum rite applicatam, conſtare poterunt.

§. MCCCLXXXIV.

Ad ſignorum vero prognoſticorum cognitionem in febribus generatim quod attinet: hic jam conveniet ſingulos febris effectus, in peculiaribus §§. ſupra expoſitos, probe conſiderare, eoſdemque inter ſe conferre; cauſſarum rectam habere rationem; inde ad morbi magnitudinem accurate colligere; cum his omnibus denique comparare phænomena, febris ſolutionem indicantia. Quare hoc loco notandæ erunt propoſitiones ſequentes.

I. Quo magis in corpore febriente organa vitalia afficiuntur; & quo plures in eodem lædi deprehenduntur functiones vitales: eo magis periculoſus erit ſtatus.

II.

II. Quo majora virium decrementa in febricitantibus, illaque magis ſubito fieri obſervantur; eo magis metuendum erit, fore, ut natura morbo ſuccumbere cogatur.

III. Quo minus etiam cauſſæ febris ſubigendæ reſpondere videantur conamina naturæ; eo minus ſperari quoque poterit bonus eventus febris.

IV. Sed e contraria parte boni præſagii erunt in febre; functionum vitalium læſiones admodum exiguæ, aut initio quidem graves, mox vero mitiores factæ virium conſtantia quædam; his denique omni ex parte accommodatæ mutationes, quæ ad morbi ſolutionem ſalutarem efficiendam in corpore febri obnoxio prodire ſolent.

CAPUT CXVIII.

DE FEBRIBUS CONTINENTIBUS IN GENERE.

§. MCCCLXXXV.

IN hoc febrium genere (§. 1337.) prodire obſervantur ſequentia phænomena.

I. Invaſio febriſ fieri ſolet primo mane, cum tenſionis, gravitatis & quaſi confractionis membrorum; non numquam etiam horroris ſenſu.

II. Æſtus, qui ſtatim initio morbi comparet, in eadem vehementia perdurat uſque ad febris decurſum.

III. Præter pulſum celerem ac frequentem; tamquam ſingulis febrium ſpeciebus communem, ille hic etiam magnus eſt.

IV. Facies inflata ac rubicunda apparet; adſunt cephalalgiæ ſatis graves; non deficiunt vertiginis, tinnitus ac ſuſurrus aurium incommoda deliria intercurrunt; ſomnus fere nullus deprehenditur; vel etiam affectus ſoporoſi quandoque provenire videntur.

V. Generatim febres iſtæ ad inflammationes corpori inducendas admodum pronæ ſunt: quibus concitatis, ſtatus ægrotantium longe periculoſior redditur.

VI. Sed earum quoque ſalutares ſolutiones conſequi ſolent vel per ſudores copioſos; vel per hæmorrhagias largas, eaſque in ſpecie, quæ ſanguinis effluxu e naribus abſolvuntur; vel etiam per abundantes urinæ admodum ſaturatæ excretiones.

VII. Longiſſimum denique tempus, quo febres continentes ad ſui decurſum uti ſolent, uno ſeptenario terminatur.

§. MCCCLXXXVI.

Conſtat porro ex obſervatis, febres continentes non niſi in corporibus plethoricis naſci, ubi ſequentes conditiones locum inveniunt.

I. Gravia nimirum pathemata animi; ingentis caloris ad corpus acceſſiones; abuſus ſpirituoſorum, vel cauſſarum aliarum, a quibus ſanguis ſupra modum commovetur, admiſſiones

II. Hæmorrhagiarum naturalium suppressiones, vel artificialium intermissiones.

III. Vigiliarum nimiæ ac frequentes protractiones; corporis valde calidi vehementes refrigerationes.

§. MCCCLXXXVII.

Febres continentes sub specie acutarum incedunt, ac pro sui caussa plethoram, eamque commotam & producentem stases ac obstructiones, agnoscunt (§§. 1337. 1338. 1371. 1385 & 1386.)

§. MCCCLXXXVIII.

Ex §. anteced. vocatis hic simul in subsidium iis, quæ jam prostant in capitibus generalibus de plethora, congestionibus ac febre, haud difficulter intelligi poterunt rationes eorum, quæ in historia febrium continentium proponuntur (§. 1385.)

§. MCCCLXXXIX.

Signa pathognomica sufficientia febrium continentium in genere cognoscuntur ex illarum definitione (§. 1337.), ad casum recte applicata, nec non ex pulsus magni ad celerem ac frequentem accessione (§. 1385. *numer.* 3.); tandemque etiam ex tempore & modo, quo hic fieri solent invasiones febriles (§. 1385. *numer.* 1.)

§. MCCCXC.

Sed ad prognosin in eodem febrium genere quod spectat; tunc hic quoque valebunt ea, quæ in §. 1384. traduntur; iisdem insuper accedentibus illis momentis, quæ ad §. 1385. *num.* 5 & 6. enarrantur.

CAPUT CXIX.

DE FEBRE CONTINENTE PER EMINENTIAM TALI.

§. MCCCXCI.

FEbris *continens per eminentiam talis* vocatur illa febris continentis species, quæ ad plenarium sui decursum uno septenario utitur.

§. MCCCXCII.

Sequentia momenta ex observationibus notanda erunt, quæ ad hanc febris speciem pertinent.

I. Symptomata, quæ in genere omnibus febribus continentibus competunt (§. 1385.), hic in eminentiore gradu fiunt conspicua; ad quæ insuper accedere videntur nimiæ circa respirationem angustiæ, una cum pectoris oppletionibus & suffocandi metu.

II. Die quarto, tamquam indicatorio, signa apparent imminentis hæmorrhagiæ narium, quæ etiam mox subsequitur, iterum reditura die septimo, ceu critico; nisi eadem ab incongruis caussis hic concurrentibus impediatur.

II. Prodire tunc etiam solet incommodus quidam pruritus sub cute.

IV. Febris hujus solutio salutaris die septimo contingere solet, & quidem eodem modo, qui jam indicatus est ad §. 1385. *num.* 6.

V. Homines ætatis consistentis & decrescentis huic febris speciei præ aliis obtemperare coguntur; sub earum nempe conditionum accessionibus, quæ exponuntur ad §. 1386.

§. MCCCXCIII.

Corporibus ætatis consistentis vel decrescentis fibræ competunt magis densæ. Hinc etiam non deerunt ibidem difficultates tam ratione diaphoresis, quam profluvii sanguinei; utpote quo excretionum genere imprimis opus est ad febris hujus salutarem solutionem (§. anteced.) Ex quo jam cognoscere licebit rationem, quare febris ista symptomatibus longe acerbioribus stipata incedere, atque ad sui decursum plus temporis, quam aliæ febrium species, sub eodem quoque genere contentæ (ut mox ex subsequentibus patebit), ad sui decursum requirere soleat (§. citat.)?

§. MCCCXCIV.

Febris continentis in specie talis signa pathognomica sufficientia redibunt ad ea, quæ jam exposita prostant in §. 1389. iisdem insuper accedente gravitate symptomatum febris continentis in genere, eaque magis deprehensa in corporibus ætatis consistentis vel decrescentis (§§. 1392 & 1393.)

§. MCCCXCV.

Prognosis vero in eadem febris specie ab illis quoque principiis petenda erit, quæ in §§. 1390 & 1393. indicantur.

CAPUT CXX.

DE FEBRE EPHEMERA SIMPLICE SEU DIARIA.

§. MCCCXCVI.

Febris ephemera simplex dicitur illa febris continentis species, quæ intra viginti quatuor horas decursum suum absolvit.

§. MCCCXCVII.

Docent observationes, descriptis quidem symptomatibus (§. 1385.), sed paulo levioribus incedere diariam simplicem; eamque maxime familiarem esse junioribus, in quibus vero conditiones obtinent supra propositæ [§§. 1386 & 1387.]

§. MCCCXCVIII.

Quoniam in corporibus junioribus, ob majorem fibrarum laxitatem, febrium continentium salutaris solutio [§. 1385.] facilius consequi potest, quam in adultioribus; neque ideo obscura erit ratio, quare nimirum febres istæ tam leves, tamque bre-

vis decursus in junioribus esse deprehendantur [§§. 1396 & 1497.]?

§. MCCCXCIX.

Febris ephemerae simplicis signa pathognomica sufficientia constare poterunt ex §§. 1389. 1397 & 1398.

§. MCCCC.

Conditionem vero signorum prognosticorum in eadem febre tibi satis jam poterunt indicare prolata in §§. 1390. 1397 & 1398.

CAPUT CXXI.

DE

FEBRE EPHEMERA PLURIUM DIERUM.

§. MCCCCI.

Febris *ephemera plurium dierum* appellatur illa febris continentis species, quae quidem brevioris decursus est, quam febris continens per eminentiam talis [§. 1391.], longioris vero, quam ephemera simplex [§. 1396.]

§. MCCCCII.

Longissima febris hujus duratio sese ad diem quartum vel quintum extendere observatur. Idem etiam hominum genus huic febri obnoxium fieri

deprehenditur, quod ab ephemera ſimplice corripi ſolet [§. 1397.]; hic tamen paulo validius agentibus illis cauſſis, quibus in genere originem ſuam debent febres continentes [§§. 1386 & 1387.]

§. MCCCCIII.

Sub enarratis in §. anteced. conditionibus neceſſe erit, ut ſuborta febris continens ſe quidem mitius gerat, ac citius decurrat ſynocho in ſpecie tali; acerbior tamen fiat ac longior ephemera ſimplice (§§. 1393 & 1398.)

§. MCCCCIV.

De ſignis pathognomicis ſufficientibus in febre ephemera plurium dierum certus fieri poteris per ea, quæ traduntur in §§. 1389. 1401 - 1402.

§. MCCCCV.

Satis etiam te edocere valebunt de prognoſis in eadem febris ſpecie fundamentis propoſita ad §§. 1390. 1402 & 1403.

CAPUT CXXII.

DE
FEBRIBUS CONTINUIS IN GENERE.

§. MCCCCVI.

QUod ad hoc febrium genus (§. 1337.) attinet: observantur ibidem satis conspicua fieri phænomena sequentia.

I. Accessio febrilis fit cum frigoris aut horroris sensu, perseverante vix longius, quam ad dimidiam horam.

II. Sequitur tum æstus, hunc excipit diaphoresis, & febris ipsa aliquantum mitescere videtur.

III. Hæc remissio a febre non numquam ad aliquot horas protrahitur, & satis notabilis est; non numquam vero durationis admodum brevis est, nec adeo conspicua fit.

IV. Ejusmodi remissiones a febre hujus jam exacerbationes sequuntur. Ordinarie id contingere solet circa illud tempus, quo prima invasio febrilis facta erat.

V. Post diem quartum paroxysmi febriles antecedentibus leviores fieri solent.

VI. Durante frigore vel horrore febrili, majoris cujusdam doloris aut gravitatis sensus in certa parte corporis prodit.

VII. Febres continuæ speciem morborum mox acutorum, mox chronicorum præ se ferunt. Priores intra duo aut tria septenaria plerumque decurrunt, ac raro esse solent longioris extensionis: posteriores vero secus se habere videntur ratione solutionis suæ.

VIII. Pronissimæ tandem febres istæ sunt ad producendas in visceribus læsiones, immo productas magis augendas.

§. MCCCCVII.

Sub invasione febrium continuarum ad certa loca corporis provenire observantur incommoda quædam doloris aut gravitatis sat sensilia (§. anteced. *numer.* 6.) Videtur adeoque caussa febrilis istas partes corporis febrientis magis occupare (§§. 176 & 237.)

Clariora hæc fient ex capitibus sequentibus, in quibus jam species febrium continuarum pertractabuntur. Unde etiam uberius constabit de modo, forma ac tempore solutionum, in hoc febrium genere contingentium; nec non de caussarum conditionibus; quum hic ea sufficere videantur, quæ de eodem argumento jam dicta sunt in capite de febribus in genere.

§. MCCCCVIII.

Signorum pathognomicorum sufficientium cognitionem in febribus continuis in genere ab earum definitione (§. 1337.) facile derivare licebit; habita insuper ratione illius momenti, quod indicatur ad §. 1406. *numer.* 1.

§. MCCCCIX.

Ratione vero prognosis in eodem febrium genere notari merentur sequentia.

I. Quo longioris durationis fieri videntur remissiones febriles; eo felicioris exitus erunt febres continuæ.

II. Hic etiam omni attentione dignum esse debet illud momentum, quod exhibetur ad §. 1405. *numer.* 8.

III. Neque tandem hoc loco prætervidenda erunt illa fundamenta, quæ exponuntur ad §. 1384.

CAPUT CXXIII.

DE FEBRIBUS INFLAMMATORIIS GENERATIM.

§. MCCCCX.

F*Ebris inflammatoria* est febris continua, acuta, quatenus connexa cum inflammatione.

Febres inflammatoriæ dici quoque solent *secundariæ*, vel *symptomaticæ*, quia ab inflammatione, tamquam morbo alio, dependent, consequenter ejus symptoma (§. 32. *proleg.*) esse debent. Nonne vero idem nominis genus simili jure ad alias quoque febrium species transferre licebit? Quod fieri posse, patet in genere ex §. 1371. collato cum §§. 100 & 174.

§. MCCCCXI.

Quoniam febris inflammatoria originem suam debet inflammationi (§. 1410.); atque hæc stases ac obstructiones in vasis sanguineis, vel etiam sanguinis e suis vasis copiosiores egressiones ad cellulosam supponit (§. 408.); sequitur, fieri posse, ut caussis istis in una atque altera parte corporis humani productis, ibidem quoque producatur inflammatio, febrem ejusdem nominis accensura.

§. MCCCCXII.

Ex §. anteced. patebit jam ratio illorum casuum, in quibus febres inflammatorias frequenter obortas fuisse, observationes docuerunt. Quorsum exempli loco pertinebunt permultæ aliæ febrium species; plethora, homorum spissitudo, cacochymia, varia solutionum continui genera; præcipue sub earum caussarum accessionibus, quæ orgasmos humorum producere valent.

§. MCCCCXIII.

Febris inflammatoria in genere requirit inflammationem in una atque altera parte corporis humani obortam (§. 1410.) Hinc etiam necesse erit, ut ne in febre nunc modo dicta desiderentur inflammationis effectus. Qua de re notanda hic erunt ea, quæ jam supra in peculiari quodam capite de hoc argumento generatim prolata sunt.

§. MCCCCXIV.

Sequentia de febribus inflammatoriis in genere ex observationibus notare conveniet.

I. Exacerbationes ac remiſſiones febriles hic quidem pro more aliarum febrium continuarum eveniunt, ſolet tamen accidere, ut ſpaſmus periphericus, quo febres iſtæ invadunt, gradu differre videatur; præcipue in relatione ad earum ſpecies.

II. Dolorem illum ardentem & pulſum fortem, tamquam ſolita incommoda, quæ prodeunt ad loca corporis inflammata, magis increſcere videntur ægris, durante ſpaſmo peripherico.

III. Membris libero aëri expoſitis ægrotantes horrore quaſi percelluntur; iiſdem vero obtectis & ab aëris liberi acceſſionibus probe defenſis, æſtum ſibi quandoque intolerabilem perſentire videntur.

IV. Quo vehementiores hæ febres ſunt; eo majoris quoque gradus deliria in iiſdem prodire videntur.

V. Intra unum ſeptenarium plerumque decurrunt; aliæ adhuc citius, aliæ vero ſerius.

VI. Inflammationis differentes illas ſolutiones (§. 414.) in febribus inflammatoriis generatim ſequentem in modum cognoſcere licebit. Diſcuſſionem nempe polliceri ſolent ſudores, hæmorrhagiæ; nec non urinæ ſaturatæ excretiones copioſæ. Suppurationis vero aut ſcirrhi ortum indicabunt doloris ardentis ad loca inflammata corporis imminutiones, lento gradu pro-

cedentes, nec non febris ipsius longiores protractiones, ejusque tandem ex acuta in chronicam apparentes commutationes. Transitus denique in gangrænam & sphacelum, hinc eventus morbi funestus, ex eo satis constabit, quando doloris supra modum aucti in locis inflammatis perceptiones subito evanescunt, symptomata tamen febrilia, quæ pro sui caussa agnoscunt sanguinis circa cor ac encephalon coacervationes (§§. 1346 & 1355.), valdopere urgent.

§. MCCCCXV.

Differentia quorumcumque effectuum in febribus inflammatoriis generatim dependebit a magnitudine inflammationis; a conditionibus partium inflammatarum; a modo tandem diverso, quo solvitur inflammatio (§§. 1410 & 1413.)

§. MCCCCXVI.

Signa pathognomica sufficientia febris inflammatoriæ in genere componuntur ex signis inflammationis ac febris continuæ acutæ (§. 1410.); & facile cognoscuntur ex §§. 420 & 1408.

§. MCCCCXVII.

Similis hic quoque compositionis erunt signa prognostica (§. 1410.); eaque facili studio intelligenda ex §§. 421. 1409. 1414. *num.* 6. 1415.

CAPUT CXXIV.

DE

PHRENITIDE.

§. MCCCCXVIII.

PHrenitis est febris inflammatoria, connexa cum inflammatione meningum.

§. MCCCCXIX.

Ex obſervatis apparet, phrenitidem antecedere vigilias fere continuas, immo etiam affectus ſoporoſos; ſomnum inquietum, multiſque phantaſmatibus plenum; capitis ſtuporem aut dolorem; urinæ & alvi ſuppreſſiones; olivionem rerum paulo ante actarum.

§. MCCCCXX.

Sed ipſa jam febre phrenitica præſente, ſequentia prodire obſervantur ſymptomata.

I. Vaſa capitis valdopere turgent, & arteriarum circa tempora & collum eximiæ fiunt pulſationes.

II. In vultu ferociæ ac truculentiæ ſigna quædam conſpiciuntur.

III. Lingua arida & aſpera, quandoque etiam nigra fieri videtur.

IV. Non desunt deliria, eaque sæpius acutissima, dentium stridores; spasmus cynicus, risus sardonius, convulsiones.

V. Solutio morbi intra idem tempus, eoque modo, quo in genere fieri solet in febribus inflammatoriis [§. 1414.], hic quidem consequi poterit; non prætervidenda tamen erunt hoc loco momenta sequentia, quæ in specie ad phrenitidis solutionem pertinent. Hujus nominis erunt hæmorrhagiæ narium; hæmorrhoides fluentes; sanguinis e genitalibus feminarum effluxus; diarrhoeæ: quippe quæ excretiones phrenitidis solutionem exoptatam promittunt. Transitus vero inflammationis in abscessum vel scirrhum, phreniticis indicabit affectus melancholicos aut maniacos, vel etiam apoplecticos imminere, quibus tandem perire coguntur.

§. MCCCCXXI.

Sanguine ad partem aliquam nimis congesto, necesse erit, ut vasa ibidem distendantur, distensa partim comprimant alia, partim reddantur ipsa debilia; oriantur ideoque caussæ, a quibus stases, obstructiones & congestionum augmenta in iisdem locis corporis produci poterunt [§§. 100. 174 & 176.] Tunc igitur fieri poterit, ut ibidem inflammatio generetur [§. 408.], initio ambitus quidem exigui, deinceps vero majoris extensionis [§. 409.] Unde jam satis constabit, quod a validis congestionibus sanguinis ad encephalon phrenitis accendi possit [§. 1418.]

§. MCCCCXXII.

§. MCCCCXXII.

Patebit jam ratio illorum casuum, quibus phrenitidem supervenisse observationes multoties docuerunt (§. anteced.) Quorsum exempli gratia spectant febres aliæ acutæ; nimiæ sanguinis in corporibus plethoricis exagitationes; læsiones capitis; atque aliarum caussarum ad corpus admissiones, a quibus graves sanguinis congestiones caput versus proficiscuntur.

§. MCCCCXXIII.

Ob qualitatem locorum corporis, quibus in phrenitide inflammatio adhæret (§. 1418.), febris ista admodum gravibus sanguinis congestionibus ad caput stipata erit. Intelligendæ hinc jam erunt rationes eorum phænomenorum, quæ in hujus febris historia recensentur (§§. 1419 & 1420.)

§. MCCCCXXIV.

Phrenitidis signa pathognomica sufficientia constabunt ex signis febris inflammatoriæ in genere (§. 1416.), & phænomenis illis in ægrotante simul deprehensis, quæ febris hujus historia in se continet (§§. 1419 & 1420.); e quibus præcipue notari merentur productiones vasorum turgidorum ad tempora & subsultus arteriarum ibidem æque, ac circa collum sitarum.

§. MCCCCXXV.

Prognosi vero in eadem febre satis respondere poterunt principia, quæ ad §. 1417. jam exstant; considerato hic simul momento illo, quod enarratur ad §. 1420. *numer.* 5.

CAPUT CXXV.

DE ANGINA VERA.

§. MCCCCXXVI.

ANgina *vera* dicitur ea febris inflammatoriæ species, quæ connexa est cum inflammatione laryngis, pharyngis, vel aliarum iisdem vicinarum partium intra fauces contentarum.

§. MCCCCXXVII.

In angina vera, teste observatione, sequentia prodire solent symptomata.

I. Dolor ardens in faucibus, tandemque plenaria impotentia deglutiendi.

II. Faciei insolitus rubor ac inflatio.

III. Vasa quoque circa tempora turgescere, immo sæpius ophthalmiæ indicia admodum conspicua fieri videntur.

IV. Raucitas, non numquam etiam vocis clangores.

V. Tantæ ſæpius difficultates circa reſpirationem; ut ſuffocandi periculum immineat.

VI. Convulſiones haud infrequentes, nec rara deliria, eaque ſat gravia.

VII. Solutio morbi intra unum ſeptenarium, & quidem more huic febrium generi conſueto (§. 1414.) plerumque fieri ſolet. Quibus inſuper addenda erunt, tamquam ſpecialia; ſputum cruentum, narium hæmorrhagiæ, hæmorrhoidum fluxus in feminis excretiones ſanguinis è genitalibus; utpote quo excretionum genere inflammationis diſcuſſio hic perfici ſolet. Obortum hic vero abſceſſum, vel ſcirrhum ſequi haud raro ſolent ulcera peſſimæ indolis.

§. MCCCCXXVIII.

Factis gravibus ſanguinis congeſtionibus ad ea loca corporis, quæ inflammantur in anginæ affectu (§. 1426.); neceſſaria quoque ibidem erit inflammatio ſatis vehemens, & quidem ob ſimiles rationes, quæ adducuntur in §. 1421. A cauſſis itaque validas congeſtiones ſanguinis producentibus circa laryngem, pharyngem, vel etiam partes alias iiſdem vicinas, contentas tamen intra fauces, anginæ veræ ortum derivare licebit (§. 1426.)

§. MCCCCXXIX.

Exinde jam intelligi poterit (§. anteced.), quare nimirum obſervationes multoties docuerint, hanc febrem acceſſiſſe morbis catarrhalibus, morbis pul-

monum, iisque præcipue, qui gravibus humorum congestionibus, ibidem factis, ortum suum debent; colli etiam luxationibus; tandemque faucium variis læsionibus; nec non illarum irritationibus multiplicibus, modo per clamores, modo per corporum rodentium ad easdem admissiones, vel quacumque alia ratione factis?

§. MCCCCXXX.

Cognitis earum partium, quæ in hac febre inflammantur (§. 1426.), conditionibus, una cum inflammationis magnitudine ac modo, quo illa solvitur; haud difficulter intelligere licebit rationes eorum phænomenorum, quæ in historia anginæ veræ enarrantur (§. 1427.)

§. MCCCCXXXI.

Anginæ veræ signa pathognomica sufficientia esse poterunt ea, quæ generatim febri inflammatoriæ (§. 1416.) competunt; his insuper accedente doloris ardentis in faucibus perceptione (§. 1427. *numer.* 1.)

§. MCCCCXXXII.

Ad prognosin vero in eadem febre cognoscendam sufficient principia, quæ exponuntur ad (§§. 1417 & 1427. *numer.* 7.)

CAPUT CXXVI.

DE PERIPNEUMONIA.

§. MCCCCXXXIII.

PEripneumonia est febris inflammatoria, connexa cum inflammatione pulmonum.

§. MCCCCXXXIV.

Præter communia cum aliis febribus inflammatoriis symptomata (§. 1414.), sequentia insuper adesse in ista febre deprehenduntur.

I. Vertiginis incommoda, dolores capitis.

II. Insignes anxietates circa præcordia.

III. Respiratio continuo dolorifica & tussica.

IV. Hisce sæpius accedere solent deliria.

V. Plerumque contingere solet, ut febris ista intra unum septenarium solvatur; idque modo aliis febribus inflammatoriis sollemni. In specie hic notari merentur sputa cruenta, quæ circa diem quartum inchoari & diebus sequentibus continuari solent; & quidem eo cum effectu, ut, rejectionibus istis sanguineis tussiendo magis promotis, dolores in pectore imminui ac inflammationis discussæ phænomena magis prodire videantur.

§. MCCCCXXXV.

Sequentis conditionis homines peripneumoniæ obnoxii fieri obſervantur.

I. Qui in aëre humido, frigido, calido & ſicco magis verſantur.

II. Qui violentas pectoris concuſſiones admittunt.

III. Qui reniſus validos ſub oneribus geſtandis adhibent.

IV. Qui ſævientibus ventis validos corporis motus exercent.

V. Quibus graviſſimæ vexationes ab angina oboriuntur.

V. Quibus chylus admodum viſcidus ſecernitur.

VII. Quibus tandem morbi alii pulmonum oboriuntur.

§. MCCCCXXXVI.

Sub conditionibus, in §. anteced. enarratis, peripneumoniæ ortus fieri poterit; hic præcipue concurrentibus illis conditionibus corporis, ſub quibus generatim febris inflammatoria accendi ſolet (§§. 1411. 1412 & 1433.)

§. MCCCCXXXVII.

Inflammatione in peripneumonicis ſoluta per ſcirrhum vel abſceſſum, oriuntur tophi vel vomi-

cæ pulmonum (§§. 290 & 291.) Tunc igitur horum morborum chronicorum, qui in casu nunc modo proposito ortum suum debent præcedenti morbo acuto, effectus considerare conveniet, jam supra explicatos in peculiaribus capitibus.

§. MCCCCXXXVIII.

Quia in peripneumonia inflammatio pulmones occupat [§. 1433.]; ideoque impedimenta hic adsunt, quo minus libere transeat sanguis per istud viscus, tamquam respirationis organon; hinc jam satis constare poterit de ratione necessaria respirationis dolorificæ & anxietatum circa præcordia in peripneumonicis [§. 1424. *numer.* 2. & 3.]

§. MCCCCXXXIX.

Peripneumoniæ signa pathognomica sufficientia cognoscuntur ex signis febris inflammatoriæ in genere [§. 1416.], nec non ex anxietatibus circa præcordia simul deprehensis, una cum dolore ardente, qui continuus est in pectore, atque etiam sub brevi respiratione ibidem ab ægrotante percipitur [§. anteced.]

§. MCCCCXL.

Ratione vero prognosis in febre peripneumonica; tunc huic scopo satis inservire poterunt principia, quæ exstant ad [§§. 1417. 1424. *numer.* 5. & 1427.]

CAPUT CXXVII.

DE PLEURITIDE VERA.

§. MCCCCXLI.

P*Leuritis vera* eſt febris inflammatoria, connexa cum inflammatione in pleura.

§. MCCCCXLII.

Præter generalia febris inflammatoriæ ſymptomata [§. 1414.], ea inſuper in pleuritide vera prodire obſervantur.

I. Capitis dolores intenſioris gradus ſæpius adeſſe ſolent.

II. Dolor ille ardens, qui ad loca inflammata ſuboritur, primum ad mamillarum vicinitatem percipi, mox vero locum ſuum mutare videtur; facta ſui extenſione modo ſuperius, modo inferius.

§. MCCCCXLIII.

Febri pleuriticæ homines ſequentis indolis, ut obſervationes docent, obtemperare coguntur.

I. Quibus admodum validæ pectoris concuſſiones, aut cauſſæ variæ oboriuntur, quæ productioni gravium ſanguinis congeſtionum ad thoracem ſufficere poſſunt.

II. Quibus id contingit, ut frigoris admiſſiones fiant ad pectus valdopere calens.

III. Citioris efficaciæ ſolent jam eſſe nunc modo annotata momenta, ſub acceſſione unius atque alterius conditionis, quæ febri inflammatoriæ generatim producendæ fauet [§§. 1411 & 1412.]

§. MCCCCXLIV.

A corporis humani conditionibus, in §. anteced. enarratis, derivare licebit ortum pleuritidis veræ (§. 1441.)

§. MCCCCXLV.

Quoniam inflammatio exigui ambitus ſe mox ad majus ſpatium extendere poteſt (§. 409.); hinc jam patebit ratio phænomeni, annotati ad §. 1441. *num.* 2.

§. MCCCCXLVI.

Partes inflammatæ dolent; quibus inſuper extenſis, cauſſæ doloris ibidem magis increſcent (§. 196.) Neceſſe ideoque erit, ut ſub ampla thoracis dilatatione pleuriticus majora augmenta doloris in pectore percipiat; e contraria parte ſe magis ab illo levatum fieri ſentiat ſub brevi reſpiratione.

§. MCCCCXLVII.

Signa pathognomica ſufficientia pleuritidis veræ eſſe poterunt ſigna febris inflammatoriæ in genere (§. 1416.), una cum doloris ardentis ad pectus exiſtentia, illiuſque levamine, ſub brevi reſpiratine percepto (§. anteced.)

§. MCCCCXLVIII.

Inveniendæ vero prognoſi in eadem febre ſatis erunt accommodata principia, quæ indicantur ad §. 1417.

CAPUT CXXVIII.

DE PARAPHRENITIDE.

§. MCCCCXLIX.

P*Araphrenitis* eſt febris inflammatoria, connexa cum inflammatione diaphragmatis.

§. MCCCCL.

Obſervationes docent, paraphrenitidi ſequentia ſymptomata magis eſſe propria.

I. Spaſmus periphericus, quo febris hujus invaſiones fiunt, tanti ſæpius eſſe ſolet gradus, ut frigus inde ſatis validum producatur.

II. Mox inſequitur æſtus ſupra modum auctus, cum delirio perquam acuto.

III. Ægrotantes de dolore ardente, quem ſub ſcrobiculo cordis & tranſverſim ad pectus percipiunt, adeo conqueruntur, ut eum vix perferri poſſe putent.

IV. Iſte dolor mirum in modum augetur ſub inſpiratione, tuſſi, ſternutatione, repletione ven-

triculi, vomitu, inteſtinorum diſtenſione, tandemque abdominis compreſſione.

V. Reſpiratio brevis eſt ac celer.

VI. Haud raro prodeunt vomitus & ſingultus.

VII. Reliqua hic etiam locum habent, quæ jam continentur in hiſtoria febrium inflammatoriarum in genere (§. 1414.) Quibus inſuper accedit momentum ſequens, quod in ſpecie ad paraphrenitidis ſolutionem referendum erit. Fieri nempe ſolet, ut in paraphreniticis vomitus oboriatur, quo materia puri ſimilis rejicitur, cum morbi levamine apparente.

§. MCCCCLI.

Huic febris inflammatoriæ ſpeciei ſubjici obſervantur homines, quibus, præter generales illas conditiones (§§. 1411 & 1412.), oboriuntur cauſſarum violentarum admiſſiones ad eam partem, quæ in paraphrenitide afficitur; aut quibus inflammationes ad ventriculum & hepar eveniunt.

§. MCCCCLII.

Sub conditionibus, in §. anteced. deſcriptis, paraphrenitis facile oriri poterit; ſed & in vicem verſam ab eadem febre originem quandoque ducere licebit inflammationis in ventriculo & hepate (§§. 409 & 1449.)

§. MCCCCLIII.

Paraphrenitis adeoque pertinebit ad morbos opinione vulgari frequentiores (§. anteced.)

§. MCCCCLIV.

Ob incrementa caussarum doloris, quæ ad partem inflammatam ex ejus compressione aut distensione accedunt; ipsius quoque doloris exacerbationes necessariæ erunt. Hinc jam patebit ratio phænomeni, quod indicatur ad §. 1450. *num.* 4.

§. MCCCCLV.

Quum etiam evitare soleamus ea, quæ nobis dolorem magis exacerbare videntur; cognoscere inde licebit rationem, cur respiratio brebis & celer esse observetur in paraphreniticis (§. 1450. *numer.* 5.)?

§. MCCCCLVI.

Posita inflammatione in diaphragmate ad illam præcipue partem, quam penetrat œsophagus; fieri poterit, ut singultus caussis (§. 298.) eæ insuper accedant, quæ vomitum producere valebunt (§. 308.) Unde jam ortus phænomenorum, annotatorum ad §. 1450. *numer.* 6.

§. MCCCCLVII.

Paraphrenitidis signa pathognomica sufficientia esse poterunt signa febris inflammatoriæ in genere [§. 1416.], una cum dolore ardente ad loca diaphragmatis percepto [§. 1449.], eodemque magis aucto sub inspiratione, tussi, aut compressione abdominis [§. 1450. *numer.* 4.]

§. MCCCCLVIII.

Cognitioni vero prognosis in eadem febris inflammatoriæ specie sufficient jam exposita ad §§. 1417 & 1450. *numer.* 7.

CAPUT CXXIX.

DE HEPATITIDE.

§. MCCCCLIX.

H*Epatitis* vocatur ea febris inflammatoriæ species, quæ connectitur cum inflammatione hepatis.

§. MCCCCLX.

Docent observationes, hanc febrem sequentibus symptomatibus incedere.

I. Invasio febrilis quandoque fit cum frigoris validi sensu.

II. Sequitur deinceps æstus vehementissimus.

III. Neque deficiunt mentis alienationes, quandoque satis notabiles.

IV. Ægrotantes dolorem ardentem in hypochondrio dextro, circa costam septimam vel octavam persentiunt, magis exacerbatum sub inspiratione, tussi, vel repletione ventriculi.

V. Quandoque nausea & vomitus biliosi proveniunt.

VI. Ægrotantium adſpectus ſæpius ictericus eſſe videtur.

VII. Haud raro cum hepatitide aliorum quoque viſcerum inflammationes conſpirant.

VIII. Inflammationis ſolutionem per modum diſcuſſionis hic ſæpius afferre ſolent hæmorrhoïdes fluentes, vel in feminis excretiones ſanguinis ex utero.

IX. Præter hæc vero notanda hic quoque erunt reliqua momenta, deſcripta in generali febrium inflammatoriarum hiſtoria [§. 1414.]

§. MCCCCLXI.

Ex obſervationibus conſtitit, hepatitidem facile oboriri hypochondriacis ac hyſtericis, eamdemque inſequi infarctum vel ſcirrhum hepatis, nec non cauſſas externas violentas varii generis, admiſſas ad hypochondrium dextrum; præcipue hic accedentibus corporis conditionibus, ſub quibus in genere febris inflammatoria produci ſolet [§§. 1411 & 1412.]

§. MCCCCLXII.

Deſcriptæ in §. anteced. conditiones corporis apprime reſpondent ortui hepatitidis [§. 1459.]

§. MCCCCLXIII.

Inflammatione magis oborta ad hepatis partem concavam, aut circa veſicam felleam, vel poros biliarios; fieri tunc poterit, ut ventriculus ad ſui extremitatem dextram & marginem anteriorem ma-

gis comprimatur; bilis cystica copiosius in intestinum duodenum effundatur; ad poros vero biliarios majores accedant compressiones. Unde nausea, vomitus, icterus [§. 308 & 346.] Quare jam satis constare poterit de ratione phænomenorum, indicatorum ad §. 1460. *numer.* 5 & 6.

§. MCCCCLXIV.

Vena portarum sanguinem suum in hepar revehit, non destituta nexu cum vasis aliorum viscerum abdominis. Cognosci ideoque poterit inflammationis in aliis visceribus abdominalibus ex hepatitide ortus [§. 1460. *numer.* 7.]

§. MCCCCLXV.

Ob similes rationes, quæ exponuntur in §. 1454. necesse erit, ut doloris exacerbationes ad hypochondrium dextrum in hepatiticis sub inspiratione, tussi, aut repletione ventriculi proveniant [§§. 1459 & 1460. *numer.* 4.]

§. MCCCCLXVI.

Signa pathognomica sufficientia hepatitidis redibunt ad signa febris inflammatoriæ in genere [§. 1416.], & dolorem ardentem circa costam septimam vel octavam hypochondrii dextri, magis exacerbatum sub inspiratione [§. 1460. *num.* 4.]; his non numquam accedente colore icterico ægrotantium ex hac febre [§. 1460. *numer.* 6.]

§. MCCCCLXVII.

Ad prognosin vero in eadem febre cognoscendam satis te juvare poterunt ea, quæ significantur ad §§. 1417. 1460. *numer.* 7. & 8.

CAPUT CXXX.

DE SPLENITIDE.

§. MCCCCLXVIII.

S*Plenitis* est febris inflammatoria, cum inflammatione lienis connexa.

§. MCCCCLXIX.

In hac febris specie provenire deprehenduntur symptomata sequentia.

I. Invasio febris plerumque fieri solet cum frigoris sensu satis conspicuo.

II. Æstus subsequens non adeo insignis gradus videtur esse.

III. Non numquam deliria interveniunt, sed parvi momenti.

IV. De dolore ardente in locis hypochondrii sinistri conqueruntur ægrotantes; eoque magis aucto sub inspiratione, aut ventriculi vel intestinorum distensione.

V. Vomitus cruentus, hæmorrhoidum fluxus, nec non in feminis sanguinis excretiones e genitalibus

talibus hic suboriri solent; idque cum eventu febris salutari.

VI. Sed ea hic quoque valebunt, quæ jam de febre inflammatoria generatim annotata sunt §. 1414.).

§. MCCCCLXX.

Splenitidi obnoxium fieri observatur illud hominum genus, quod, præter generales illas conditiones (§§. 1411 & 1412.), caussas varias ad se admittit, a quibus hypochondrium sinistrum contunditur, comprimitur, constringitur, imo etiam valdopere relaxatur; quod lienis infarctum aut scirrhum fovet; nec non a passionibus hypochondriacis ac hystericis vexatur.

§. MCCCCLXXI.

Recensitæ in §. anteced. conditiones corporis fatis erunt accommodatæ ortui splenitidis (§. 1468.)

§. MCCCCLXXII.

Signa pathognomica sufficientia splenitidis erunt signa febris inflammatoriæ in genere [§. 1416.], nec non dolor ardens, isque sub inspiratione magis exacerbatus, quem ad hypochondrium sinistrum percipiunt ægrotantes ex ista febre [§. 1469. *numer. IV.*].

§. MCCCCLXXIII.

Sed hic etiam facile inveniri poterit prognosis; iis nempe principiis ad casum præsentem recte applicatis, quæ exhibentur in §§. 1417 & 1469. *numer.* 5.

CAPUT CXXXI.
DE NEPHRITIDE.

§. MCCCCLXXIV.

Nephritis est febris inflammatoria, connexa cum inflammatione renum.

§. MCCCCLXV.

Hæc species febris inflammatoriæ, ut observationes testantur, præter communia cum aliis ejusdem generis febrium speciebus symptomata [§. 1414.], sequentem habet conditionem.

I. Levis quidem horror est, quo invasio febrilis fit, eum tamen excipere solet æstus satis molestus.

II. Conqueruntur ægrotantes de dolore ardente ad regionem lumbarem.

III. Prodire hic etiam solent varia incommoda circa ventriculum ac intestina; neque minus spasmus Paracelsi fixus, malum ischiadicum, lumbago, ischuria, dysuria, stranguria.

IV. Mictus cruentus non numquam ſuboritur, tamquam excretio accommodata, inflammationi in renibus diſcutiendæ. Quod ſi vero ea magis in abſceſſum tranſiiſſe videatur, tunc calculi ibidem prodire ſolent.

V. Ea tandem momenta hic quoque conſideranda erunt, quæ generatim expoſita ſunt in febrium inflammatoriarum deſcriptione [§. 1414.].

§. MCCCCLXXVI.

Docent porro obſervationes, quod nephritidi ubjici ſoleant ea hominum corpora, quibus, præ- er conditiones ad febrem inflammatoriam generatim roducendam idoneas [§§. 1311 & 1312.], equentium una atque altera attribui poteſt. Quorſum empe pertinebunt incommoda ſpaſtica ab hæmor- hoidibus & calculis renum: abuſus Veneris & diu- eticorum; cauſſarum diverſarum externarum, quæ iolenter agunt, ad regionem lumbarem admiſſio- es; in maribus gonorrhoeæ præſertim malignæ, onga duratio ac vehementia; in feminis vero fluo- is albi, imprimis maligni, pertinacia, nec non atameniorum ataxia.

§. MCCCCLXXVII.

Ab enarratis in §. anteced. ſubjectorum deter- minationibus deducere licebit nephritidem [§. 1474.].

§. MCCCCLXXVIII.

Habita ratione ſitus, quem renes habent, & exus, qui inter eos atque alias partes intercedit;

intelligi tunc facile poterit ortus illorum ſymptomatum, quæ in nephritide prodire ſolent, atque indicantur ad §. 1475. *numer. III.*

§. MCCCCLXXIX.

Nephritidis ſigna pathognomica ſufficientia conſtabunt ex ſignis febris inflammatoriæ in genere (§. 1416.), & doloris ardentis circa regionem lumbarem perceptione (§. 1475. *numer. II.*).

§. MCCCCLXXX.

De ſignorum vero prognoſticorum in eadem febre rationibus conſtare poterit ex §§. 1417 & 1475. *numer. IV.*

CAPUT CXXXII.

DE

FEBRE INFLAMMATORIA UTERINA.

§. MCCCCLXXXI.

F*ebris inflammatoria uterina* dicitur ea ſpecies febris inflammatoriæ quæ connexa eſt cum uteri inflammatione.

§. MCCCCLXXXII.

In hac febre ſequentia obſervare licet ſymptomata.

I. Ad frigoris uſque productionem ſpaſmus periphericus ſub febris invaſione comparet.

II. Sequitur deinde æſtus, iſque vehementiſſimus; una cum deliriis ſatis conſpicuis.

III. Ægra conqueritur de dolore ardente, quem vel in inguine, vel circa internam oſſis ſacri ſuperficiem percipit.

IV. Quandoque hic adſunt obſtructiones alvi, dolores inteſtinorum, dyſuria, ſtranguria, iſchuria.

V. Anxietates præcordiorum, cardialgia, malum iſchiadicum, ſpaſmus Paracelſi fixus, lumbago, atque alia ſpaſmorum incommoda ægram non parum torquent.

VI. Quibus haud raro accedere ſolet temporibus noſtris purpura.

VII. Hæmorrhoidum fluxus, vel ſanguinis ex utero excretiones hic oboriri ſolent. in commodum inflammationis, per diſcuſſionem ſolvendæ.

VIII. Sed & reliqua momenta hic locum habebunt ſuum, quæ de febribus inflammatoriis generatim annotata proſtant ad §. 1414.

§. MCCCCLXXXIII.

Incidere in hanc febrem obſervantur feminæ ſequentis indolis.

I. Quæ quidem admodum ſalaces ſunt, Veneris tamen uſu carere coguntur.

II. Quæ ſuppreſſione fluxus menſtrui laborant.

III. Quæ fluore albo, præcipue maligno, inquinantur.

IV. Imprimis puerperæ, quibus fluxus lochialis non rite succedit; vel quæ partum valde difficilem expertæ erant; aut quibus etiam abortus perpetiendus erat.

V. Quæ aphrodisiacis, aut emmenagogis fortioribus abutuntur; vel quibus etiam caussæ aliæ externæ violentæ ad loca uterina admittuntur.

VI. Neque etiam prætervidenda hic erunt ea momenta, quæ jam proposita exhibentur in §§. 1411 & 1412.

§. MCCCCLXXXIV.

Fieri potest, ut propositis in §. anteced. feminarum conditionibus originem suam debeat febris inflammatoria uterina (§. 1481.).

§. MCCCCLXXXV.

Pro locorum inflammatorum in utero differentia, necesse erit, ut in hac febre doloris ardentis perceptiones modo circa inguen, modo circa internam ossis sacri superficiem, una cum symptomatibus diversis, proveniant (§. 1482. *numer.* 3. 5.)

§. MCCCCLXXXVI.

Ex §. 1483. apparet, fieri posse, ut in casibus febris inflammatoriæ uterinæ generetur in ut... materia putridæ indolis; cujus delatione facta ad massam humorum, hæc quoque corrumpa-

ur, atque eo modo febris maligna (§. 1339.) uboriatur. Exinde jam patebit generatim ratio phænomeni annotati ad §. 1482. *numer. VI.*

§. MCCCCLXXXVII.

Poterit etiam facile fieri, ut ex inflammatione uteri, soluta per abſceſſum vel ſcirrhum, oriantur ibidem ulcera peſſimæ indolis & cancro ſimilia (§§. 433. 443.)

§. MCCCCLXXXVIII.

Signa pathognomica ſufficientia febris inflammatoriæ uterinæ conſtabunt ex ſignis febris inflammatoriæ in genere (§. 1416.) nec non ex doloris ardentis ad loca uterina, quæ ad §. 1482. *numer.* 3. deſcribuntur, perceptionibus.

§. MCCCCLXXXIX.

Signis tandem prognoſticis, in eadem febre inveniendis, ſufficient prolata ad §§. 1417. 1482. *numer.* 6 & 7. 1486 & 1487.

CAPUT CXXXIII.

DE FEBRE INFLAMMATORIA EX INFLAMMATIONE VESICÆ ET URETERUM.

§. MCCCCXC.

F*Ebris inflammatoria vesicæ & ureterum* eſt illa febris inflammatoriæ ſpecies, quæ cum partium nunc modo dictarum inflammatione connectitur.

§. MCCCCXCI.

Hanc febris inflammatoriæ ſpeciem ſequentibus incedere ſymptomatibus, obſervationes teſtantur.

I. Atque hic ſæpius fieri ſolent invaſiones febriles cum tanto ſpaſmo peripherico, ut validi frigoris ſenſus prodeat.

II. Sequuntur deinde ſatis gravia incommoda æſtus.

III. Aegrotantes conqueruntur de dolore ardente ad pubem.

IV. Adſunt ſtranguria, dyſuria, iſchuria, teneſmus, alvi obſtructiones; una cum variis incommodis inteſtinorum ac ventriculi, ut colica, cardialgia, vomitu.

V. Solutio inflammationis per diſcuſſionem hic quandoque perficitur ope mictus cruenti, vel

hæmorrhoidum fluentium, vel excretionis sanguineæ ex utero.

VI. Conveniet præterea hoc etiam loco notare generalia febrium inflammatoriarum (§. 1414)

§. MCCCCXCII.

Præter descriptæ conditionis homines (§§ 1411 & 1412.), huic febri imprimis subjici observantur hæmorrhoidarii senes; ad mictum cruentum proclives; diureticis abutentes; nephritide calculosa, gonorrhœa maligna, aut fluore albo maligno laborantes.

MCCCCXCIII.

Sub conditionibus, in §. anteced. descriptis facile oriri poterit inflammatio in vesica & ureteribus; atque ideo febris ejusdem nominis (§. 1490.)

§. MCCCCXCIV.

Ex consideratione decente situs partium in hac febre inflammatarum (§. 1490.), earumque nexu cum aliis, satis intelligi poterunt rationes illorum symptomatum, quæ significantur ad §. 1491. *numer.* 4.

§. MCCCCXCV.

Ortæ febris inflammatoriæ ex vesicæ & ureterum inflammatione signa pathognomica sufficientia cognoscuntur ex deprehensis signis febris inflammatoriæ in genere (§. 1416.); iisdem simul junctis ad pubem doloris ardentis incommodis (§. 1491. *numer.*

3.), imo etiam ſymptomatibus illis, quæ deſcribuntur ad §. citat. *numer.* 4.

§. MCCCCXCVI.

Cognitionem vero ſignorum prognoſticorum ſufficientium in eadem febris inflammatoriæ ſpecie tibi ſuppeditare poterunt ea, quæ exſtant ad §§. 1416. 1491. *numer.* 5.

CAPUT CXXXIV.

DE FEBRE INFLAMMATORIA INTESTINALI.

§. MCCCCXCVII.

F*Ebris inflammatoria inteſtinalis* vocatur ea febris inflammatoriæ ſpecies, quæ cum inteſtinorum inflammatione connectitur.

§. MCCCCXCVIII.

Teſtantur obſervationes, in hac febre ſequentia prodire ſymptomata.

I. Aggreſſiones fieri ſolent cum ſpaſmo peripherico tanti gradus, ut hic non deficiant frigoris incommoda; ea mox inſequente æſtu acutiſſimo.

II. Doloris urentis in inteſtinis perceptiones, anguſtis prius terminis circumſcriptæ, mox amplius extenduntur.

III. Non desiderantur anxietates præcordiorum, obstructiones alvi, passio iliaca, cardialgia, vomitus, diarrhœa.

IV. Vix uno septenario ad sui decursum utitur, & solvi quandoque solet per diarrhœam modo cruentam, modo etiam purulentam.

V. Ea tandem notanda hic quoque erunt, quæ generatim exposita sunt in febrium inflammatoriarum historia (§. 1414.)

§. MCCCCXCIX.

Hanc febrem illis hominibus sæpius accidisse, observationes docuerunt, quorum corporibus conditiones sequentes, præter indicatas in §§. 1411 & 1412. attribuere licuit. Quorsum nempe spectabunt:

I. Venenorum ad ventriculum ac intestina delationes; purgantium drasticorum usus; contusiones atque aliæ caussæ externæ violentæ, ad intestina admissæ, vel aliarum ibidem contentarum materiarum.

II. Acrimonia bilis, aut succi, qui in intestinis secernitur, vel aliarum ibidem contentarum materiarum.

III. Alvi obstructiones, pertinacissimæ.

IV. Mesenterii obstructiones, vel spasmorum atrocia circa negotium hæmorrhoidale, vel menstruum.

§. MD.

Sub conditionibus, quæ in §. anteced. propo-

nuntur, inteſtinorum inflammatio, & per eam febris ejuſdem nominis oriri facile poterit [§. 1497.]

§. MDI.

Ratione illorum ſymptomatum, quæ ad §. 1498. *numer.* 3. enarrantur: ea facili ſtudio cognoſcere licebit ex inflammationis relatione ad inteſtina, tamquam partes, quibus cauſſa ineſt febris hujus [§. 1497.]

§. MDII.

Signa pathognomica ſufficientia in hac febre componuntur ex ſignis febris inflammatoriæ in genere [§. 1416.] nec non doloris ardentis in canali inteſtinorum perceptionibus [§. 1498. *numer* 2.]

§. MDIII.

Quod denique ad prognoſin in eadem febre attinet: huic etiam ſcopo ſufficere poterunt principia, quæ jam indicata exhibentur ad §§. 1417 & 1498. *numer.* 4.

CAPUT CXXXV.
DE
CAUSO.

§. MDIV.

CAusus & febris inflammatoria, connexa cum ventriculi inflammatione. Dicitur etiam *febris ardens per eminentiam talis.*

§. MDV.

Docent obſervationes, conditionem ſymptomatum, quæ in hac febris inflammatoriæ ſpecie provenire ſolent, ad momenta redire ſequentia.

I. Ne hic quidem ſpaſmi peripherici ille gradus deficit, ſub quo invaſio febrilis cum frigoris ſenſu fit.

II. Subſequitur æſtus intenſioris gradus, cum deliriis, quæ interveniunt, perquam acutis.

III. Conqueruntur ægrotantes de dolore, quem ſub ſcrobiculo cordis percipiunt, admodum urente ac pungente.

IV. Concurrunt cardialgia, ſingultus, ſitis inexſtinguibilis, vomitus, a quo doloris ſub ſcrobiculo cordis exacerbationes majores fieri videntur.

V. Quandoque etiam contingit, ut dolor ille ardens, ſub ſcrobiculo cordis tantum perceptus, ad œſophagum quoque tranſeat; angina producatur; lingua appareat aſpera, obſita furunculis, quos aphthas vocare ſolent.

VI. Neque insolitus hic esse deprehenditur inflammationis in ventriculo ad intestina transitus; quo facto, majora ad febrem accedunt augmenta, eaque tunc etiam symptomata fieri solent conspicua, quæ in historia febris inflammatoriæ intestinalis descripta prostant [§. 1498.]

VII. Brevissimi decursus hæc febris inflammatoriæ species est; utpote quæ vix unum septenarium superat, & pro more aliarum febrium inflammatoriarum solvi solet.

VIII. Hoc denique loco valorem quoque habebunt suum ea, quæ in generali febrium inflammatoriarum descriptione continentur [§. 1414.]

§. MDVI.

Ad eas porro conditiones corporis quod attinet, sub quibus hanc febris inflammatoriæ speciem provenisse, observationes commonstrarunt: præter ea, quæ in genere ad febrem inflammatoriam spectant [§§. 1411. & 1412.), sequentia in specie notanda erunt momenta.

I. Accessiones caussarum, quæ inflammationem in intestinis, una cum febre, quæ ideo oriri potest, producere valent(§§. 1499 & 1500.)

II. Bilis, aut aliarum varii generis materiarum acrium in ventriculo nimiæ coacervationes ac commorationes.

III. Febrium malignarum accessiones ad ventriculi cruditates.

§. MDVII.

Descriptæ in §. anteced. conditiones corporis sufficere poterunt, ad causi ortum inde derivandum (§. 1504.)

§. MDVIII.

Sedem inflammationis in causo suppeditat ventriculus [§. 1504.). Quod si itaque ad partis hujus affectæ situm & nexum, quo illa cum aliis gaudet; decenter respicias,: faciles tunc erunt tibi ad intelligendum rationes eorum phænomenorum, quæ in causo prodire observantur (§. 1505 *numer*. 3 - 6.]

§. MDIX.

Fieri quandoque poterit, ut vomitus salutarem causi solutionem promittat; tempestive factis per hanc excretionem rejectionibus vel sanguinis, vel puris, vel bilis, vel alius materiæ acris, in ventriculo hærentis (§§. 1506 & 1507.].

§. MDX.

Causi signa pathognomica sufficientia constabunt ex signis febris inflammatoriæ in genere [§. 1416.] nec non ex perceptionibus doloris ardentis, oborti prius sub scrobiculo cordis, deinceps vero ad œsophagum, vel intestinorum loca [§. 1505. *numer*. 3. 5. & 6.]

§. MDXI.

Prognosi tandem, in eadem febre inveniendæ, eorum principiorum, quæ commemorantur ad §§. 1417 & 1509. recta applicatio sufficiet.

CAPUT CXXXVI.

DE FEBRIBUS INFLAMMATORIIS EX OPHTHALMIA, OTALGIA, ET ODONTALGIA ORTIS.

§. MDXII.

A conditionibus partium, quibus inflammatio adhæret, proficiſcuntur febrium inflammatoriarum ſpecies [§. 1415.]; id quod etiam tot exempla probant, in peculiaribus capitibus hucuſque prolata. Supponit vero ophthalmia oculorum inflammationem [§. 354.]; neque dubitari poteſt, quin etiam à productionibus inflammationis ad aurem, vel circa dentium loca, dependeat otalgia, vel odontalgia [§. 358.]; vel ad eadem incommoda, licet ab aliis cauſſis proficiſci videantur, accedat tandem inflammatio [§. 1210.]. Fieri adeoque poterit, ut febres, in caſibus nunc modo dictis obortæ, inflammatoriarum in genere numerum ſubeant, earumque ſpecies quaſdam peculiares conſtituant; quæ ad analogiam græcam dici poſſent *ophthalmitis*, *otitis* & *odontitis*.

§. MDXIII.

Ex obſervationibus conſtitit; in hiſce febrium inflammatoriarum ſpeciebus præter illa, quæ cum reliquis communia ſunt [§. 1414.] ſequentia inſuper produci ſymptomata.

I. Hor-

I. Horrore magis vago invadere videntur febres istæ.

II. Æstus etiam, qui deinceps insequitur, volaticus esse apparet.

III. Adsunt sæpius cephalalgiæ sat graves, una cum deliriis intercurrentibus.

IV, Dolor ille ardens, tamquam inflammationibus proprius, pro ratione partis inflammatæ, modo in oculo, modo in aure, modo circa dentium loca percipitur.

§. MDXIV.

Deprehenduntur eædem febrium inflammatoriarum species illis oboriri, quibus, præter indicatas in §§. 1411 & 1412. conditiones corporis, accidere solent caussæ variæ, tam internæ, quam externæ, producentes humorum congestiones in partibus, quæ ab inflammatione in hisce febribus occupantur (§. 1512.) Quo insuper loco repetere conveniet ea, quæ de hoc argumento disputata jam prostant in peculiaribus capitibus de ophthalmia, otalgia ac odontalgia.

§. MDXV.

Fieri poterit, ut sub conditionibus, in §. anteced. propositis, oriantur species febrium inflammatoriarum supra dictæ (§. 1512.)

§. MDXVI.

Si in hisce febrium inflammatoriarum speciebus (§. 1512.) solutio inflammationis alio modo, quam

per discussionem, contigerit (§§. 414 & 1414.); facile tunc fieri poterit, ut ophthalmiam excipiat cæcitas (§§. 354 & 357.); otalgiam sequatur surditas (§§. 358 & 360); odontalgia tandem post se trahat cariem dentium, vel ulcera fistulosa in locis sibi vicinis (§§. 46. 47. 201 & 461.) Quod etiam cum observationibus probe convenit.

§. MDXVII.

Signa pathognomica sufficientia in hisce febrium inflammatoriarum speciebus (§. 1512.) reducere licebit ad signa febris inflammatoriæ in genere (§. 1416.); cum iisdem simul connexis perceptionibus doloris ardentis in illis partibus, quarum inflammationem nunc modo dictæ febres sibi vindicant (§§. 1512 & 1513. *numer.* 4.)

§. MDXVIII.

Ad prognosin denique in iisdem febrium inflammatoriarum speciebus sufficientia quoque erunt ea principia, quæ exhibentur in §§. 1417 & 1516.

CAPUT CXXXVII.

DE FEBRIBUS INFLAMMATORIIS CUM ERYSIPELATE ET PHLEGMONE CONNEXIS.

§. MDXIX.

Cum eryſipelate vel phlegmone (§. 221.) connexæ eſſe poterunt febres, quæ ſub inflammatoriarum genere, tamquam peculiares ſpecies, continebuntur (§§. 1410 & 1415.); prouti compluribus exemplis, quæ jam in ſingularibus capitibus, hactenus pertractatis, exſtant, idem quoque comprobatur. Solent iſtæ febrium inflammatoriarum ſpecies communiter quidem vocari *eryſipelaceæ* & *phlegmonodeæ*; quæ vero analogiæ Græcæ magis convenienter appellandæ forent *eryſipelaticæ* & *phlegmonicæ*.

§. MDXX.

Febris eryſipelaticæ aut phlegmonicæ ſymptomata, præter ea, quæ jam annotata continentur in generali febrium inflammatoriarum deſcriptione [§. 1414.], redibunt, ut obſervationes teſtantur, ad momenta ſequentia.

I. Horror vagus eſt, quocum invaſiones febriles hic fieri ſolent.

II. Æſtus, qui deinceps ſequitur, magis etiam volaticus eſſe deprehenditur.

III. Dolor in parte cutis affecta adest urens & pungens.

IV. Quandoque contingit, ut inflammatio magis tendat ad loca corporis interna, externis relictis, quæ prius occupaverat; quo facto, vita ægrotantium non mediocre discrimen subire videtur.

V. Inflammationem hic solutam per abscessum, vel scirrhum, sequi tandem solent ulcera pessimæ indolis.

§. MDXXI.

Quod porro ad eas conditiones corporis attinet, sub quibus nempe istas febrium inflammatoriarum species provenisse, observationes docuerunt; tunc ad ea momenta, quæ generatim exposita jam prostant in §§. 1411 & 1412. insuper accedunt casus vel imminentium, aut jam productorum exanthematum; vel etiam diversarum materiæ translationum, quæ in febribus malignis ad loca quædam externa corporis quandoque fieri solent.

§. MDXXII.

Ortui erysipelatis aut phlegmones [§. 221.], consequenter etiam febris, quæ inde nomen suum sortitur [§. 1519.], satis respondere poterunt enarratæ in §. anteced. conditiones corporis.

§. MDXXIII.

Signa pathognomica sufficientia febris erysipelaticæ aut phlegmonicæ [§. 1519.] conveniunt

cum ſignis febris inflammatoriæ generatim [§. 1416.]; inſimul facta ad eadem acceſſione doloris ardentis & pungentis in cute [§. 1520. *numer.* 3.]

§. MDXXIV.

De ſignis vero prognoſticis, hoc loco invenien-dis, ſatis quoque conſtare poterit ex §§. 1417 & 1520. *numer.* 4 & 5.

CAPUT CXXXVIII.

DE FEBRE VULNERARIA.

§. MDXXV.

F*Ebris vulneraria* dicitur ea febris inflammatoria, quæ connexa eſt cum partium vulneratarum inflammatione.

§. MDXXVI.

Non aliud itaque hominum genus febri vulnerariæ ſubjici poterit, quam cui vulnera oboriuntur [§. anteced.]

§. MDXXVII.

Ad naturam febris vulnerariæ eo penitius intelligendam, opus erit, ut ea, quæ jam in peculiari capite de vulneribus generatim propoſita exſtant, ſimul conſiderentur [§. anteced.]

§. MDXXVIII.

Sed quia febris vulneraria inflammatoriæ species est, quæ sui originem debet inflammationi, vulneribus supervenienti [§. 1525.]; neque hoc loco negligenda erunt ea, quæ in eo capite pertractata continentur, ubi sermo erat de febrium inflammatoriarum doctrina generali.

§. MDXXIX.

Ob differentiam igitur vulneris ac inflammationis, tam ratione partium, quæ inde afficiuntur, quam etiam ratione gradus, qui circa productum vulnus eidemque junctam inflammationem conspicuus fit; febrium quoque vulnerariarum casus inter se valdopere discrepabunt [§§. 1525-1528.]

§. MDXXX.

Ex §. anteced. simul etiam constabit, fieri posse, ut circa febres vulnerarias oboriantur casus, quos ad unam atque alteram speciem febrium inflammatoriarum, hucusque pertractatarum, facilioris intelligentiæ caussa, reducere licebit.

§. MDXXXI.

Febris vulnerariæ [§. 1525.] signa pathognomica sufficientia cognoscuntur in genere ex signis febris inflammatoriæ & vulneris [§§. 423 & 1416.]

§. MDXXXII.

Ad ſigna vero prognoſtica, in eadem febre intelligenda, ſatis quoque accommodata erunt illa principia, quæ indicantur in §§. 429. 1417 & 1530.

CAPUT CXXXIX.

DE FEBRE CHOLERICA SEU BILIOSA.

§. MDXXXIII.

FEbris *biliosa*, ſive *cholerica* vocatur febris continua, acuta, eaque connexa cum bilis ad ventriculum ac inteſtina delationibus & commorationibus nimiis.

§. MDXXXIV.

Docent obſervationes, hanc febrem ſequentibus ſymptomatibus ſtipatam incedere.

I. Invaſio febrilis cum horrore ſatis notabili fieri ſolet; ſub quo ſenſus quidam incommodus ad ventriculi ac inteſtinorum loca magis prodire ab ægrotantibus percipitur.

II. Æſtus deinde ſequitur, cum deliriis haud raro intervenientibus.

III. Adſunt anxietates præcordiorum, ſoda, cardialgia, colica, vomitus, diarrhœa.

IV. Sæpius etiam apparent icteri phænomena.

V. Neque infrequentes hic solent esse inflammationes in ventriculo ac intestinis; quibus subortis, provenient jam febrium inflammatoriarum species quædam, & status ægrotantium multo periculosior tunc fiet.

VI. Intra unum aut duo septenaria hæc febris plerumque decurrit, & solvi solet salutariter per bilis excretiones, factas modo per vomitum, modo per diarrhœam, modo per sudores, modo etiam per mictiones.

VII. Reliqua hic etiam transferantur ex historia febrium continuarum in genere [§. 1406.]

§. MDXXXV.

In hanc febrem illud hominum genus communiter incidere, observationes testantur, quod nimirum sensibile valde est, ac variis caussis patet, a quibus sanguinis exæstuationes produci solent; quod iracundas animi commotiones, præcipue sub pastu, aut etiam eo tempore admittit, quando in ventriculo ac intestinis copiosæ continentur massæ, quæ admodum facilis fermentationis sunt; quod denique passionibus hypochondriacis & hystericis, aut aliis similis conditionis incommodis obnoxium est.

§. MDXXXVI.

Conditionibus corporis, in §. anteced. descriptis, attribuere licebit ortum febris cholericæ [§. 1533.]

§. MDXXXVII.

Febris biliosæ symptomata (§. 1534.) intelligi poterunt; habita nimirum ratione partim eorum locorum corporis, quæ a bile imprimis occupantur; partim etiam acrimoniæ bilis ipsius, quæ ob fermentationis accessiones hoc loco majora augmenta capit (§§. 1533. & 1535.)

§. MDXXXVIII.

Signa pathognomica sufficientia febris cholericæ redibunt ad febris continuæ acutæ signa (§. 1408.); cum iisdem simul existentibus sodæ, saporis amaricantis, atque aliis incommodis, circa ventriculum ac intestina a bile productis (§§. 1533 & 1534. *numer.* 3-5.)

§. MXXXIX.

Signorum vero prognosticorum in eadem febre cognitioni satis inservire poterunt illorum principiorum, quæ significantur in §§. 1409. 1533. 1534. *numer.* 5 & 6. & 1537. accuratæ applicationes.

CAPUT CXL.

DE FEBRE CATARRHALI BENIGNA.

§. MDXL.

Febris catarrhalis benigna est febris continua, acuta, benigna, connexa cum catarrho (§. 347.)

§. MDXLI.

Docent observationes, huic febri sequentia symptomata magis esse propria.

I. Invasiones febriles circa tempus vespertinum fiunt, & quidem cum sensu frigoris ac tensionis ad membra & spinam dorsi.

II. Insequitur deinde æstus; hunc jam primo mane excipiunt remissiones a febre, durantes usque ad tempus vespertinum; quo iterum prodire solent exacerbationes febriles.

III. Non deficiunt hîc ea incommoda, quæ necessaria sunt, pro differente catarrhi specie (§. 347.); ac facile intelligi poterunt ex iis capitibus, ubi de hoc argumento supra disputatum erat.

IV. Quandoque etiam concurrunt impedimenta deglutitionis atque anginæ incommoda alia; una cum notabili febris incremento.

V. Urinæ ægrotantium ex hac febre mucum sibi innatantem exhibent.

VI. Sub quavis remiſſione febrili largiores excretiones ſudoris provenire ſolent, cum febris decremento ſubſequente.

VII. Sed & ſalutari ejuſdem febris ſolutioni reſpondent frequentes alvi dejectiones, nec non excretiones urinæ ſaturatæ.

VIII. Hæc ipſa febris plerumque decurrit intra duo ſeptenaria, imo etiam citius.

IX. Quo etiam loca par erit notare ea, quæ continentur in febrium continuarum deſcriptione generali (§. 1406.)

§. MDXLII.

Quoniam ad febris catarrhalis productionem catarrhus requiritur (§. 1540.); ſequitur, neceſſe omnino fore, ut ad febris hujus naturam recte cognoſcendam ratio habeatur eorum omnium, quæ jam in peculiaribus capitibus propoſita exſtant, in quibus nempe de catarrhi ſpeciebus actum erat. Quo etiam modo ſimul conſtabit tam de conditionibus corporis, quod huic febri obnoxium fieri poteſt, quam etiam de differentia caſuum, qui circa eamdem febris ſpeciem oboriri poſſunt.

§. MDXLIII.

In catarrho non deficiunt ad loca quædam peculiaria corporis ſeri coacervationes ac reſtagnationes (§. 347.) Unde facile patebit ratio, quare etiam in febre catarrhali provenire poſſint anginæ incommoda; iiſdemque productis febris ipſa augeri videatur; e contraria vero parte ſalutariter ſolvi

deprehendatur per evacuationes ſeri e corpore factas (§§. 1540. 1541. *numer.* 6 & 7.)?

§. MDXLIV.

Signa pathognomica ſufficientia febris catarrhalis benignæ conſtabunt ex ſignis febris continuæ, acutæ, benignæ; ex catarrhi phænomenis; tandem ex muco, qui urinæ innatat (§§. 1337. 1338. 1339. 1408. 1540 & 1541. *numer.* 5.)

§. MDXLV.

Ad prognoſin vero in eadem febre cognoſcendam ſufficere poterunt ea, quæ notata proſtant ad §§. 1409. 1541. *num.* 4. 6-8. 1543.

CAPUT CXLI.

DE

FEBRIBUS MALIGNIS IN GENERE.

§. MDXLVI.

DEprehenduntur quandoque febres continuæ, acutæ indolem morbi maligni præ ſe ferre; quæ ideo nomen *febrium malignarum* ſibi vindicabunt.

§. MDXLVII.

Teſtantur obſervationes, prodire in febribus magnis, præter jam annotata in §. 1406. phænomena ſequentia.

I. Non ita inſignis gradus ſpaſmus periphericus eſt, quo hic fieri ſolent invaſiones febriles. Nam præter horroris ac tenſionis ad membra ſenſum, vix conſtans aliquod ac validum frigus percipitur; niſi adfuerint ſimul morbi viſcerum, aut partium internarum inflammationes.

II. Horrorem excipit æſtus, iſque ſatis moderatus.

III. Jam ante horroris adventum anxietates præcordiorum adſunt, quæ vero magis augentur ſub illius duratione.

IV. Eximiæ hic deprehenduntur virium proſtrationes.

V. Pulſus obſervatur eſſe debilis, parvus, quandoque etiam mirum in modum obſcurus.

VI. Neque inſoliti hic ſunt affectus lypothymici, convulſivi.

VII. Neque etiam hic deficiunt vertiginis incommoda, ſtupor capitis vel dolor, obliviofæ mentis affectiones, deliria.

VIII. Exhalationes ægrotantium ex hoc febrium genere ſpirant odorem volatilem, eumque mox alio, mox urinæ putridæ ſimilem, mox vappidum, mox ſubdulcem, mox ſubacidum.

IX. Febres malignæ eo citius finiuntur, & vix uno ſeptenario ad ſui decurſum uti ſolent, quo major vel etiam minor gradus malignitatis in iiſdem fuerit conſpicuus.

X. Solvi ſalutariter ſolent per ſeri evacuationes, præcipue eas, quæ per ſudorem fiunt; vel etiam per exanthematum productionem; vel denique per metaſtaſin ad loca corporis externa, præſertim ad glandulas ibidem ſitas.

XI. Circa tempus ſolutionis pulſus fortior fieri obſervatur.

XII. Sed etiam proniſſimum eſt hoc febrium genus ad inflammationes corpori inducendas, quæ in ſphacelum ſubito ruere ſolent. Quo facto, totius morbi eventus lethalis omnino erit neceſſarius.

XIII. Remittere tandem ſolent hæ febres horis matutinis, pomeridianis vero exacerbari.

§. MDXLVIII.

Obſervationum fide porro conſtat, corpora eorum, quibus ex febribus malignis moriendum erat, ſtatim poſt mortem fœtere, turgeſcere, liveſcere, nec ſecus putreſcere, ac ſi in liquamen reſolvi videantur.

§. MDXLIX.

Quoniam febres malignæ numerum ſubeunt morborum malignorum (§. 1546); ſequitur volenti harum febrium naturam recte intelligere omnem operam dandam eſſe, ut ſatis conſtet de mix-

tione massæ humorum variisque conditionibus materiæ malignæ in corporibus eidem febrium generi obnoxiis (§. 81. *proleg.*)

§. MDL.

Quod si itaque putrida massæ humorum constitutio in febribus malignis obtineat; necesse erit, ut putrefactio intensioris gradus hîc adsit; alias febres istæ non haberent indolem morbi acuti (§. 46. *proleg.*) cujus tamen speciem præ se ferunt (§. 1546.)

§. MDLI.

Experimenta chemica probant, quod massæ, putrefactioni subjectæ, eo magis rarefiant, quo major putrefactio fuerit. Nullum igitur dubium erit, quin etiam massæ humorum, in corpore animali vivo ad gradum paulo majorem putrescenti, rarefactio simul competat.

§. MDLII.

Corpora, febribus malignis subjecta, exhalant materiam odoris admodum volatilis (§. 1547. *num.* 8.), ut fieri solet in massis putrescentibus, originis præcipue animalis. Ibidem etiam prodeunt statim post mortem non levis putrefactionis phænomena (§. 1548.); id quod tam subito contingere non posset, nisi jam adfuisset in vivis istis corporibus putrida massæ humorum indoles. Ex quibus itaque consequitur; massam humorum in febribus malignis & putridam esse, & rarefactam (§§. 1550 & 1551.)

Hoc utrumque momentum aliis quoque obſervationibus ac experimentis comprobari poterit. Sanguis, qui e corporibus, huic febrium generi obnoxiis, vel ſponte, vel beneficio artis quandoque excerni ſolet, haud parum tenuis apparet, juſto ſerius coagulatur, fœtorem edit, eumque mox auctiorem; manifeſto documento, quod in maſſa humorum rarefactio obtineat, præter illius putredinem. Qua occaſione notabilem aliquem caſum ſilentio præterire non poſſum, qui mihi aliquot abhinc annis in exercitio artis ſalutaris obtigit. Vocatus nempe eram ad ægrum aliquem ſanandi cauſſa, in quo ſatis manifeſta deprehendi poterant ſigna febris pleuriticæ ac peripneumonicæ, complicatæ cum maligna. Congruis ad ſanationem remediis adhibitis, ægri hujus ſtatus in melius ire videbatur. Deliria enim mitiora fieri obſervabantur; intra febris diem tertium & quartum ſuboriebantur ſputa cruenta, cum inſigni quodam levamine doloris in pectore ardentis; intra diem vero quartum & quintum purpura alba & petechiæ proveniebant, imprimis ad loca thoracis; ſimulque etiam urina excernebatur turbida, ut eſſe ſolet ea, quæ coctionis ſigna præ ſe ferre videtur. Accidit vero ex imprudentia miniſtrorum caſus quidam, quo æger iſte valdopere perterritus erat, ita, ut morbus ſubito nanciſceretur eventum funeſtum, qui paulo ante erat ſatis boni præſagii. Vix enim admiſſo terrore, vocatus quidem ad ægrum ſtatim comparui, ſed eum jam in articulo mortis conſtitutum eſſe inveni. Extrema enim corporis erant frigida; pulſus intermiſſiones ſatis notabiles deprehendebantur; exanthematum, quæ in locis corporis ſupra indicatis ſatis diſtincte videri poterant, ne veſtigia quidem amplius aderant; reſpiratio erat fœtida, admodum oppreſſa,

cum

cum ſtertore non ſecus conjuncta, ac fieri ſolet in catarrho ſuffocativo eminentis gradus. Jam quidem actum erat cum vita ægri hujus: fieri tamen ſolet, ut adſtantium ejulatu quandoque extorqueantur conſilia a Medicis, ubi etiam poterat facile prævideri, omnia artis tentamina fore jam irrita. Juſſi ideoque frictiones artuum cum linteis aſperis & calidis in ægro iſto, vel potius jam agonizante, inſtitui. Qua vero operatione vix incepta: auditur a ſingulis quotquot circa moribundum adſtabant, fragor quidam ad loca capitis prodire, ſimilis chordæ cum impetu crepanti; illum actutum inſequente largo ſanguinis e naribus effluvio, cum vitæ interitu plenario. Deſcribenda jam erunt phænomena, circa hunc ſanguinem excretum deprehenſa. Erat nempe illius color intenſe rubens; conſiſtentia admodum tenuis; fœtor ſingulis adſtantium videbatur eſſe abominabilis; his inſuper accedente ſenſu illo arroſionis, quem actutum producebant in dorſo dextræ meæ, explorantis pulſum in moribundo, ſanguinis ejuſdem aliquot guttæ, ibidem illapſæ, quamvis abſterſæ illico fuerint; mox ſequebatur ad eadem loca eryſipelas; hoc purpuræ ibidem productio, una cum doloribus rheumaticis, ſeſe amplius extendentibus. Ex caſus hujus deſcriptione ſatis evidenter apparet, quanti gradus putredo ac rarefactio maſſæ humorum in febribus malignis ſit, quantaque ideo morbi malignitas! Neque etiam indignum hoc loco mihi eſſe videtur experimentum illud commemorare, quod in præſentia amicorum, eorumque artis ſalutaris peritorum, multoties inſtitui; dum exinde tuto colligere licebit tam ad putrefactionem, quam in febribus malignis humorum maſſa in gradu ſatis aucto ſubit, quam etiam ad materiarum hic productarum qualitates. Acido nimirum vitriolico volatili ad vario-

Kk

larum, nondum ſuppuratarum, materiam, linteo carpto exceptam, ita admoto, ut effluvia ex utriſque maſſis ſe in aëre contingerent: actutum prodiiſſe videbatur fumus quidam. Atque eodem acido vitriolico volatili, ſimili ratione, ut factum erat in experimento præcedenti, admoto ad collum leniter ſudans ægrotantis cujuſdam ex pleuritide, complicata cum purpura alba & petechiis: ſatis diſtincte videri hic quoque poterat fumus in aëre ortus. Unde jam cognoſcitur ſatis certo, quod materia, quæ in caſibus modo enarratis per exhalationes e corporibus ægrotantium ex febribus malignis in auram abiit, referenda ſit ad alcali volatile, ſive ſalem urinoſum: cujus vel maxima copia ex maſſis animalibus, ad paulo majorem gradum putreſcentibus, ut Chemia præcipit, generari ſolet; neque etiam ejuſdem ortum hic concipere licebit aliter, quam nunc modo dictum erat. Nonne vero, præter ſales alcalicos volatiles, aliæ inſuper materiæ generari poterunt in corporibus, malignitati febrium ſubjacentibus? Quod probabile eſſe videtur, ob diverſitatem odoris, quem exhalationes ægrotantium ex hoc morbi genere ſpargunt, præter illum, qui urinæ putridæ ſimilis eſſe ſolet [§. 1547. *num.* 8.]. Pro differentia enim gradus, quem motus inteſtinus, ad producenda in maſſis animalibus differentibus nova mixta idoneus, nanciſcitur, fieri omnino poterit, ut ibidem quoque prodeat una atque altera materia, quæ diverſa eſſe apparet a ſalibus alcalicis volatilibus. Conſentanea hæc paſſim ſunt cum principiis Chemicorum veri nominis. Confirmant idem etiam experimenta, quæ cum materia ulceris cancroſi inſtituta deſcribuntur in §. 448. una cum iis, quæ inde colliguntur in §. 451. Unde exhalationum in febribus malignis odores ſubacidi, & pro ratione modo phlogiſti, modo

terræ calcariæ ad acidum accedentis, ſubdulces, vappidi (§. 1546. *numer.* 8.). Sed quid jam de odore alliato ſentiendum erit, qui ibidem etiam prodire quandoque deprehenditur? Subeſtne tunc arſenicalis quid? Nec prorſus a vero alienum foret, hoc aſſerere velle. Suppoſito enim (ut Chemicorum communis fert ſententia), quod ſalis communis acido arſenicalis quid inſit: nonne illud liberum fieri poterit ope motus inteſtini? Nam de acidi hujus exiſtentia in mixtione animali vel ex hoc unico experimento, inter plura alia, ſatis conſtare poterit. Solve nimirum argentum puriſſimum in ſpiritu nitri puriſſimo, & factæ huic ſolutioni adde fluidum animale, nondum corruptum, quodcumque velis: præcipitari videbis argentum ex ſolutione, non ſecus, ac ſi eidem affudiſſes ſalem culinarem in aqua ſolutum, aut illius acidum; ac præcipitatum gaudere deprehendes iis qualitatibus, quas lunæ corneæ attribuere ſolent Chemici. Præter hæc etiam notatu dignum eſſe videtur, quod in iiſdem caſibus, ubi ſcilicet exhalationes ægrotantium ex febribus malignis odorem allio ſimilem ſpargunt, urina demittere ſoleat materiam albicantis coloris, ac inſtar flocculorum niveorum comparentem; morbuſque cum vitæ interitu tunc plerumque finiatur. Plura alia in prælectionibus proferentur, ad integri hujus argumenti illuſtrationem majorem facientia.

§. MDLIII.

Ex §. anteced. ſatis conſtare poterit de conditione cauſſæ proximæ febrium malignarum in genere.

Agnoſcit vero hæc cauſſa proxima ſui ortum latere in cauſſis variis remotis; iiſque modo externis, modo internis, ita tamen agentibus, ut tan-

dem in massa humorum proveniat tam putrida indoles, quam rarefactio. Quorsum exempli gratia pertinebunt contagia aliunde recepta; impedimenta excretionum naturalium in corporibus cacochymicis; morbi varii in corpore præsentes, quibus vis quædam inest deteriorem reddendi mixtionem humorum; commorationes in locis, aëre putrido inquinatis, usus esculentorum ac potulentorum putridæ indolis; peccata alia rerum sex non naturalium aut caussæ quæcumque aliæ febriles, si admittuntur ad corpus, cui jam inest massa humorum eminentis dispositionis ad putrescendum. Observantur præterea febrium malignarum grassationes plerumque fieri circa æquinoctii tempus.

§. MDLI.

Ad symptomatum in febribus malignis (§. 1547.) rationes quod attinet; eas facile intelligere licebit partim ex doctrina febrium generali; partim ex massæ humorum putredine ac rarefactione (§§. 1552 & 1553.)

§. MDLIV.

Febrium malignarum in genere (§. 1546.) signa pathognomica sufficientia constabunt ex signis febrium continuarum, acutarum [§. 1408.]; cum illis phænomenis simul conjunctis, quæ in §. 1547. præcipue ad *numer.* 3-5. describuntur.

§. MDLVI.

Ad prognosin vero in febribus malignis generatim quod pertinebit; erunt jam notanda sequentia.

I. Hic ea probe considerentur, quæ indicata ad §. 1409. jam exstant.

II. Conditio symtomatum, quæ in hoc febrium genere prodire solent [§. 1547.], atque imprimis eorum, quæ ad §. citat. *numer.* 3-7. significantur, diligenter perpendenda erit. Nam exinde licebit tuto colligere ad morbi in casu obvio magnitudinem.

III. Læsiones functionum vitalium, post diem quartum in hoc febrium genere magis auctæ, eventum plerumque ancipitem præsignificare solent.

IV. Si iis mutationibus, quæ ad §. 1547. *numer.* 10. commemorantur, urinæ, quæ facile turbida fit, excretiones accedere deprehenduntur, una cum redeunte vigore pulsus; idque imprimis diebus indicatoriis contingere observatur: plerumque evenire tunc solet bona harum febrium solutio diebus proximis criticis. Alias vero pulsus fortitudo suspecta est, atque inflammationem indicare solet, sive jam præsentem, sive imminentem.

V. Exanthemata si cum impetu, si copiose erumpunt; si nimium pruritus & ardoris sensum in cute producere videntur: illa non adeo bonæ prædictionis erunt. Tunc enim fieri solet, ut, concitatis spasmis in locis corporis externis, putridum ad interiora repellatur iterum; id quod non ab omni periculo vacabit.

VI. Si qua in febre alia necesse fore videatu

ut eorum locorum corporis rationem habeas, ubi vel ecrisis, vel metastasis febrilis fit [§. 1379.]: hoc vel maxime de febribus malignis notandum erit.

VII. Mali porro ominis esse solent in eodem febrium genere horripilationes crebræ, frigoris ad extrema corporis perceptiones frequentes, una cum sudoribus frigidis. Hæc enim indicant modo spasmi peripherici pertinaciam, modo cordis vires admodum debilitatas.

VIII. Tandem animus dirigendus hic etiam erit ad caussarum externarum accessiones, quæ salutari febrium malignarum solutioni valdopere nocent, tam producendo spasmum periphericum, quam nimis commovendo sanguinem.

CAPUT CXLII.

DE FEBRE CATARRHALI MALIGNA ET PETECHIZANTE.

§. MDLVII.

Febris *catarrhalis maligna* est ea species febris malignæ; quæ cum catarrho [§. 348.] connectitur; diciturque *petechizans*, si in ea eminens quidam gradus malignitatis conspicuus fiat, illique præsertim similis, qui deprehendi solet in febre petechiali.

§. MDLVIII.

Docent obſervationes, in hac febre adeſſe ſymptomata ſequentia præter ea, quæ jam annotata generatim exponuntur in hiſtoria ſebrium malignarum (§. 1547.).

I. Satis manifeſta hic fiunt phænomena, catarrhum ſignificantia (§. 1541. *numer.* 3. & 5.)

II. Horrorem, quo febris iſta invadit, paulo auctior æſtus excipit, quam fieri communiter ſolet in aliis malignis.

III. Concurrunt deliria ſat gravia, angina, aphthæ, peripneumonia, pleuritis.

IV. Nec diarrhoeæ deficiunt, quibus hæc quidem febris ſolvitur, tamen cum metu inflammationis inteſtinorum; optima vero ejus ſolutio eſt, quæ per ſudorem fit.

V. Totius febris decurſus ſe vix ulterius, quam ad duo ſeptenaria, extendere ſolet.

VI. Die quinto ſæpius prodeunt maculæ; & tum periculoſior redditur ſtatus ægrotantis.

§. MDLIX.

Huic febri ſubjici obſervatur illud hominum genus, quod ad catarrhos pronum, quod cacochymicum eſt; quod cauſſis patet, a quibus auctior putredinis gradus ad maſſam humorum tranſit: quales exempli gratia ſunt commorationes in locis paludoſis, aëre putrido repletis, aquarum putridarum uſus, atque hujus indolis alia.

§. MDLX.

Sub conditionibus, quæ ad §. preced. exponuntur, ortum præcipue febris catarrhalis malignæ fieri, poterit facile intelligi [§§. 1546. 1552. 1553 & 1557.]

§. MDLXI.

A catarrhi conditionibus ac ea maſſæ humorum indole, quæ in febribus malignis generatim obtinet [§. 1552.], ſymptomatum rationes in febri catarrhali maligna derivandæ erunt [§. 1557-1560.]

§. MDLXII.

Signa pathognomica ſufficientia in febre catarrhali maligna [§. 1557.] conſtabunt ex ſignis catarrhi & febris malignæ, atque intelligi poterunt ex §§. 1555 & 1558. *numer.* 1.

§. MDLXIII.

Signorum vero prognoſticorum cognitio ab iiſdem principiis petenda erit, quæ in §. 1556. expoſita leguntur: hîc ſimul conſideratis iis momentis, quæ indicata proſtant ad §. 1558. *numer.* 3 - 6.

CAPUT CXLIII.

DE
DYSENTERIA SIVE FEBRE DYSENTERICA.

§. MDLXIV.

F*Ebris dyſenterica* eſt febris maligna, connexa cum diarrhœa. Dicitur etiam *febris ad inteſtina.*

Dividi ſolet *dyſenteria* in *cruentam*, & *non cruentam*, ſive *albam*; prouti nempe feces, quæ per alvum ejiciuntur, vel a ſanguine tinctæ, vel permixtæ eſſe appareant cum materia, ulceri putrido ſimillima. Satis exinde patet, dyſenteriam albam cruenta pejorem eſſe.

§. MDLXV.

Ex obſervatis conſtat, quod dyſenteria, præter ſymptomata communia cum aliis generis ſui febribus [§. 1547.], ſequentibus ſtipata incedere ſoleat.

I. Solito majoris gradus in hac febris malignæ ſpecie & horror eſt, & æſtus, qui illum deinceps ſubſequitur.

II. Statim percipiuntur alvi lubricationes, mox in diarrhœam plenarie abeuntes.

III. Sentiuntur tormina ventris, dolores colici, anxietates præcordiorum vehementiſſimæ, pruritus ani, teneſmus.

IV. Materia per alvi dejectiones secedens foetorem spirat abominabilem, eique haud dissimilem, qui prodire solet ex ovis perquam putridis.

V. Sitis statim sub initio morbi admodum aucta.

VI. Faciles hic esse solent intestinorum inflammationes.

VII. Quandoque etiam anginæ, aphtharum petechiarum aut purpuræ accessiones hîc fiunt.

VIII. Plerumque decurrere solet intra unum septinarium, atque omnium optimæ solvitur per sudorem.

§. MDLXVI.

Observatur porro dysenteria magis grassari tempore æstivo, mensibus scilicet Julii, Augusti ac Septembris; quando imprimis dies æstuosissimi, noctes vero perquam frigidæ ingruunt. Neque aliud hominum genus ab hoc morbo corripi deprehenditur, quam illud, cui nimiæ sanguinis resolutiones per validos corporis motus, sudorisque ideo copiose producti repressiones oboriuntur; his simul accedente largo usu fructuum horæorum, aut aliorum esculentorum ac potulentorum, facilem in ventriculo ac intestinis fermentationem efficientium. Sed hoc etiam ex observationibus innotuit, quod dysenteria spectari debeat instar morbi, cujus grassationes inter homines rusticanos plerumque incipere, e pagis deinceps ad urbes penetrare solent; cujus denique ortus tunc temporis facilior ac pernicies major est quando nimirum constitit, admissum fuisse usum fructuum horæorum, rubigine corruptorum.

§. MDXVII.

Ex §. anteced. vocatis ſimul in ſubſidium iis, quæ in doctrina generali febrium malignarum continentur [§§. 1552 & 1553.], dyſenteriæ geneſin intelligere licebit.

§. MDLXVIII.

Hoc conſiderato; quod dyſenteria ad febres malignas pertineat, ubi a materiæ malignitate imprimis afficiuntur inteſtina [§. 1564.]: tunc eſſe poterunt ſatis perſpicuæ rationes illorum ſymptomatum, quæ in hiſtoria morbi hujus deſcribuntur [§. 1565.]

§. MDLXIX.

Signa pathognomica ſufficientia febris dyſentericæ [§. 1564.] erunt ſigna febrium malignarum in genere [§. 1555.], nec non ſymptomata morbi deſcripta in §. 1565. præſertim ea, quæ ſignificantur ad §. citat. *numer.* 2-4.

§. MDLXX.

Ad prognoſin vero in eadem ſpecie febris malignæ cognoſcendam ſufficient propoſita in §. 1556. principia, conferenda cum iis momentis, quæ præcipue indicantur ad §. 1565. *numer.* 6-8.

CAPUT CXLIV.

DE FEBRE CASTRENSI SIVE HUNGARICA.

§. MDLXXI.

Febris castrensis dicitur febris catarrhalis admodum petechizans, epidemice grassans.

§. MDLXXII.

Prodire in hac febre observantur eadem quidem symptomata, quæ in historia febris catarrhalis petechizantis describuntur [§. 1558.], sed ad gradum longe iminentiorem conspicua. Quibus insuper statim sub initio morbi accedunt ardores sub scrobiculo cordis; linguæ siccitas una cum ejusdem tumore; major in pulsu impetus; celerior febris decursus; remissionis tempus perquam breve.

§. MDLXXIII.

Oblervationes testantur, hanc febrem deprehensam fuisse in militibus, quos oportebat in castris ad loca paludosa sitis degere; aquis putridis loco potus uti; subitaneis refrigerationibus corpus committere quod validis exercitiis nimis incaluit; atque ejusdem conditionis caussas alias admittere.

§. MDLXXIV.

Sub caussarum, in §. anteced. descriptarum, vel etiam aliarum iisdem similium, accessionibus factis

no tempore ad plurium hominum, in certo loco egentium, corpora: febris castrensis ortus cognosci poterit satis distincte [§§. 1552. 1553. 1557-560 & 1571.]

§. MDLVXX.

Quoniam in ista febris malignæ specie longe major gradus malignitatis obtinet, quam ille ordinario adesse solet in febre petechizante [§. 1571.]; hinc etiam patebit ratio, quare nimirum inflammationes tam cito hîc producantur, atque ideo pulsus sus sub ipso fere initio febris fortis compareat, tandemque acerbitas symptomatum febrilium summa sit [§. 1572]?

§. MDLXXVI.

Ad signa sufficientia, tam pathognomica, quam prognostica, quod attinet in febre castrensi [§. 1571]: tunc illa quidem convenient cum signis catarrhalis malignæ [§§. 1562 & 1563.]; neutiquam tamen negligenda hîc erit differentia partim etiam ratione epidemicæ grassationis, partim etiam ratione malignitatis supra modum auctæ, effectuumque inde prodeuntium [§§. 1571. 1572 & 1575.]

CAPUT CXLV.

DE FEBRE SCARLATINA.

§. MDLXXVII.

FEbris *ſcarlatina* eſt febris maligna, connexa cum maculis ſcarlatinis [§. 241.]

§. MDXXLVIII.

De hac febre ſequentia notanda erunt ex obſervationibus.

I. Admodum exigui momenti deprehenduntur hîc eſſe ea ſymptomata, quæ in hiſtoria febrium malignarum in genere enarrantur [§. 1547.]

II. Ægrotantes vero magis conqueruntur de oppletione pectoris, dyſpnoea, tuſſicula ſicca.

III. Die febris quarto facies intumeſcit, prurit, quaſi obſita apparet maculis ſcarlatinis, primo parvis, deinde ſe amplius extendentibus.

IV. Hæ maculæ paulo poſt prodeunt quoque in pectore, ad femora atque alia loca corporis externa ubique ſervata eadem lege, ut ad *numer. præced.*

V. Circa illud tempus, quo maculæ eædem erumpere ſolent, in quibuſdam hæmorhagiæ narium eveniunt, & quidem cum magno morbi levamine.

VI. Ordinario finitur hæc febris intra unum ſeptenarium, & quidem ſalutariter; id quod colligere licebit e diaphoreſis ſucceſſu & cutis deſquamationibus.

§. MDLXXIX.

Docent porro obſervationes, febrem ſcarlatinam familiarem eſſe puellis, quibus menſium emanſiones oboriuntur; aut feminis, quæ obnoxiæ ſunt fluxus menſtrui ſuppreſſionibus; tandemque abutentibus etiam potu ſpirituoſo vel cibis, aromatibus juſto liberalius conditis, ideoque ſanguinem ſupra modum exæſtuantibus.

§. MDLXXX.

Videtur fieri poſſe, ut maculæ ſcarlatinæ conſiderentur inſtar eryſipelatis maculoſi, quod conſpicuum fit ad quædam loca corporis externa [§. 1578. *numer.* 3 & 4.]

§. MDLXXXI.

Simul etiam ex §§. 1579 & 1580. conſtare poterit, quare nimirum in hac febre hæmorrhagia narium proveniat, eaque ſalutaris [§. 1578. *numer.* 5.]?

§. MDLXXXII.

Febris ſcarlatinæ ſigna pathognomica ſufficientia redibunt ad momenta ſequentia. Ubi jam conſpicuæ fuerint maculæ ſcarlatinæ [§. 241.], ibi recta definitionis applicatio ad caſum ſufficiet [§. 1577.]. Sed in caſu oppoſito conveniet magis ad ea atten-

dere, quæ in [§§. 1578. *numer.* 1-3. & 1579. annotata sunt.

§. MDLXXIII.

Prognosi vero hîc cognoscendæ sufficere poterunt proposita in §. 1556. sed conferenda cum iis, quæ indicantur ad §. 1578. *numer.* 1. & 6.

CAPUT CXLVI.

DE FEBRE PURPUREA URTICATA.

§. MDLXXIV.

F*Ebris purpurea urticata* dicitur febris maligna, connexa cum ea specie purpuræ, quam dicere solent urticatam [§. 242.]

§. MDLXXV.

Ad descriptionem phænomenorum, quæ in hac febris specie prodire observantur, quod jam attinet: tunc annotare conveniet sequentia.

I. Quamvis sub exiguo gradu symptomata, febribus malignis generatim competentia [§. 1547.], hîc conspicua fieri plerumque soleant; ita, ut in eo febris purpurea urticata cum scarlatina convenire videatur [§. 1578. *numer.* 1.): quandoque tamen innotuerunt casus purpuræ urticatæ satis eminentis malignitatis; imprimis tempore

tempore epidemicæ grassationis febrium malignarum.

II. Sub æstu febrili statim proveniunt in peripheria corporis vesiculæ; in cute ea conditio prodit, quæ respondere solet ustioni, ab urticis ibidem peractæ, simulque ardor adest ac rubor, ut in erysipelate.

III. Hæ vesiculæ urunt; scalptionis desiderium in ægrotantibus excitant; horis matutinis evanescere, aut saltem tanto non esse incommodo videntur.

IV. Diebus quarto & quinto hoc exanthema exsiccari solet; subsequuntur cutis desquamationes; totiusque febris solutio salutaris, continuatis urinæ turbidæ ac sudoris excretionibus, communiter oboritur die septimo, aut paulo post.

§. MDLXXXVI.

Præ reliquis illud hominum genus huic febris speciei obnoxium fieri deprehenditur, cui serosa colluvies sanguinis inest.

§. MDLXXXVII.

Ratione signorum pathognomicorum sufficientium in febre urticata id tenendum erit; facta jam eruptione purpuræ urticatæ, definitio morbi (§. 1584.), eaque ad casum rite applicata, hic sufficiet; alias vero opus erit, ut rationem quidem habeas eorum signorum, unde generatim dignosci solet febris maligna (§. 1555.), cum iis tamen

compares ea, quæ exponuntur ad §§. 1585. *num.* 1. & 1586.

§. MDLXXXVIII.

De prognosi vero in eadem febris specie te satis certum facere poterunt dicta in §. 1556. quæ tamen conferre cum iis conveniet, quæ exstant ad §. 1585.

CAPUT CXLVII.

DE FEBRE PURPURATA RUBRA ET ALBA.

§. MDLXXXIX.

F*Ebris purpurata rubra* est febris maligna, connexa cum purpura rubra (§. 242.) Dicitur etiam *febris miliaris.* Nomen vero *febris purpuratæ albæ* transferri solet ad eam febris malignæ speciem, quæ connexa esse deprehenditur cum purpura alba (§. 243.)

§. MDXC.

Historia febris purpuratæ tam rubræ, quam albæ, sequentia sibi vindicat momenta, ex observationibus annotanda.

I. Utraque hæc febris symptomata quidem habet cum aliis febribus malignis communia, descripta in §. 1547. quæ vero gradu diffe-

runt, ita, ut communiter eadem longe graviora sint in febre purpurata alba, quam in rubra.

II. Prævio pruritu, circa diem quartum vel septimum purpura in conspectum prodit; & quidem ita, ut in alba appareat rubefacta esse cutis.

III. Morbi decursus ad duo septenaria plerumque protrahi, ejusque solutio fieri solet salutariter per diaphoresin ac exsiccationem exanthematum.

IV. Fide etiam observationum constitit, purpuræ exanthemate nullum aliud facilius ad loca corporis interiora regredi, regressumque magis nocere vitæ ægrotantium; si imprimis adfuerit purpura alba.

§. MDXCI.

Testantur porro observationes, febres purpuratas nostris temporibus frequentes esse, nec raro ad alias febrium species accedere; sæpius obiriri hæmorrhoidariis, scorbuticis, puerperis, feminis tandem, quæ ex utero parum bene purgantur.

§. MDXCII.

Signa pathognomica sufficientia in febre purpurata rubra & alba cognoscere licebit per signa febrium malignarum in genere (§. 1555.); per morbi definitionem (§. 1589.), atque ea momenta, quæ ad §§. 1590. *numer.* 2. & 1591. enarrantur, ad casum recte applicata.

§. MDXCIII.

Tandem ratione prognosis, sufficere hic poterunt ea, quæ exponuntur in §. 1556. cum iis conferenda, quæ commemorantur ad §. 1590. *numer.* 3 & 4.

CAPUT CXLVIII.

DE FEBRE MORBILLOSA.

§. MDXCIV.

F*Ebris morbillosa* est febris maligna, connexa cum morbillis (§. 240.)

§. MDXCV.

Ad communia cum aliis febribus malignis symptomata (§. 1547.) insuper accedere in hac febris specie observantur sequentia.

I. Adest tussis, quæ vehemens esse ac febrem non numquam octo, immo plures dies jam antecedere solet.

II. Concurrunt quandoque incommoda diarrhoeæ, vomitus.

III. Prodit difficilis ac dolorifica deglutitio; facies & cilia intumescunt; nares opplentur.

IV. Die tertio vel quarto erumpunt morbilli,

V. Die tandem ſeptimo vel nono febris ſalutariter ſoluta eſſe plerumque deprehenditur; factis ſudoris excretionibus & cutis deſquamationibus.

§. MDXCVI.

Docent porro obſervationes, hanc febrem tempore verno & autumnali epidemice graſſari; magis occupare corpora infantilia ac juvenilia; ejus denique conditionis ſingularis eſſe, ut rariſſime ad corpora eorum hominum redeat iterum, qui ſemel illam ſuperarunt.

§. MDXCVII.

Probabile eſſe videtur corporibus, in ætate infantili aut juvenili conſtitutis, ineſſe diſpoſitionem aliquam eminentem, ad hanc ſpeciem febris malignæ facilius concipiendam, qua ſemel ſuperata, illa quoque aboletur.

Conſtabit in prelectionibus de ratione hypotheſium, quas excogitarunt Medici, ad hanc diſpoſitionem explicandam.

§. MDXCVIII.

Febris morbilloſæ ſigna pathognomica ſufficientia ad eadem redibunt, ex quibus febris maligna generatim dignoſci ſolet (§. 1555.); ſi iiſdem inſuper acceſſerint tumoris apparitiones in facie & ciliis, narium oppletiones (§. 1595. *numer.* 3.), quæ præſertim ſub epidemica graſſatione morbillorum provenire deprehenduntur in ægrotantibus ætatis infantilis aut juvenilis, non ſubjectis antea

huic febris ſpeciei (§. 1596.); vel jam conſpicua ſatis fuerint morbillorum exanthemata (§. 1594.)

§. MDXCIX.

De ſignorum vero prognoſticorum in eadem febre fundamentis ſatis conſtare poterit ex §§. 1556 & 1595. *numer.* 5.

CAPUT CXLIX.

DE FEBRE VARIOLOSA.

§. MDC.

FEbris *variolosa* eſt febris maligna, connexa cum variolis (§. 239.)

§. MDCI.

Docent obſervationes, in hac febre ſequentia ſymptomata prodire, præter communia illa, quæ in febrium malignarum deſcriptione generali (§. 1547.) commemorantur.

I. Adſunt nimirum oppletiones pectoris, tuſſis.

II. Nares hic etiam oppletæ apparent, una cum ciliorum & faciei intumeſcentia, prouti in morbillis.

III. Die tertio vel quarto erumpere incipiunt variolæ; atque hæc eruptio finitur circa diem ſeptimum, placidiſſima diaphoreſi ſtipata.

IV. Fiunt hæc, quæ indicantur ad *numer, præced.* cum magno febris decremento.

V. In quibusdam sub horum exanthematum eruptione oboriri deprehenduntur copiosæ excretiones salivæ.

VI. Variolæ, quæ initio planæ apparere solent, de die in diem magis elevantur.

VII. Comparet die septimo circulus quidam ruber, quo quævis pustula variolosa cingitur; idque cum notabili incremento febris.

VIII. Atque ex eo tempore, ut ad *numer. præced.* describitur, ægrotantis corporis habitus externus in majus quoddam volumen increscere videtur, ut fieri solet in partibus tumentibus; variolæ albicantis coloris fieri, magis magisque suppurare deprehenduntur, insimulque spargere odorem nauseosum.

IX. Circa diem vero undecimum evenire observatur variolarum ruptio. Emanat tunc e variolarum pustulis materia purulenta; oboriuntur illarum exsiccationes; eschara inde efformata decidit; atque ægrotans pristinæ sanitati circa diem decimum quartum, vel paulo post, restitui denuo observatur.

X. Sed fieri etiam solet multoties, ut, negotio isto suppurationis ac exsiccationis variolarum inconvenienter succedente, vel producantur, partium variarum corruptiones a sphacelo aut ulceribus; vel etiam in visus organo vitia diversa.

§. MDCII.

Docent porro observationes, febrem variolosam, in relatione ad febrem morbillosam, plerumque esse maligniorem, cum hac tamen in eo convenire, ut eidem scilicet subjiciantur magis corpora juniora; ut plerumque grassetur epidemice tempore verno & autumnali; ut tandem rarissima esse soleant exempla illorum hominum, ad quos hæc ipsa febris plus una vice rediisset, superata semel.

§. MDCIII.

Qua de caussa hic eadem quoque consequentia valebit, quæ de febre morbillosa in §. 1597. deducta est (§. anteced.)

§. MDCIV.

Fieri poterit, ut intra oris cavitatem variolæ generentur; quibus ibidem obortis, organa salivam excernentia non mediocriter cogantur ad illam copiosius dimittendam. Unde jam patebit ratio phænomeni, annotati ad §. 1601. *num.* 5.

§. MDCV.

Quoniam variolæ pustularum suppurascentium numerum subeunt (§. 239.); puris vero ortus considerari debet instar effectus inflammationis (§. 414.); atque hæc febrem sibi comitem habet (§. 1410.); hinc jam conspicua erit ratio, quare nimirum febrem jam mitescentem ejus incrementa mox insequantur, una cum circulis rubentibus circa variolas, harumque conversionibus in apostemata (§. 1601. *numer.* 7-9.)?

§. MDCVI.

Febre itaque inflammatoria certi gradus, eaque opportune suborta, opus erit ad variolarum convenientem suppurationem, totiusque febris variolosæ salutarem eventum (§. anteced.)

§. MDCVII.

Febris variolosæ signa pathognomica sufficientia ex iisdem constabunt, per quæ febris morbillosa cognosci solet (§. 1598.); sed hic habita simul ratione majoris malignitatis, aut jam producti in conspectum exanthematis variolosi (§§. 1600 & 1601.)

§. MDCVIII.

Prognosi vero hic cognoscendæ satis quoque respondebunt ea momenta, quæ continentur ad §§. 1556. 1601. *numer.* 7-10. & 1606.

CAPUT CL.

DE FEBRE PETECHIALI.

§. MDCX.

FEbris *petechialis* est febris maligna, connexa cum petechiis (§. 244.)

§. MDCX.

De hac febris malignæ specie sequentia notanda erunt ex observationibus.

I. Symptomata, quæ in febrium malignarum historia generatim describuntur (§. 1547.), hic prodeunt ad eminentem gradum.

II. Levissimum horrorem; quocum invasiones febriles circa vesperam fiunt, excipere solet æstus non adeo insignis gradus; sub quo tamen adesse deprehenduntur dolores capitis supra modum excedentes, pulsus admodum obscurus, validæ anxietates præcordiorum, affectus lipothymici, non numquam etiam convulsivi.

III. Deliria vero, quæ hic proveniunt, non ita gravia esse solent.

IV. Sæpius etiam concurrunt ardores faucium.

V. Intra febris diem tertium, quartum & quintum petechiarum eruptiones fiunt.

VI. Solutio tandem morbi salutaris die septimo evenire solet; decenter factis excretionibus sudoris ac exanthematum exsiccationibus.

§. MDCXI.

Observatur porro ista febris circa æquinoctia epidemice grassari.

§. MDCXII.

Febris petechialis signa pathognomica sufficientia redibunt ad signa febrium malignarum in genere (§. 1555.), nec non petechiarum, jam productarum in apricum, deprehensiones (§. 1609.) Alias vero ad gradum malignitatis eximium in febre, ejus symptomata ac epidemicam grassationem (§§. 1610 & 1611.) animum convertere oportebit.

§. MDCXIII.

Prognosi tandem, hoc etiam loco inveniendæ, satisfacient principia, §§. 1556. 1610 & 1611 indicata.

CAPUT CLI.

DE FEBRE PESTILENTIALI SEU DE PESTILENTIA.

§. MDCXIV.

F*Ebris pestilentialis* dicitur ea febris malignæ species, quam ad morbos omnium maxime contagiosos referre licet (§. 77. *proleg.*), & quæ simul connexa esse deprehenditur vel cum bubonibus (§. 223.), vel cum vibicibus (§§. 234.), vel cum carbunculis (§. 235.); sive junctim adfuerint nunc modo allegata exanthemata, sive separate.

§. MDCXV.

Quæ de conditione symptomatum in febre pestilentiali per observationes innotuerunt; ea jam redibunt ad momenta sequentia.

I. Febrium malignarum symptomata, generatim in §. 1547. descripta, ita obtinent in hac febris malignæ specie, ut respondeant summo malignitatis gradui.

II. Horror præterea leviſſimus eſt, quo febris peſtilentialis invadere ſolet, illumque ſæpius excipit æſtus moderatiſſimus.

III. In pulſu ſumma adeſt debilitas, ſumma obſcuritas deprehenditur.

IV. De ſummis cordis angoribus ac palpitationibus, vel potius tremoribus, conqueruntur ægrotantes.

V. Deliria aliis, aliis ſopores oboriuntur.

VI. Ardores circa ſcrobiculum cordis ſæpius urgent.

VII. Prodit nauſea, mox ſequitur vomitus, quo materia bilioſa teterrima ejicitur.

VIII. Statim ſecundo aut tertio die febris proveniunt vibices, carbunculi, aut bubones.

IX. His jam productis exanthematibus, ægrotantium ſtatus in melius ire videtur. Alias vero omnia in perniciem ruunt.

X. Omnium optimam peſtilentiæ ſolutionem eam fuiſſe, experientia docuit, quæ nimirum facta erat per bubonum productionem, ad glandulas præcipue inguinales.

§. MDCXVI.

Ex obſervationibus porro conſtat, febrem peſtilentialem morbum eſſe non adeo rarum inter incolas Ægypti aliorumque in Aſia locorum, præſertim paludoſorum ac ſitorum ad maria; inde per contagium, (quo nihil unquam potentius eſſe poteſt ad inficiendum) deferri ad regiones alias.

§. MDCXVII.

Febris peſtilentialis ſigna pathognomica ſufficientia conſtare poterunt ex ſignis febrium malignarum in genere (§. 1555.); hic ſimul accedentibus iis, quæ ex hujus febris maligniſſimæ definitione (§. 1614.) & hiſtoria (§§. 1615 & 1616.) facile intelligere licebit.

§. MDCXVIII.

Prognoſis etiam inventioni in eadem febre ſatis accommodata erunt principia, propoſita in §. 1556. eorum omnium facta collatione cum iis, quæ exſtant ad §§. 1614-1616.

CAPUT CLII.

DE
FEBRE LENTA ET HECTICA.

§. MDCXIX.

OBſervationum teſtimonio comprobatur, oboriri etiam febres continuas (§. 1337.), easque chronicas (§. 1338.), in quibus virium conſumptiones totiuſque corporis extenuationes ſatis manifeſtæ fiunt, de die in diem magis increſcentes. Deſcriptæ conditionis febres, una cum effectibus ſuis nunc modo indicatis, prodire poterunt modo ad *gradum minorem*, modo *majorem*. In caſu *priore* adeſſe dicitur *febris lenta*; in *poſteriore* autem *hectica*.

§. MDCXX.

Docent obſervationes, in febribus lentis ac hecticis ſymptomatum conditiones ad ſequentia reduci poſſe momenta.

I. Invaſiones febriles fieri hic ſolent plerumque a meridie, & quidem magis cum frigoris ſenſu, tamen non perſeverante diutius, quam conſuetum eſt in febribus continuis in genere (§. 1406. *numer.* 1.)

II. Sequitur deinceps æſtus, iiſque magis ſiccus in lenta, in hectica vero cum productione ſudoris viſcidi & quaſi glutinoſi.

III. Nullus adeſt ſomnus reficiens.

IV. Ægrotantes frigida magis appetunt.

V. Sæpius exacerbari videtur æſtus poſt paſtum, & quidem horrore ſemper prævio.

VI. Excernitur urina rubicunda, quæ in febre lenta pinguis, in hectica vero cuticula quadam albicante obducta eſſe apparet.

VII. Quo magis febris hectica invaluit; eo magis excretiones colliquativæ, ſive tales oboriri deprehenduntur, quales eſſe ſolent eæ, per quas ingens lymphæ copia e corpore ſecedit; quod communiter per excretiones ſudoris aut alvi, quandoque etiam urinæ fit.

VIII. Sub continuatione harum excretionum, quæ ad *numer. præced.* indicantur, corpus tandem viribus, ſuccis, carne adeo privatur, ut vitæ jactura prorſus inevitabilis fieri videatur.

IX. Sed & alius casus oboriri hic solet æque perniciosus. Accidit quandoque, ut ad febres lentas ac hecticas febrium acutarum accessiones fiant, præcipue inflammatoriarum aut malignarum. Atque id si contigerit, hecticis tunc eo citius ingruit dies fatalis.

§. MDCXXI.

Febres lentas ac hecticas in casibus provenire, observationes docent, ubi de infarctus, scirrhi, exulcerationis existentia in uno atque altero viscere, vel etiam in partibus aliis, abundantibus vasis omnis generis, satis constat.

§. MDCXXII.

Ex §. anteced. colligere licebit; fieri nimirum posse, ut febres lentæ & hecticæ alias febres, quarum solutio facta erat per metastases, insequantur; abusum adstringentium admissum in compluribus morbis, præsertim in febribus intermittentibus, excipiant; post excretionum naturalium inconvenientem successum fiant conspicuæ; tandemque facile generentur in corporibus debilibus. Quod etiam cum observationibus bene congruit.

§. MDCXXIII.

Pro differentia partium, quæ ab infarctu, scirrho, exulcerationibus afficiuntur; pro diversitate gradus, ad quem affectus isti prodeunt; necesse etiam erit, ut febrium lentarum ac hecticarum casus inter se discrepent, atque unus altero periculosior sit (§. 1621.) Quocum etiam observationes consentiunt.

§. MDCXXIV.

Ad casus itaque febrium lentarum ac hecticarum eo melius intelligendos, juvabit hoc loco ea conferre, quæ in peculiaribus capitibus de ulceribus, scirrhis ac morbis viscerum prolata jam sunt [§. antec.]

§. MDCXXV.

Signa pathognomica sufficientia in febre lenta & hectica facile licebit cognoscere per definitionis [§. 1619.] accuratam applicationem ad casum; nec non eorum deprehensionem, quæ in §. 1620. enarrantur, præcipue ad ejus *numer.* 6 & 7.

§. MDCXXVI.

Ad signorum vero prognosticorum cognitionem quod hic attinet; notari tunc poterunt sequentia.

I. Quo breviores fieri deprehenduntur in febre lenta remissiones febriles; eo certius est, fore, ut mox immineat ejus transitus in febrem hecticam.

II. Quo nobiliores fuerint partes, quæ sedem infarctui, scirrho aut ulceribus suppeditant; quo major etiam fuerit gradus istarum afflictionum; eo periculosior quoque erit status ægrotantium.

III. Quo magis in febribus lentis ac hecticis prodire observantur tremores artuum ac labiorum, varia organorum sensoriorum externorum vitia, obliviosæ mentis affectiones aut ejus alienationes; iisdemque insuper accedit status corporis indicatus ad §. 1620. *numer.* 7-9. eo minus dubitari poterit, futurum esse, ut eventum funestum nanciscatur morbus.

IV. Sed conferri hic etiam merentur ea, quæ jam commemorata exstant ad §. 1409.

CAPUT

CAPUT CLIII.

DE FEBRIBUS INTERMITTENTIBUS IN GENERE.

§. MDCXXVII.

HOc febrium genus [§. 1337.] vindicare sibi observatur phænomena sequentia.

I. Spasmus periphericus, quo hic fieri solent invasiones febriles, & durationis longissimæ est, & gradus maximi; utpote a quo febrientes per unam, imo duas, quandoque etiam tres horas ita afficiuntur, ut non solum corporis extrema ad tactum frigida percipiantur, sed & totum corpus a frigore quasi concuti, obrigescere tandem videatur.

II. Oscitationes ac pandiculationes hic frequentissimæ sunt.

III. Sub frigore febrili sentiunt ægrotantes tensionem aliquam prodire circa scrobiculum cordis vel regionem modo epigastricam, modo hypogastricam, modo hypochondriacam.

IV. Tunc etiam respirationis oppressiones, cordis angores ac palpitationes oboriuntur.

V. Solent porro cardialgiæ, vomitus, quandoque etiam diarrhoeæ incommoda prodire.

VI. Frigus febrile tandem sequitur æstus, qui sensim sensimque increscit.

VII. Æstum sudores excipiunt.

VIII. Absolvuntur hæc omnia intra quinque aut sex horas, vel quod etiam supra foret quandoque: tunc jam febris intermittit, relicta debilitate corporis; denuo redit, stipata descriptis symptomatibus.

IX. Redire quidem ordinario solet febris circa eamdem horam, qua ejus prima invasio facta erat; sæpius tamen accidit, ut febriles isti recursus fiant mox serius, mox citius.

X. Fieri etiam solet, ut febris inuasiones subsequentes appareant plerumque leviores antecedentibus, quandoque vero graviores.

XI. Solutiones morbi salutares in hoc febrium genere sequi deprehenduntur determinati gradus excretiones sudoris ac urinæ, alvi delectiones, vomitum.

XII. Sed fieri etiam solet multoties, ut febres intermittentes in lentas, acutas, vel etiam in affectus hydropicos transeant; si illæ imprimis fuerint nimiæ durationis aut acerbitatis, vel ad illas accesserint caussæ quæcumque, efficientes sanguinis validas commotiones, aut vehementes adstrictiones in primis & secundis viis.

XIII. Hoc tandem notari quoque meretur, quod febres intermittentes sæpius observentur per complures menses durare; quod quandoque epidemice grassari ac graviores esse deprehendantur autumnales, sive illæ, quæ intra mensem Augustum & Februarium incidunt, quam vernales, sive

illæ, quæ intra menſem Februarium & Auguſtum provenire ſolent.

§. MDCXXVIII.

Docent porro obſervationes, febres intermittentes ad illud hominum genus accedere, de quo ſatis conſtitit, quod corporis primæ & ſecundæ viæ vel a materia quadam viſcida oppletæ ſint, vel debilitate affectæ, ſive id a cauſſis internis, ut morbis variis præcedentibus, producatur; ſive ab externis, ut varietate peccatorum circa res ſex non naturales.

§. MDCXXIX.

Apparebit inde cauſſa febrium intermittentium generatim [§. anteced.]

§. MDCXXX.

Attentus ad ea, quæ in corpore humano vivo ſponte quidem fiunt, ſed certo tempore magis oboriri ſolent, deprehendes, ea videri ibidem evenire ex conſuetudine quaſi contracta.

§. MDCXXXI.

Nonne ideo fieri etiam poterit, ut fluida in primis & ſecundis viis tempore quaſi conſtituto per conſuetudinis legem magis ſecernantur atque excernantur (§. anteced.?)

§. MDCXXXII.

Atque hoc jam ſuppoſito, quod in §. anteced. indicatum eſt: fieri omnino poterit, ut ſtato quodam tempore major etiam diſtenſio vaſorum in primis & ſecundis viis obtineat.

§. MDCXXXIII.

Quoniam vasa admodum debilitata ideo distenduntur facile, quia fluidis parum resistere valent, quæ in illorum cavitatibus continentur; istæque vasorum distensiones augeri debent, ob materiæ viscidæ accessiones ibidem factas: hinc etiam sequitur, fore, ut, oborta simili conditione in vasis primarum & secundarum viarum, simile quid ibidem eveniat.

§. MDCXXXIV.

Vasorum igitur in primis & secundis viis distensione, quæ sui originem consuetudini corporis debet, accedente ad illam, quæ ab eorum debilitate & materia viscida, ibidem hærente, dependet: necesse omnino erit, ut tunc etiam vasa ibidem distendantur ad gradum longe majorem. (§§. 1630, 1633.)

§. MDCXXXV.

Exinde intelligere jam licebit [§. anteced. quare nimirum in febribus intermittentibus satis ve hemens sit spasmus periphericus, ac prodire solea cum tensionibus quibusdam eminentibus circa scrobi culum cordis & regionem vel epigastricam, vel hy pogastricam, vel hypochondriacam [§. 1627. num 1 & 3?]

§. MDCXXXVI.

Quare tunc etiam febris accedet; intermitt deinceps, ejus caussa imminuta; sed redibit iterum temporis intercapedine accedentibus ad ejus caussa novis augmentis [§§. 1632, 1635.]

Magis hæc illustrabuntur in prælectionibus; ibidemque de conditione aliarum hypothesium differetur, quæ in scholis Medicorum obtinuerunt, ad explicandas intermissiones febriles, quibus se distinguit hoc febrium genus a reliquis.

§. MDCXXXVII.

Quod si ea, quæ de effectibus febrium generatim in peculiari quodam capite evicta jam prostant, rite applicentur ad febrium intermittentium genus; utpote quod & comitem sibi habet spasmum periphericum maximi gradus, & pro sui caussa agnoscit tam debilitatem in visceribus abdominalibus, quam materiam viscidam, quæ ibidem hæret. [§§. 1628 & 1629:] tunc etiam cognosci satis poterunt rationes eorum symptomatum, quæ in historia febrium intermittentium in genere describuntur [1627;] maxime, si ea hic conferantur simul, quæ de morbis viscerum abdominalium in diversis capitibus prolata exhibentur, neque etiam caussæ externæ negligantur, quarum accessione ad ægrotantium corpora febris commutationes momenti satis magni sæpius effici solent.

§. MDCXXXVIII.

Quoniam febrium intermittentium species per durationem intermissionis, sive tempus novæ accessionis febrilis a se ipsis distingui solent; neque ejusmodi quid aliunde magis provenire potest, quam a differentia partium, quæ præ reliquis sedem caussæ febrilis hic suppeditant [§§. 1628 & 1629:] hinc jam patebit, quorsum scilicet in febrium intermittentium doctrina speciali respiciendum sit.

§. MDCXXXIX.

Cognitio ſignorum pathognomicorum ſufficientium in febribus intermittentibus generatim redibit ad momenta ſequentia. Quod ſi jam aliquoties factæ fuerint in caſu obvio invaſiones febriles: tunc uſus definitionis harum febrium ſufficiens eſſe poterit, ad ſigna iſta invenienda [§§. 1336 & 1337.] Quando vero ſub prima acceſſione febrili ſcire jam certo velles, futurum eſſe, ut febris, quæ nunc modo invadit, ſubeat febrium intermittentium genus: tum id vel maxime cognoſcere licebit ex vehementia & diuturnitate ſpaſmi peripherici, quo febres intermittentes præ reliquis invadere ſolent; nec non ex illis tenſionibus, quæ durante hoc ſpaſmo peripherico prodeunt ad ſcrobiculum cordis vel regionem modo epigaſtricam, modo hypogaſtricam, modo hypochondriacam [§. 1627, *num.* 1 & 3;] tandemque etiam ex deprehenſis illis conditionibus corporis, ſub quibus febrium intermittentium fieri ſolet ortus [§§. 1628 & 1629.]

§. MDCLX.

Ad ſigna vero prognoſtica in eodem febrium genere cognoſcenda, conveniet jam notare ſequentia.

I. Hic etiam valebunt ea principia, quæ commemorata exſtant ad §. 1384, eaque conferenda cum iis, quæ enarrantur in §. 1627.

II. Quo majores, quo diuturniores reſpirationis oppreſſiones adeſſe deprehenduntur ſub frigore febrili: eo periculoſiores fieri poterunt febres intermittentes.

III. Quo major, quo longior æstus fuerit, qui frigus febrile insequitur; quo difficilius proveniat sudor, isque vel nimium parcus, vel largus fuerit: eo pejor conditio febrium intermittentium esse solet.

IV. Quo magis etiam fieri hic observetur, ut accessiones febriles admodum varient ratione temporis, earumque posteriores tam acerbitate, quam diuturnitate superare videantur antecedentes: tunc plerumque febres intermittentes transire solent in continuas.

V. Præsagitionis quoque parum bonæ erunt in febribus intermittentibus incommoda vertiginis, graves dolores capitis, vigiliæ, affectus soporosi, lipothymici, alienationes quædam mentis, aut ejus obliviosæ affectiones, nimia virium jactura.

VI. Bonus vero eventus in hoc febrium genere sperandus erit, si constantia quædam temporis observetur ratione invasionum febrilium; si istæ semper breviores ac leviores fieri deprehendantur, sub moderato successu illarum excretionum, quæ indicantur ad §. 1627. *numer.* 11.

CAPUT CLIV.
DE
FEBRE QUOTIDIANA.

§. MDCXLI.

FEbris *quotidiana* eſt febris intermittens, quæ quotidie redit, ita tamen, ut acceſſionis febrilis tempus ſibi non videatur reſpondere alternis diebus.

Ex eo enim, quando nimirum in febre intermittente, licet ea quotidie redeat, id accidere obſervatur, ut ejus invaſiones ratione temporis, quo illæ fiunt, alternis tantum diebus inter ſe conveniant, *tertiana* adeſſe putatur *duplex*, ſive *duplicata*.

§. MDCXLII.

Docent obſervationes, in febre quotidiana apparere phænomena ſequentia.

I. Invaſio febrilis tempore matutino fieri ſolet, & quidem hora ſexta vel ſeptima, imo adhuc citius in illo hominum genere, quod jentaculis uti adſuevit.

II. Durante frigore febrili, tenſiones ac oppreſſiones quædam incommodæ circa ſcrobiculum cordis magis oboriri ſentiuntur ab ægrotantibus.

III. Reliqua, quæ hic quoque annotanda forent, repetantur ex febrium intermittentium deſcriptione generali [§. 1627.]

§. MDCXLIII.

Febris quotidianæ caussa in ventriculo præsertim latere videtur [§§. 1628, 1629, 1638 & 1642, *numer.* 2.]

§. MDCXLIV.

Ea hic quoque valebunt, quæ in capite de febribus intermittentibus in genere proposita exstant.

§. MDCXLV.

Febris quotidianæ signa pathognomica sufficientia cognosci poterunt ex ejus definitione [§. 1641;] ex incommodis illis, quæ sub scrobiculo cordis, durante frigore febrili, percipiuntur [§. 1642. *numer.* 2;] non neglectis etiam hic iis, quæ in §. 1639. exponuntur.

MDCXLVI.

Prognosi vero in eadem febris intermittentis specie satis quoque respondebunt ea, quæ prolata jam sunt ad §. 1640.

CAPUT CLV.

DE FEBRE TERTIANA.

§. MDCXLVII.

FEbris *tertiana* dicitur ea febris intermittentis species, quæ quovis die tertio iterum redit; sive, ubi duas invasiones febriles intercedere observatur unus dies a febre vacuus.

§. MDCXLVIII.

De conditione phænomenorum, in eadem febris intermittentis specie prodeuntium sequentia ex observationibus constant.

I. Accessiones febriles solent hic fieri ante meridiem, & quidem circa solitum tempus prandendi.

II. Sub frigore febrili ægrotantes percipiunt tensionum incommoda, quæ initio in regione magis epigastrica, vel hypogastrica, vel hypochondriaca adesse, deinceps vero ad cordis quoque scrobiculum sese extendere videntur.

III. Supereſt, ut ea hic quoque notentur, quæ generatim descripta febrium intermittentium historia in se continet [§. 1627.]

§. MDCXLIX.

Sedes caussæ febris tertianæ in duodeno iisque visceribus, quæ cum vena portarum nexum subeunt,

collocanda esse videtur [§§. 1628, 1629, 1638 & 1648. *numer.* 2.]

§. MCDL.

Ex observationibus etiam cognoscere licuit multoties, febrem tertianam, largiter admissis caussis, quæ valida vi adstringendi pollent, facile transiisse in hydropem, scirrhos viscerum; eamdemque a gravibus sanguinis commotionibus in varias febrium inflammatoriarum species quandoque commutatam fuisse.

§. MDCLI.

Atque hoc quoque loco ea valorem habebunt suum, quæ in capite de febribus intermittentibus in genere continentur.

§. MDCLII.

Febris tertianæ signa pathognomica sufficientia esse poterunt, præter generalia, quæ in §. 1639. annotata sunt, ejus definitio [§. 1647;] incommoda tensionum sub frigore febrili, percepta prius ad regionem epigastricam, vel hypogastricam, vel hypochondriacam, deinde vero circa scrobiculum [§. 1648. *numer.* 2.]

§. MDCLIII.

Signa vero prognostica in eadem febre satis poterunt cognosci ex §§. 1640 & 1650.

CAPUT CLVI.

DE FEBRE QUARTANA.

§. MDCLIV.

F*Ebris quartana* vocari ſolet ea febrium intermittentium ſpecies, quæ quovis die quarto iterum redit; ſive, ubi inter duas acceſſiones febriles biduum interjici deprehenditur a febre vacuum.

§. MDCLV.

Teſtantur obſervationes, quod in febre quartana, præter ea, quæ jam indicata exhibentur in generali febrium intermittentium deſcriptione [§. 1627,] ſequentia prodire ſoleant phænomena.

I. Invaſiones febriles a meridie intra horam quartam & ſextam fiunt; atque hunc typum quartana ſervat conſtantius, quam aliæ febrium intermittentium ſpecies.

II. Sæviente frigore febrili, prodeunt tenſiones ad vertebras prius lumbares, mox extenduntur ad vertebras dorſales; neque etiam deficiunt ſimilium tenſionum moleſtæ perceptiones ad hypochondria atque in profundo abdominis.

§. MDCLVI.

Febris quartanæ cauſſa reſidere videtur in meſenterio, nec non in aliis viſceribus, cum vena por-

tarum connexis (§§. 1628, 1629, 1638 & 1655. *numer.* 2.)

§. MDCLVII.

Observationum quoque testimonio sæpius comprobatum est, quod febris quartana deprehensa fuerit proficua hypochondriacis, hystericis, infantibus atrophicis; quod eadem degeneraverit in febrem lentam ac hecticam, similisque tandem conditionis cum ea fuerit, quæ de febre tertiana annotata est in §. 1650.

§. MDCLVIII.

Neque etiam minus ea hic valebunt, quæ in capite quodam peculiari de febribus intermittentibus generatim exposita sunt.

§. MDCLIX.

De signis pathognomicis sufficientibus in febre quartana satis constare poterit partim ex iis, quæ ratione horum signorum in febribus intermittentibus generatim prolata sunt in §. 1639, partim ex hujus speciei febris definitione, recte ad casum applicata (1654;) partim ex invasionis tempore, quod eadem febris species præ reliquis constanter servare solet (§. 1655. *numer.* 1;) tandemque etiam ex tensionibus illis, quæ sub ejusdem febris accessione vertebras lumbares occupare prius, deinceps ulterius progredi observantur (§. citat. *numer.* 2.)

§. MDCLX.

Prognosis vero cognitioni in eadem febris intermittentis specie satis respondebunt ea, quæ continentur in §§. 1640 & 1657.

CAPUT CLVII.

DE

FEBRIUM INTERMITTENTIUM SPECIEBUS RARIORIBUS.

§. MDCLXI.

EX observationibus constitit, obortas quandoque fuisse febres intermittentes, quarum accessionibus duabus plures dies, quam duo interveniebant vacui a febre: tres nimirum, vel quatuor, aut his etiam plures. Pro ratione adeoque numeri hujus, solito auctioris, ad quem in casibus febrium intermittentium reducere licebit intercedentes dies a febre vacuos: prodibunt inde earumdem febrium species quædam peculiares (§. 1638,) jam dicendæ mox *quintanæ*, mox *sextanæ* & sic ulterius.

§. MDCLXII.

Observationibus haud parum respondere videtur, si ejusmodi febrium intermittentium species (§. anteced.) ad quotidianam reducantur, quæ post sui primam invasionem soluta quidem est, sed intervallo trium, quatuor aut plurium dierum, ab accedenti-

bus caussis internis, vel externis iterum excitata (§. 1643.)

§. MDCLXIII.

Quæ hic dicenda forent de effectibus, diagnosi ac prognosi in istis febrium speciebus: ea intelligi poterunt ex antecedentibus capitibus, ubi de febribus intermittentibus, tam in genere, quam in specie sermo erat.

CAPUT CLVIII.

DE

COMMOTIONIBUS SIVE MOTIBUS FEBRILIBUS.

§. MDCLXIV.

Commotiones febriles momentaneæ quasi durationis febrem supponunt, fiuntque per existentiam unius atque alterius, quod ad febrem requiritur [§. 238,] conspicuæ. Necesse igitur erit, ut, subortis motibus febrilibus, phænomena febris mox prodeant, mox evanescant, mox etiam possint iterum redire.

§. MDCLXV.

Quo frequentius incidunt commotiones febriles; quo longioris durationis eædem fieri deprehenduntur: eo minus dubitandum erit fore, ut inde prodeat certa species febris, quam reducere licebit ad

unum atque alterum capitum antecedentium, in quibus de ſpeciebus febrium differentibus actum erat [§§. 1368, 1371 & 1372.] Quod etiam obſervationes confirmant.

§. MDCLXVI.

Quibus vero morbis ſe adjungere ſoleant commotiones febriles: id ſatis cognitum eſſe poterit ex iis, quæ hactenus de morborum tot ſpeciebus propoſita jam ſunt in compluribus capitibus. Etenim huc ſpectabunt præcipue morbi, qui ad ſpaſmorum genus pertinent; qui ex viſcido, ſpiſſo, putrido, acri oriuntur; qui in primis viis reſident; qui denique ſupervenire ſolent congeſtionibus humorum ſolutionibus continui, excretionibus auctis, imminutis aut plane ſuppreſſis.

§. MDCLXVII.

Hinc jam facile colligere licebit ad commotionum febrilium effectus varios, ſigna tam pathognomica, quam prognoſtica [§§. 1665 & 1666.

Libri ſecundi de morbis compoſitis.

FINIS.

LIBER

LIBER TERTIUS
DE
MORBIS COMPLICATIS.

CAPUT I.
DE
MORBIS COMPLICATIS IN GENERE.

§. MDCLXVII.

Fieri poteſt, ut morbi chronici cum chronicis, acuti cum acutis, chronici cum acutis, acuti cum chronicis complicentur; ſive illi fuerint maligni, ſive benigni (§§. *proleg.* 37, 46 & 77.)

Continetur in hoc §. fundamentum, cui innituntur morborum complicatorum notiones efformandæ, quarum ope illos reducere liceret ad ſua genera & ſpecies. Quoniam vero hoc ſtudium ad ſyſtema magis completum Pathologiæ, quam ejus elementa, pertinet: eo potius nunc enitendum erit, ut, ſtabilitis antea principiis quibuſdam generalibus, quæ inſervire poterunt cognitioni morborum complicatorum magis augendæ, de eorumdem notioribus ac ſatis frequentibus ſpeciebus agatur; talique modo fides data ſimul liberetur (§. 43. *proleg.*)

§. MDCLXIX.

Si cum uno vel altero morbo chronico maligno complicatur unus vel alter morbus acutus benignus : iste quoque malignitatis aliquid præ se feret : atque eo malignior erit, si ad eumdem producendum aliæ simul caussæ, præter morbum malignum chronicum, accesserint (§§. *proleg.* 37, 46, 77, 126, 132.)

§. MDCLXX.

Videre exinde licebit (§. anteced.) quorsum scilicet referri debeant febres acutæ scorbuticorum, venereorum, scabie infectorum, aut ulceribus putridis obnoxiorum ; præsertim tempore epidemicæ grassationis.

§. MDCLXXI.

Si cum morbo chronico benigno complicatur morbus acutus malignus : necesse tum erit, ut in illis partibus, quæ a morbo chronico benigno præcipue afficiebantur, inflammatio oriatur; eaque suborta species quædam febrium inflammatoriarum generentur ; atque ideo increscant complicationes morborum acutorum (§§. *proleg.* 37, 46, 77, 80, 81.)

§. MDCLXXII.

Ex §. anteced. conspicua jam erit ratio ; unde fiat, ut, oborta nimirum febre acuta maligna, hypochondriaci ac hystericæ tam facile subjaceant hepatitidi, splenitidi, nephritidi, causo, febri inflammatoriæ intestinali aut mesentericæ ; vel phrenitis

prodire soleat in eo hominum genere, quod frequentibus humorum congestionibus ad caput obtemperare cogitur; vel febris inflammatoria uterina haud raro eveniat puerperis, aut etiam feminis aliis, quæ obnoxiæ sunt hæmorrhagiis uteri, vel fluxus menstrui anomaliis.

§. MDCLXXIII.

Si duo aut plures morbi, sive chronici, sive acuti, iique vel benigni, vel maligni, inter se complicantur; quorum autem quilibet per se consideratus rationem sufficientem unius vel alterius symptomatis in se continet: tunc erit necesse, ut ista symptomata communia eo acerbiora fiant, quo plures morbi ad sui complicationem accesserint (§§. *proleg.* 37, 46, 77.)

§. MDCLXXIV.

Ex §. anteced. intelligi facile poterit ratio, quare scilicet effectus ab humorum congestionibus ad caput eo magis angere soleant ægrotantes, quo plures in iisdem febrium species oboriuntur; aut febres cum aliis morbis complicantur, in quibus non deficiunt humorum congestiones ad caput, exemplo plethoræ, spasmorum, pluriumque aliorum morborum.

§. MDCLXXV.

Ex duorum aut plurium morborum idiopathicorum compositione constat morbus complicatus (§. 37. *proleg.*) Hinc fieri poterit, ut pro differentia tam temporis, quo unus morbus idiopathicus ad alium accedit, quam etiam generis, cui subsunt

morborum idiopathicorum ſpecies, quæ ad complicationem concurunt, morbus complicatus quandoque apparet atypicus eſſe (§. 64. *proleg.*) ob morborum nempe idiopathicorum, qui ad complicationem in caſu efficiendam conveniunt, typos inter ſe collidentes. Sed tunc exceptiones erunt neceſſariæ, quæ ad typum morbi complicati pertinebunt (§. 68. *proleg.*) Unde jam perſpicuum ſatis erit, quod ad notionem completam morbi complicati conſequendam requiratur, ut ejus typum intelligas; quo etiam modo cognitionem iſtam tibi comparare debens (§. 69. *proleg.*)

§. MDCLXXVI.

Morborum ſolutiones naturales (§. 45. *proleg.*) conſiderari debent inſtar effectuum, qui ab iiſdem in corporibus ægrotantibus ſponte provenire ſolent. Si itaque complicatio ex morbis oritur, quorum quilibet uno eodemque modo ſolvitur: ſolutio morbi ita complicati majorem gradum nanciſcetur, quo plures ejuſmodi morbi idiopathici ad formandam complicationem concurrunt; quum illorum unus huic ſpeciei ſolutionis ſufficeret. Sin autem complicatio ex morbis conſtat, quorum quilibet proprio ſibi modo ſolvitur: tunc morbi hujus complicati ſolutiones ſenſim ſenſimque fient, nec increſcent; niſi forte id contingat, ut vel admittantur cauſſæ quædam externæ, vel unius morbi idiopathici ſymptomata quædam ad certum gradum perveniant, quibus ad alterius morbi idiopathici, qui in caſu præſente complicationis adeſt, ſolutionem magis promovendam, auctæ quaſi vires accedunt; quibuſcum obſervationes probe conveniunt.

§. MDCLXXVII.

Morborum complicatorum ſigna ſufficientia tam pathognomica, quam prognoſtica, in genere conſtabunt ex ſignis iiſdem, a quibus cujuslibet morbi idiopathici, nunc jam præſentis in complicatione, diagnoſis & prognoſis petitur. Quare ex libro præcedente, in quo de morbis compoſitis ſermo erat, hîc pertinentia loca conferenda erunt; non neglectis iis, quæ de morborum complicatorum ſolutionibus generatim dicta ſunt in §. anteced.

CAPUT II.

DE FEBRIBUS COMPLICATIS IN GENERE.

§. MDCLXXVIII.

F*Ebris complicata* dicitur in genere febris compoſita ex duabus aut pluribus ſui ſpeciebus.

§. MDCLXXIX.

Differunt febres inter ſe tam ratione generum (§§. 1337, 1385, 1406 & 1627,) quam etiam ratione ſpecierum, quæ ita generibus ſuis ſubſtant, ut earum una, in relatione ad alteram, ſpectari poſſit tamquam morbus modo major, modo minor (§. 72. *proleg.*) id quod ſatis evidens fieri poterit ex illorum capitum comparatione accurate inter ſe inſtituta, ubi libro præcedente diſputatum erat de febrium diverſis ſpeciebus. Unde jam con-

ſequitur: fore, ut febrium complicatarum caſus ratione gravitatis, vel levitatis inter ſe diſcrepent mirifice; ſemper vero reduci poſſint ad generale principium conſtituendi, genera ac ſpecies morborum complicatorum [§. 1668.]

§. MDCLXXX.

Quoniam febris complicata duas aut plures ſui ſpecies requirit, quæ ſimul adeſſe debent in corpore ægrotante [§. 1678:] ſequitur, ut illum oporteat febris indolem quoad ſingulas ſui ſpecies probe perſpectam habere, qui velit recte febrium complicatarum naturam intelligere. Huic igitur ſtudio inſervire quoque poterunt ea, quæ in peculiaribus capitibus libri præcedentis de febrium generibus ac ſpeciebus propoſita jam exſtant.

§. MDCLXXXI.

Duabus aut pluribus febrium ſpeciebus in corpore quodam ægrotante ſimul exiſtentibus, major quoque morbus ibidem aderit [§. 62. *proleg.*] quam ſi una tantum ex iiſdem ſpeciebus febrium adeſſet. Omnis itaque febris complicata, quæ in caſu quodam obvio ſuboritur, erit morbus major febre ſimplice [§. 1678.]

§. MDCLXXXII.

Quare etiam ſymptomata majoris gradus erunt in febribus complicatis, quam in febribus ſimplicibus [§. anteced.]

§. MDCLXXXIII.

Omnis morbus cauſſam aliquam ſibi præſentem vindicat; qua ceſſante, ceſſabit quoque morbus, qui ab illa dependebat; & morbo iſto adhuc exiſtente, perdurare etiam debet ejus cauſſa [§§. *proleg.* 133 & 134.] Singularum itaque ſpecierum febris, quæ ad formandam ſui complicationem in corpore ægrotantis cujuſdam concurrunt, cauſſæ ibidem ineſſe debent [§. 1678,] quibus cognitis, cognoſcere quoque licebit febris complicatæ caſum oborturn. Quare hîc conferre juvabit libri præcedentis ea capita, in quibus de febrium ſpeciebus diverſis actum erat.

§. MDCLXXXIV.

Febris complicata homogenea, ſive *ejuſdem ordinis* erit illa, quæ ex meris febrium ſpeciebus componitur, eidem generi ſubſtantibus. Huic febri opponere jam licebit *febrem complicatam heterogeneam*, ſive *diverſi ordinis.*

§. MDCLXXXV.

Febris complicata harmonica, ſive *conſona* dici poterit, ſi ſingulæ febris ſpecies, quæ complicationi inſunt, hujus conditionis fuerint, ut earum invaſiones febriles uno ſemper tempore fieri deprehendantur. Cujus indolis febri opponenda jam erit *febris complicata diſſona*, ſive *minus harmonica.*

§. MDCLXXXVI.

Febris complicata ſynchrona, ſive *ſynchronica* vocanda erit febris, ſub cujus ſtatim initio omnes atque ſingulas ſpecies febrium, quæ complicationi inſunt, ortas eſſe deprehendere licet. Sed hujus condi-

tionis febri opponi jam poterit *febris complicata heterochrona*, five *polychronica*.

§. MDCLXXXVII.

Spafmus periphericus, quocum invafiones febriles fieri folent, ad majorem gradum prodibit in febre complicata harmonica, quam in diffona (§. 1685, una cum effectibus, qui inde in corpore febriente dependent, fimiliter auctis (§§. 1346, 1347, 1681 & 1682.)

§. MDCLXXXVIII.

Reditus fpafmi peripherici in febre complicata diffona fæpius fiet intra quemcumque paroxyfmum, quam una vice; contraria vero ratione fe res habebit cum ejufdem fpafmi reverfione in febre complicata confona (§. 1685.)

§. MDCLXXXIX.

Hinc neceffe erit, ut in ægrotantibus ex febre complicata diffona interrumpatur feries illorum effectuum, qui in fecundo ftadio febrili prodire folent (§. 1363 & 1364.

§. MDCXC.

Quare tunc etiam fieri poterit (§. anteced.) ut ob frequentes iftas reverfiones fpafmi peripherici in febribus complicatis minus harmonicis fæpius oboriantur tranfpirationis fuppreffiones; nec raro deprehendantur fudores frigidi, una cum caloris & frigoris per vices fucceffionibus.

Hujus loci videtur esse febris illa, quam dicere solent *horridam*, sive *algidam*, & in qua frigoris ac caloris incommoda frequenter inter se alternare observantur.

§. MDCXCI.

Quod si febris complicata dissona ex illis febrium speciebus constaret, quarum solutio salutaris non nisi per eccrisin vel metastasin periphericam fieri potest, tunc erit necesse, ut hæc solutio febris impediatur ad complicationem istam febrilem majora accedant augmenta; totus denique morbus eventum funestum eo facilius nanciscatur, si in hoc complicationis casu simul adfuerit una atque altera species febris malignæ (§. anteced.)

§. MDCXCII.

Duas aut plures febrium species, quæ in casu quodam simul adesse debent, sibi vindicat febris complicata (§. 1678.) Cujus ideoque typus necessario erit compositus.

§. MDCXCIII.

Typus febris complicatæ harmonicæ respondebit typo febris simplicis [§. 1685;] præcipue, si illa simul fuerit homogenea [§. 1684.]

§. MDCXCIV.

Omnis vero febris complicata dissona, in relatione ad typum febris simplicis, tibi apparebit tamquam febris a typica [§. 1685;] idque eo magis, si illa simul fuerit heterogenea [§. 1684.]

§. MDCXCV.

Singulæ febrium species, concurrentes ad producendam febrem complicatam dissonam, inter se collident [§. anteced.] Ex collisionibus vero nascuntur exceptiones; quarum complexus utique pertinebit ad typum febris complicatæ minus harmonicæ in casu obvio [§. 68. *proleg.*] Atque ita omnis febris complicata dissona erit revera febris typica; quamvis eadem simul fuerit diversi ordinis.

§. MDCXCVI.

Typus in febre complicata synchrona statim prodibit sub morbi initio; in heterochrona vero non nisi sub ejus progressu [§. 1686.]

§. MDCXCVII.

Si igitur ab illa relatione discesseris, quam febres complicatæ synchronæ vel heterochronæ ad tempus habent, quo eædem scilicet utuntur ad sui decursum: tunc in earum typo nihil mutari deprehendes; quamvis eædem referantur ad casus, in §§. 1693 & 1694. propositos.

§. MDCXCVIII.

Febris complicatæ typo distincte intellecto, illius quoque initium, incrementum, statum & declinationem recte cognoscere licebit [§§. 62. *proleg.* 64. *proleg.* 1692.]

§. MDCXCIX.

Quo magis itaque typus febris complicatæ cum typo febris simplicis in casibus obviis deprehenditur

convenire: eo magis illa quoque conſentiet ratione initii, incrementi, ſtatus ac decrementi cum febre ſimplice. Quo magis vero typus febris complicatæ a typo febris ſimplicis abhorrere videtur in caſibus ſubnatis: eo major hîc quoque differentia obtinebit, nec difficultate tunc carebit, cognoſcendi initium, incrementum, ſtatum & declinationem febris complicatæ (§. anteced.)

§. MDCC.

Aliter itaque comparatum erit cum initio, incremento, ſtatu ac decremento in febre complicata homogenea, harmonica, ſynchrona, alter in heterogenea, diſſona, heterochrona. In caſu priore cognitio iſtius rei facilior erit; difficilior vero in caſu poſteriore (§§. 1692, 1699.)

§. MDCCI.

Signa pathognomica ſufficientia febris complicatæ componuntur ex ſignis ſingularum febris ſpecierum, concurrentium ad illius ortum (§. 1678.)

§. MDCCII.

Ex §. anteced. ſatis intelligere licebit, quibus nempe fundamentis innitatur cognitio ſignorum pathognomicorum ſufficientium in febribus complicatis generatim [§. 1680.]

§. MDCCIII.

Signa vero prognoſtica febris complicatæ generatim inventurus, ut illius qualitatem & quanti-

tatem recte intelligat, omnem det operam (§. 1678.)

§. MDCCIV.

Quare jam ex §. anteced. constare satis poterit, quod, præter singularum febris specierum, existentium in casu complicationis, solidam cognitionem, opus sit, ut ad symptomatum acerbitatem, quæ generatim major est in febribus complicatis (§. 1682,) quam in simplicibus, animum dirigas tuum; ut rationem habeas organorum vitalium, quantum scilicet illa inde afficiantur; ut hæc singula denique compares cum iis locis, in quibus de solutionibus harumque variis commutationibus, quæ generatim in febribus complicatis aliisque morborum complicationibus oboriri solent, sermo intercurrebat [§. 1676 & 1691.] Unde jam fluent propositiones sequentes, præ reliquis hinc notandæ,

I. Quo magis in febribus complicatis adesse observantur respirationis oppressiones, vigiliæ, affectus soporosi, deliria, virium debilitas: eo magis periculosus erit status ægrotantium.

II. Quo magis excretiones illæ febriles, quarum ortus in febre simplice ejus solutionem salutarem efficere solet, in febribus quoque complicatis deprehenduntur inter se convenire ratione ejusdem speciei, decentis quantitatis & temporis, quo fiunt: eo melior conditio ægrotantium erit.

III. Febres complicatæ, quæ simul sunt homogeneæ, harmonicæ ac synchronæ, indolis melioris erunt, in relatione ad sibi oppositas [§§. 1684, 1686.]

CAPUT III.

DE

SYNOCHO PUTRIDA.

§. MDCCV.

SYnochus putrida eſt febris complicata, conſtans ex febre continente, atque una vel altera ſpecie febris continuæ acutæ.

§. MDCCVI.

Symptomata, quæ in ſynocho putrida prodire ſolent, inter ſe different, tam reſpectu magnitudinis quam qualitatis; neque aliunde dependebit hæc diverſitas ſymptomatum, quam a diverſis ſpeciebus febrium, tam continentium, quam continuarum acutarum, quæ in caſu ſuborto inter ſe complicantur [§. anteced.]

§. MDCCVII.

Synochi putridæ caſus different quidem inter ſe, pertinebunt vero omnes ad morborum acutorum complicationes cum acutis, iiſque mox benignis, mox malignis [§. 1705.]

§. MDCCVIII.

Quæcumque in peculiaribus quibuſdam [§§. dicta jam ſunt de ſymptomatum communium in morbis generatim complicatis exacerbationibus [§§. 1673 & 1674;] de ſolutionibus, quæ in

eodem morborum genere evenire ſolent [§. 1676;] de ſymptomatibus febrium complicatarum in genere majoris gradus §. 1682,] de earumdem febrium cauſſa (§. 1683;] de rariore aut frequentiore reditu ſpaſmi peripherici, qui ibidem fieri poteſt, illiusque efficacia [§§. 1687, 1691;] de typi tandem conditionibus in eodem febrium genere [§§. 1692, 1700:] ea omnia de caſibus quoque ſynochi putridæ [§. 1705.] in ſpecie notare conveniet.

§. MDCCIX.

Synochi putridæ ſolutio longiſſime intra unum ſeptenarium contingit, & quidem ita, ut febres continuæ acutæ, hic ſimul exiſtentes, ſoluta febre continente, vel ſtatim abſorbeantur, vel ſolæ intra ſequens ſeptenarium ſolvendæ relinquantur (§§. 1385. *numer.* 7. 1406. *numer.* 7. 1705.)

§. MDCCX.

Quod ſi in ſynocho putrida una atque altera ſpecies febrium continuarum acutarum adfuerit, de qua conſtitit, eamdem ſalutariter ſolvi per largos ſudores; iique jam ſubſequantur, & quidem in primo ſeptenario; fieri tunc poterit, ut integræ hujus complicationis febrilis ſimul oboriatur ſolutio ſalutaris (§. 1385. *numer.* 6 & 7.)

§. MDCCXI.

Quando una atque altera ſpecies febrium inflammatoriarum ad ſynochum putridam in caſu ali-

quo efficiendam concurrit: obortis intra tempus primi ſeptenarii copioſis ſudoribus, aut larga hæmorrhagia, tota hæc complicatio febrilis uno tempore ſolvi poterit ſalutariter (§§. 1385. *numer.* 6 & 7. 1414. *numer.* 5 & 6.)

§. MDCCXII.

Exiſtente febre maligna in ea complicatione febrili, quæ ſynochum putridam conſtituit: fieri poterit, ut hæmorrhagia ibidem oborta facile excedat; neque exigua impedimenta inde redeant ad ſalutarem ſolutionem febris malignæ, præſertim exanthematicæ (§§. 1385. *numer.* 6. 1552, 1553, 1691 & 1705.)

§. MDCCXIII.

Ad caſum itaque in §. anteced. propoſitum, facilis erit acceſſio febris inflammatoriæ, qua plerumque effici ſolet, ut tota hæc morbi complicatio funeſtum eventum nanciſcatur (§. 1547. *numer.* 12.)

§. MDCCXIV.

Synochi putridæ ſigna pathognomica ſufficientia in genere erunt pulſus magni in principio morbi deprehenſiones; nullæ remiſſiones paroxyſmorum febrilium, ſpaſmus periphericus intra viginti quatuor horas rediens; una cum ſignis febrium continuarum acutarum ſupra evictis, tam in genere, quam in ſpecie [§§. 1389, 1408 & 1705.] Quare præter pulſum magnum in principio febris obſervatum, remiſſiones paroxyſmorum fe-

brilium nullas, tandemque ſpaſmum periphericum intra viginti quatuor horas redeuntem, in ſynochi putridæ caſibus phænomenorum ſequentium deprehendere licebit unum atque alterum. Si hîc nempe adfuerit febris inflammatoria, tunc in urinis cuticula cærulea apparebit, neque ſimul deficient doloris ardentis perceptiones (§. 1416;) ſi biliosa, prodibunt ſodæ ac ſaporis amaricantis incommoda (§. 1538;) ſi catarrhalis, non deerunt catarrhi phænomena (§. 1544;) ſi maligna, conſpicuæ tunc ſatis erunt virium proſtrationes, nec non anxietates præcordiorum; una cum exhalationibus putridis, quæ prodeunt e corporibus febrientibus (§. 1555.)

§. MDCCXV.

Ad prognoſin denique quod in ſynocho putrida attinet: hic jam ſufficere poterit eorum recta ad caſum applicatio, quæ propoſita exſtant in §§. 1703, 1704, 1709, 1713.

CAPUT

CAPUT IV.

DE FEBRIBUS COMPOSITIS EX ACUTA PERIODO.

§. MDCCXVI.

F*Ebres compositæ ex acuta periodo* dicuntur febres complicatæ, quæ ex conjunctione febrium continuarum acutarum vel inter se, vel cum febre continente, prodeunt.

§. MDCCXVII.

Quarum febrium symptomata inter se quoque discrepabunt, partim quoad gradum, partim etiam quoad qualitatem; hujusque differentiæ ratio sita erit in diversis speciebus febrium acutarum, tam continuarum, quam continentium, quæ ad sui complicationem in casu obvio concurrunt (§. anteced.)

§. MCCXVIII.

Omnes itaque casus febrium compositarum ex acuta periodo referendi erunt ad morborum complicatorum genus, quod oritur ex conjunctionibus duorum aut plurium morborum acutorum inter se; sive iidem fuerint benigni, sive maligni (§. 1716.)

§. MDCCXIX.

Sed ille casus febrium compositarum ex acuta periodo, qui febris continentis ad se accessionem sibi

vindicat, per phænomena febris continuæ acutæ ea antecedentia, quæ febri continenti competunt, a fynocho putrida diftinguitur; utpote in qua febris continentis phænomena prius prodire debent, quam febris continuæ acutæ (§§. 1705 & 1716.)

§. MDCCXX.

Obortis illis cafibus febrium compofitarum ex acuta periodo, in quibus, præter febres continuas acutas, febris continens fimul adeffe deprehenditur; ejufdem acceffio ad febres prioris indolis poft iftarum initia mox fiat, neceffe erit (§§. 1385. *num.* 7. 1387. 1406. *num.* 7.) Quocum etiam obfervationes confentiunt.

§. MDCCXXI.

Si in eo cafu complicationis, qui ad febres compofitas ex acuta periodo pertinet, adfuerit maligna cum biliofa, hujufque cauffa oboriatur diarrhœa; facile tunc fieri poterit, ut, febre inflammatoria inteftinali accenfa, tota hæc morbi complicatio per mortem folvatur (§§. 1534. *numer.* 5 & 6 1547. *numer.* 12.)

§. MDCCXXII.

Poterunt hic quoque locum habere fuum cafus, propofiti in §§. 1710-1713.

§. MDCCXXIII.

Simulque etiam ea hîc transferenda erunt, quæ annotata in §. 1708. jam exftant.

§. MDCCXXIV.

Febrium in genere compoſitarum ex acuta periodo ſigna pathognomica ſufficientia, redibunt ad eadem, per quæ tam febres continentes, quam etiam continuæ acutæ generatim dignoſcuntur (§§. 1389. 1408. 1716.) In ſpecie vero hîc notari meretur, quod febris continentis, ſi eadem adfuerit in iſto febrium complicatarum genere, dignotio ex pulſu magno tunc fieri ſoleat maxime conſpicua, quando febres continuæ acutæ, hîc æque exiſtentes, remittunt; atque harum ſigna cum iis quoque conveniant, quæ citantur ad §§. 1714. & 1719.

§. MDCCXXV.

Prognoſi vero in eodem febrium complicatarum genere ſufficere poterunt accuratæ eorum applicationes ad caſum, quæ indicantur in §§. 1704. 1715 & 1721.

CAPUT V.

DE

FEBRE TERTIANA CONTINUA.

§. MDCCXXVI.

F*Ebris tertiana continua* eſt febris complicata, conſtans ex febre tertiana & continua quacumque.

§. MDCCXXVII.

Ergo tertiana continua ſpectari poterit ut morbus complicatus, qui oritur ex conjunctione vel morbi chronici cum chronico, vel chronici cum acuto, eoque aut benigno, aut maligno (§§. 1406. *numer.* 7. 1546 & 1726.)

§. MDCCXXVIII.

Differentes ideoque caſus erunt febris tertianæ continuæ; pro ratione nimirum diverſa ſpecierum febrium continuarum, quæ hîc cum certa aliqua febris intermittentis ſpecie complicantur (§§. 1726 & 1727.)

§. MDCCXXIX.

Quoniam longe majoris gradus ac durationis eſſe obſervatur ſpaſmus periphericus in febribus intermittentibus, quam in continuis (§§. 1406. *num.* 1. & 1627. *num.* 1.); ſequitur, fore, ut ſpaſmus periphericus, qui in tertiana continua alternis diebus oboritur, duratione & magnitudine illum ſuperet, qui quotidie prodire ſolet, ob febris continuæ in eodem complicationis caſu exiſtentiam (§. 1726.) Quod etiam probatur ſenſuum judicio.

§. MDCCXXX.

Hinc etiam illo tempore, quo ſpaſmi hujus peripherici vehementia fit conſpicua (§. anteced.), angores cordis multo majoris gradus erunt, quam alias; iique ſupra modum excedentes, ſi febris maligna in complicationis caſu eodem ſimul adfuerit

(§§. 1346. 1347. 1352. 1547. *num.* 3.) Atque id quoque congruum eſt cum judicio ſenſuum.

§. MDCCXXXI.

Si in tertiana continua adfuerit una vel altera ſpecies febris continuæ acutæ, ſalutariter ſolvendæ per ſudores; neceſſe tum erit, ut iſta ſalutaris ſolutio impediatur (§. 1729.) Quod ſimiliter probant obſervationes.

§. MDCCXXXII.

Quando tertianæ continuæ una atque altera ſpecies febris malignæ, præcipue exanthematicæ, juncta eſſe deprehenditur; metuendus tunc erit inflammationis facilis ortus in iis locis corporis, quæ ſedem ſuppeditant cauſſæ febris tertianæ (§§. 1649. 1671.) Quibus apprime reſpondent obſervationes.

§. MDCCXXXIII.

Tunc igitur increſcet hæc febris complicatio, ob accedentes ad eam febrium inflammatoriarum ſpecies nunc jam ortas; eventu morbi funeſto plerumque inſequente (§§. 1547. *num.* 12. & 1732.)

§. MDCCXXXIV.

Obſervationum fide conſtitit, in caſibus febris tertianæ continuæ plerumque fieri, ut morbus magis increſcat, exiſtente nimirum in complicatione febre continua chronica; ſalutariter vero ſolvatur, febre continua acuta, quæ ibidem aderat, bene ſoluta.

§. MDCCXXXV.

Quæ in §. 1708. annotata exhibentur, ea hic quoque transferenda erunt.

§. MDCCXXXVI.

Signa pathognomica ſufficientia in febre tertiana continua ſuppeditabunt ſpaſmi peripherici fortioris perceptiones alternis diebus obortæ, una cum tenſionibus tunc ſimul prodeuntibus in regione epigaſtrica, hypogaſtrica, deinde vero occupantibus quoque loca ad ſcrobiculum cordis (§. 1652.) Quibus inſuper accedere debent ſigna, per quæ febres continuæ tam in genere, quam in ſpecie, a reliquis diſtinguuntur (§. 1726.) Quare hoc jam loco conferenda erunt ea, quæ indicantur in §§. 1408. 1416. 1538. 1544. 1555 & 1625.

§. MDCCXXXVII.

Ratione tandem prognoſis ſatis cognoſcendæ in febre tertiana continua; notanda jam erunt, quæ ſequuntur.

I. Opus erit, ut de vera conditione caſus, oborti circa hanc febris complicationem, certus fias; id quod ita obtineri poterit, ſi efficias, ut tibi per ſigna convenientia, eaque in §. anteced. allegata, ſatis conſtet de febrium continuarum ſpeciebus, præſentibus in caſu complicationis (§§. 1726- 1728.)

II. Quo jam modo cognita comparentur cum principiis, quibus febrium continuarum ac in-

termittentium innititur prognosis (§§. 1409 & 1640.); iisdem porro reductis ad ea, quæ in §. 1704. exponuntur.

III. Tandem & ea hîc considerare oportebit, quæ indicantur in §§. 1729 - 1734.

CAPUT VI.

DE

FEBRE QUARTANA CONTINUA.

§. MDCCXXXVIII.

FEbris *quartana continua* est febris complicata, constans ex febre quartana & continua quacumque.

§. MDCCXXXIX.

Quæ in capite præcedente de febre tertiana continua traduntur, ea quoque febri quartanæ continuæ passim competunt; nisi quod post interpositum biduum, adeoque die semper quarto, spasmi peripherici major gradus hic prodeat; eoque tandem præsente, tensionum incommoda prius oboriantur circa vertebras lumbares, mox vero se extendant ulterius (§§. 1654. 1655 & 1738.)

CAPUT VII.

DE FEBRE QUOTIDIANA CONTINUA.

§. MDCCXL.

Febris quotidiana continua vocatur ea febris complicatæ species, quæ oritur ex conjunctione febris quotidianæ cum continua quacumque.

§. MDCCXLI.

Ceterum, hanc quoque febris speciem reducere licebit ad caput febris tertianæ continuæ; ea tamen cum differentia, ut spasmus ille periphericus auctioris gradus hic quotidie compareat, cum tensionum molestiis, circa scrobiculum cordis magis provenientibus [§§. 1641. 1642 & 1740.]

Ex conjunctione febris vel quotidianæ continuæ cum tertiana, vel continuæ cujuscumque cum tertiana duplici, oriri quandoque observatur febris, quæ *hemitritæa*, sive *semitertiana* dici solet; unde patet, quorsum hæc febris referenda sit. In prælectionibus vero explicatius dicetur de ejusmodi reductionibus earumque utilitate eximia, quæ inde generatim redit ad morborum complicatorum doctrinam.

Libri Tertii de Morbis Complicatis

FINIS.

LIBER QUARTUS.

DE

MORTE.

CAPUT. I.

DE

PRINCIPIORUM CONDITIONE AD MORTEM PRÆSAGIENDAM IN MORBIS.

§. MDCCXLII.

OBservantur in corpore hominis viventis actiones prodire, quæ per illius ſtructuram fieri poſſunt; quorſum exempli gratia pertinebunt motus cordis ac arteriarum, reſpiratio, ſenſuum effectus, motus voluntarii corporis, hujuſque generis plura alia. Quamdiu harum actionum una atque altera certo fit in corpore humano; tamdiu etiam vitam eidem ineſſe judicamus. Simulatque vero conſtiterit, nullam prorſus earumdem actionum ibidem oboriri; ad mortis tunc exiſtentiam colligere ſolemus, Erit adeoque *mors* ſtatus corporis vitæ oppoſitus; ſive abſentia omnium plane actionum corporis humani, per ejuſdem ſtructuram poſſibilium.

§. MDCCXLIII.

Qui animum induxit suum, mortem certo præsagire in morbis; illum oportebit omnes atque singulas actiones corporis humani, quæ per ejus structuram fieri possunt, cognitas habere; earum nexum mutuum & rationes, quas præcipue habent ad vitam, intelligere; tandemque eas mutationes in corporibus ægrotantibus præ reliquis sibi notare, unde tuto colligere licebit, vel iam adesse ibidem actiones vitales supra modum læsas, aut futurum esse, ut illæ lædantur adeo, ut morbus, in casu obvio sibi relictus, eventum funestum necessario consequi debeat (§. anteced.)

CAPUT II.

DE MORTIS PROGNOSI IN MORBIS GENERATIM.

§. MDCCXLIV.

Si quæ in morbis obveniant, unde conjici possit, fore, ut actiones cerebelli, cordis, vel pulmonum auferantur; ea omnia signa esse poterunt mortis certo futuræ [§. anteced.]

§. MDCCXLV.

Quare morbi, qui statim initio dictas ad §. præced. actiones valdopere lædunt, citius eventum

ſethalem nanciſcuntur, quam alii, qui prius ſuccedente tempore vim cauſſæ obtinent, ad tantas læſiones iiſdem actionibus inducendas (§. anteced.)

§. MDCCXLVI.

Quo plures cauſſæ ad lædendas actiones cerebelli, cordis vel pulmonum concurrunt; quo validius illæ in haſce partes agunt; eo citior quoque mors ſubſequetur (§. anteced.)

§. MDCCXLVII.

In caſu adeoque ſubnato ſingula morbi ſymptomata, ſive ille compoſitus, ſive complicatus fuerit, accurate ponderanda erunt; ut ſatis conſtet de actionum vitalium læſionibus, earumque gradu (§. anteced.)

§. MDCCXLVIII.

Neque minus conſiderandæ hîc etiam erunt cauſſæ externæ, a quarum acceſſionibus ad corpus ægrotantis, ubi jam adeſſe deprehenduntur actionum vitalium læſiones, hæc ſæpius increſcunt ſupra modum.

§. MDCCXLIX.

Signa vero læſarum actionum cerebelli, cordis & pulmonum ſufficientia eſſe poterunt; motus convulſivi, imprimis conjuncti cum morbo quodam ſenſuum internorum, nec non inſigni quadam debilitate corporis; motus cordis inæqualis & pulſus intermittens; reſpiratio valde intercepta, una cum gravibus humorum congeſtionibus ad caput.

§. MDCCL.

Prodire tunc solent (§§. 1744 & 1749.) in corporibus ægrotantium multiplicia phænomena, quæ in sensus adstantium valdopere incurrunt, eaque omnino habenda pro signis prognosticis mortis; simul atque constiterit, eadem quoque verum nexum subire cum morbo, qui adest in casu præsente.

Quandoque enim unum atque alterum horum phænomenorum ægrotantis consuetudini originem suam magis debere videtur, quam morbo. Cautione itaque opus hic erit in judicando. Singula hæc in prælectionibus magis illustrabuntur.

Libri quarti de morte

FINIS.



INDEX

RERUM NOTABILIORUM NUMERUS PARAGRAPHUM INDICAT.

A

Depletio

E.

F f

F.

G.

H

I.

M.

N.

O.

R.

S.

T.

V.

Z.



